[illegible]
Est [illegible] [illegible] Lex [illegible] [illegible]
Est [illegible] Quare [illegible] [illegible]
Est [illegible] [illegible] Christus [illegible] et [illegible]
Est [illegible] omnes [illegible] biberint [illegible]
Est [illegible] homo bibat [illegible]
[illegible]
Est [illegible]

1 Praeceptis [illegible] Quare Regnum [illegible]
quod est [illegible] quo [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] quod illud [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
2 Quando Christus [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] et quomodo et quibus [illegible]

Quam pulchrum sit [illegible] et quare
Christus [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] tam parvo [illegible] [illegible]

[illegible]
[illegible] [illegible]

[illegible]

+

A

Auaritiae hominem refutati:
nem quaere et vide in concione
quadragesimali. Feria 5. post
Dominicam secundam Quadra:
gesime. Folio. 200.
Amoris Dei et proximi diffe:
rentiam vide
primo Amori Dei concionem

XHD

[illegible]

R. P. IOANNIS OSORII, LVSITANI, SOCIETATIS IESV, CONCIONVM EPITOME.

PARS AESTIVALIS,

A Dominica Paſchatis vſque ad Aduentum Domini.

Opera ac ſtudio,

IACOBI THEODARDI, SARTORII, BOLSVVERDIENSIS, FRISII, P. D.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO cIↄ. Iↄ. XCVIII.
Cum gratia & priuilegio Sacr. Caſ. Maieſt.

IN SOLENNI DIE RESVRRECTIONIS DOMINI.

THEMA: *Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.* Luc. 24.

SI antiquæ legis Maria adeò lætata est, videns fratrem Moysen transisse mare rubrũ submersis Aegyptijs, vt diuinas laudes decantans, omnes virgines Israel inuitaret ad laudandum Deum; quæ hodie erit lætitia Mariæ noui Testamenti & Legis gratiæ, cùm videret vnigenitum Dei & suum transisse mare passionis, & in eo omnia peccata submersa reliquisse. Incredibilis hodiè lætitia illius est. Ad hanc hodiè inuitamur. Sed nulla vera est lætitia absq; gratia, eam petamus in hac die lætissima. *Exod. 15.*

Hæc dies, quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: Sicut omnis mundus in solis ortu lætatur, & quemadmodũ cùm alicuius familiæ princeps in magnam dignitatẽ assumptus est, omnis familia lætatur & cõgratulatur ei: sic nunc Christo à mortuis suscitato omnis creatura congaudet ac congratulatur. Et cùm *omnis creatura reuelationem exspectet filiorum Dei in spe: quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* In Christi resurrectione accipit signũ & pignus huius libertatis: vnde oĩs exultat. Sed vt omniũ ostendamus lætitiã, historiam Resurrectionis Christi dicamus. Separata est anima Christi à corpore in passione, sed suppositũ diuinũ separatum non est ab anima, nec à corpore, vt figuratum fuit Leuit. 1. vbi dicitur: *Turturis extinctæ caput à corpore non separetur.* Caput Christi Deus, non est hic separandus à corpore suo, quod est anima & corpus Christi. Corpus ergò ad sepulchrũ delatũ est, sed anima descẽdit ad inferos reuera. Vnde est illud Psal. ꝙ Petrus de hoc explicat *Non derelinques animã meã in inferno.* Nec verò hoc derogat dignitati Christi: nõ enim captiuus descendit, vt reliqui; sed *inter mortuos liber:* Reliqui omnes vt mortis captiui in in-

Psalm. 117. Simile. *Lætitia omnium creaturarum.* *Rom. 8.* *Diuinitas à corpore & anima nõ fuit separata.* *Leuit 1.* *Christus quomodo descẽderit ad infernum.* *Psalm. 15.* *Actor. 2.* *Psalm. 73.*

in infernum descenderant: Christus verò tãquam mortis victor, vt captos eripiat: *Exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* De hoc descensu Christi ad inferos loquitur Zachar. *Tu quoque in sanguine testamẽti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Donec veniret Christus erant sancti in limbo, qui dicitur *lacus sine aqua,* id est carcer subterraneus. lacus. n. carcer dicitur in scriptura, vti Ioseph ait: *Innocens hic in lacum missus sum.* Sed ait Propheta, *in sanguine testamenti* ereptos esse. Factæ erant antiquis patribus promissiones tum bonorum temporalium, tum æternorum, non contractu donationis, sed testamento. Id verò, quod testamento legatur, vim non habet, nisi *mors intercedat testatoris*, vt Paulus ait. Vt confirmaretur vetus testamentum, quod promissiones habebat terrenorum, vt terra promissa patribus tribueretur, satis fuit figura mortis Christi in sacrificijs veteribus: at vt vera & æterna bona darentur, necessaria erat vera mors testatoris. Hinc Christus. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo,* id est, sanguis, cuius effusione confirmatur nouum testamentum, vt possint hæreditatem cælestem adire, qui vocati sunt. Hinc Paulus. *Ideò noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Hanc ergò mortem testatoris exspectabant in limbo patres, vt æternam hæreditatem obtinerent. Descendens ergò Christus in limbum, mutauit carcerem in paradisum, ostendens ibi Patribus diuinitatem suam: & quando dæmon putauit se agnum occidisse & vicisse, apparuit Leonis virtus ipsum exspoliantis. Quanta verò lætitia patres affecerit, mente comprehendi non potest. Erat ibi primus parens, *quem sapientia eduxit à delicto suo.* Erat ibi iustus Noe, Abel martyr, omnes Prophetæ, Patriarchæ, & iusti omnes, iam læti aduentu Christi. Veniente ergò Christi anima gloriosissima, *conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor:* tunc *vox exultationis & lætitiæ audita est in tabernaculis iustorum.* Viderunt enim scripturam per Christum impletam, omnes figuras Christi veritati redditas; quas hodie discipulis euntibus in Emaus aperuit, multo potius & patribus.

[Margin notes: *Coloss. 2.* — *Zach. 9.* — *Limbus patrum.* — *Gene. 40.* — *Donationes patrib. factæ duplices.* — *Mors testatoris quando necessaria.* — *Luc. 22.* — *1. Cor. 11.* — *Hebr. 9.* — *Lætitia patrum in limbo.* — *Sap. 10.* — *August.* — *Exod. 15.* — *Psalm. 117.*]

Cùm ergò Christus illustres illos præcipuosque viros, qui ante mortis captiui fuerant, nunc verò sui erant, lætificasset, inuitauit eos, vt relicto carcere obscuro migrarent in cælum, passione sua iam apertum. Omnibus ergò sanctis stipatus primum in sepulchrum venit, vbi iacebat exanime corpus; & illud intrans ac informans gloriosissima Christi anima, summa ipsum gloria cumulauit. vt qui socius fuit laboris sit & consolationis. Sed quis explicare valeat, dona corpori illi cõcessa? dicat ipse, qui dedit, qui & accepit Si.n. *oculus nõ vidit, Deus, quæ præparasti expectantibus te*, quis enarret, quæ filio præparauit? Sed aliquibus rationibus id inuestigare conemur: quarum illa sit prior, quod CHRITVS filius Dei est, & corpus illud hypostaticè vnitum verbo diuino. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre*. Talis in Christo gloria est, qualem decet vnigenitum Patris habere: *Vt sit in omnibus primatum tenens*. Sic factus est *primogenitus ex mortuis*, primus resurgens in incorruptionem; & ideò dicitur *primitiæ dormientium*: nam Christus resurgens ex mortuis iam non moriturus, initium fuit plenæ resurrectionis. Primus itaque resurrexit gloriosus, primus ascendit in cælum, *Ascendit iter pandens ante eos*; & hoc ea ratione, quia primogenitus Dei est, in omnibus tenere debet primatum. *Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ*. plus accipit regni, honoris & gloriæ, quàm omnes beati simul collecti: ideò quoque *primogenitus mortuorum* dicitur, & *princeps regum terræ*, id est, iustorum, qui suas regunt cupiditates, quorum princeps Christus primogenitus plurimã gloriam obtinuit.

Resuscitatio corporis. — *Dona corporis glorificati.* — *Isaiæ 64.* — *1. Causa gloriosi corporis.* — *Ioan. 1.* — *Coloss. 1.* — *1.Cor.15.* — *Primogenitura Christi.* — *Mich. 2.* — *Psalm. 88.* — *Apoc. 1.*

Eiusdem gloriæ magnitudinem alia ratione colligere possumus. In matrimonijs defert dotem vxor, vt sustententur onera matrimonij, & vita coniugum sit ampla & abundans: in matrimonio verò Dei cum Ecclesia, quod in cælis celebratur, est etiam necessaria dos, non ad onera sustentanda, sed vt vita sit abundans omni bono. Hæc dos est perpetuus ornatus animæ & corporis, in æterna beatitudine iugiter perseuerans. Quanta autem dos erit, qua ornandus est beatus, vt tanto Deo de spon

2. Ratio. — *Dos Christi.* — *Dotis spiritualis descriptio.*

Ephes. 5. sponsetur? Christus *dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, nō habentem maculam aut rugam.* Sed dona concessa humanitati, Verbo desponsatæ, sunt immensa, & omniū excellentissima, qualia naturę illi, Verbo diuino vnitę, conueniebant. Si omni animæ & corpori in gloria datur dos pro eorum voluntate: *dilata os tuum, & implebo illud*: quid dabitur animę & corpori Christi? quasi *sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

Psalm. 80.
Isaiæ 61.

3. Ratio gloriosi corporis.
Meritū Christi infinitū.
Ioan. 7.

Tertia ratione idem colligere licet, si attendas Christi merita infinita. Infinitum per omnia fuit meritum Christi, 1 ratione suppositi infiniti operantis. 2. ratione infinitæ gratiæ in esse gratiæ, quæ in Christo erat. 3 ratione mirabilium operum, quæ pro Patris gloria perpetrauit: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Et licèt omnia opera operatus non fuerit, nec omnia tormenta passus, voluntate tamen efficaci, quam (quia verissima est) pater acceptauit, ita se patri obtulit, vt omnia illa faceret & pateretur, si ei placeret, quia omnes homines in æternum facere & pati poterant. En Christi merita omnibus rationibus infinita. Quod ergò tantorum meritorum præmium? Gloria corporis; quæ tanta erit, vt omnem superet mensuram, omnem cogitationem. Grauitas passionis ex odio processit inimicorum, magnitudo gloriæ ex patris amore. Vires odientium finitæ; amantis infinitæ. Si ergò illi tam atrociter cruciauerunt, quàm immensè illum pater glorificabit? Passus est solus, ab omnibus derelictus: nunc Pater ait, *Sede à dextris meis*; & omnes homines & Angeli ei genu flectant, Nunc *omnia dedit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam; nunc constitutus est à Deo iudex viuorum ac mortuorum: & data est ei omnis potestas in cælo & in terra.* Summa ergò gloria Christi corpus ornatum est.

Tertia Ratione infinita

Psal. 104.
Psalm 109.
Philip. 2.
Psalm. 8.
Hebr. 2.
Phil. 1.
Actor. 3.
Matth. 28.

Lætitia Mariæ.
Iudic 14.
Allegorica similitudo.

Glorificasti, Domine, carnem tuam: sed memor esto, quoniam mater tua etiam caro tua est; & quæ socia fuit passionis, sit & consolationis. Samson de fauo mellis, quod inuenit, primùm dedit matri suæ: sine dubio CHRISTVS resurgens mel illud gloriæ, quod inuenit matri communicauit, eique primò apparuit. Cùm verò dicitur primùm Magdalenæ apparuisse, intelligi-

tur de testibus iure non suspectis. Nec verò Euangelistæ hanc apparitionem narrant; quia res erat adeò manifesta, vt necessarium non fuerit illam memoria prodi. Venit ergò CHRISTVS cum omnibus Sanctis, vt inuiseret matrem, tum propter gaudium matris, tum propter Sanctorum gloriam. Cùm nobis aliquid est valdè pretiosum, illud ostendere volumus amicis ad nos venientibus: sicut Ezechias legatis Babylonis thesauros domus suæ. Sic ergò CHRISTVS sanctis Patribus primùm ostendit diuinitatem suam, deinde humanitatem gloriosissimam, ex cuius conspectu summam concepêre lætitiam. Cùm verò tertium, quod illi erat pretiosissimum, mater esset, voluit eis eam monstrare, vt intuerentur propè omnium bonorum, quæ illi possidebant mediatricem, & puram creaturam summè ab eo dilectam; & vt conspicerent magnalia, quæ in parua muliere ille posuerat, & fecerat, *qui potens est*. vt viderent exemplar omnium virtutum, immensum bonorum pelagus, vas pretiosissimum. Venite, ait, Patriarchæ, regesque Iudææ, & videte filiam vestram, matrem meam. Venite Prophetæ sancti, & videte virginem *fœminam, quæ circundedit virum*. Veni Eua, & vide mulierem sine væ, filiam quidam tuam, sed non culpæ participem. Veni Propheta regie, & vide filiam tuam, quam tu terram fructiferam dixisti, domum Dei, & tabernaculum eius. Veni Isaia, vide virgam de radice Iesse. Veni Ezechiel, vide orientalem portam. Venite ergò, & videte eam non à longè, sed propè. Sic CHRISTVS Dominus patres ad Mariam duxit, vt eius pulchritudinem mirarentur nimium. Cùm enim opera gratiæ excedant opera naturæ; in nulla creatura DEVS tantum posuit gratiæ, quantum in Maria. Honorificantur DEVS matre tanta, Angeli tali domina, Patriarchæ & reges tali filia.

Ambrosius. Sedulius. Anselmus. Gregor. Nissen. orat. 2 de resur. Rurpert. l. 7. de diu. offic. cap. 25. Metaphr. in orat. de vit. Mar.

Simile. *4. Reg. 20.*

Tria pretiosa patribus ostensa à Christo.

Apostrophe Christi ad patres. Ierem. 31. Psal. 45. 84. Isaiæ 11. Ezech. 44. Honorificentia Mariæ.

Erat verò tunc Maria summo dolore contemplans vulnera Christi, conferens in corde suo. Sed inter hæc spe confortabatur resurrectionis Christi firmissima: tempus longissimum ei videbatur præ desiderio, licèt breue esset. Cùm ergò Maria sic esset, ingreditur CHRISTVS IESVS illius cubiculum gloria ornatus,

Mariæ studium. Ingressus Christi ad Mariam.

& Angelis ac sanctis associatus. Clarescit cubiculum plusquàm si solem intra se contineret: oculos illa conuertit, & primùm vidit Christi faciem plenam gratiarum. Agnouit illum inter agmina beatorum, inter quos lucebat, sicut sol inter stellas. Mutuò ergo se conspiciunt duo cæli luminaria, Christus & Maria; &, priusquam lingua, cordibus se salutant: corda enim velociora extitere in diligendo, q̃ linguæ in loquendo. Illa huic diei conueniunt, quæ sponsus spōsæ loquitur. *Surge, propera amica mea: iam hyems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* *Transijt* iam sæua *hyems* persecutionis: iam *flores apparuerunt*, in corpore meo, dotes gloriæ; iam *ver aduenit*, amplexare me amantissima mater: nec te terreat magnitudo gloriæ; mater enim es, quam ego semper reuerebor. &c. Quæ vnquam mulier vel Regina tam læta fuit tanto filio ornata, tanto gaudio affecta, qualis Maria in Christi seruatoris amplexu? Quæ vnquam Augusta se vidit tantis Principibus coronatam? tam illustribus viris cinctam? Cumque tanta gloria ornatum videret, iterum eum complectebatur dicens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*: tu à natiuitate pulcherrimus eras; sed nunc noua hac immortalitatis veste, noua gloriæ tunica omnem superas pulchritudinem. Intereà iusti omnes circumstantes læti sunt, præcipuè verò Virginis progenitores, cùm se videant parentes tantæ virginis, & tanti filij, vnde processit germen, quod nunc est in *magnificentia & gloria*; feceruntque erga eam, quod principes Hierusalem erga Iudith, qui venientes ad eam dixerunt: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: per te ad nihilum redegit Dominus inimicos nostros.* Inter alia verò gaudium immensum fuit Christo viso, quòd semper fidelissima fuerit filio suo, in nullo defecerat; vnde summa lætitia perfundebatur.

Cant. 2.

Amplitudo Mariæ.

Complexus Mariæ.

Cant. 1.

Iudith. 15.

Nos verò in hac resurrectione habemus, quo lætemur, & quod imitemur. 1. Lætandum nobis est, quia futuræ nostræ resurrectionis accipimus spem, & pignus certum. Inchoata est in Christo resurrectio, suo tempore nobis consummanda: radix nostra viuit; non dubium viuificabuntur & rami. Ideò CHRISTVS dici-

Lætitia nostra, spes resurrectionis.

dicitur *radix*. Multum pertinet ad ramos vita radicis: quia qualis radix, tales & rami. Inde Paul. *Si Christus resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* In Christo iam resurreximus. *qui conresuscitauit nos & consedere fecit in cælestibus*. *Primogenitus ex mortuis surgit* hodie, nos eum sequemur, vt *sit ipse primogenitus in multis fratribus*. *Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. *Nam si spiritus eius, qui suscitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Christum à mortuis, suscitabit & mortalia corpora vestra.* Ex quo infert: *Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus.*

Apoc.22. *1 Cor.15.* *Eph.2.* *Rom.2.* *Phil.3.* *Rom.8.*

2. Quod verò nobis imitandum est in Christi resurrectione, ostendit Paul. d *vt sicut Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. *Notas*, inquit Psalm. *mihi fecisti vias vitæ*: sua enim resurrectione viam vitæ aperuit Christus mortalibus antè ignotam: dum multa corpora sanctorum surrexerunt; & nos docuit fidem, misericordiam, iustitiam, castitatem: his enim itineribus peruenitur ad salutem. Hodiè Christus transijt: & *Pascha* transitum significat, & *Galilæa*, ad quam ire discipulos præcipit, transmigrationem: & quia *resurgens ex mortuis iam non moritur*, cum non redijsse ad priorem vitam, sed transisse ad aliam vitam dicimus. Vide ergò, ne Pascha sit tibi reditus in priorem vitam; tunc enim non transis, sed redis. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* Si reperis ludum & delicias non transis, sed redis. *Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Resurrectio Christi tibi causa est? ex hoc tempore ludi, comessationes? quasi ad hoc surrexit Christus, & non magis *propter iustificationem nostram*? Redite ergò ad cor, & in toto corde quærite Dominum: odite malum pœnitentes non ore solùm sed corde: nec suscitentur in te vitia, cùm Christus surgit; sed magis virtutes cum rege virtutum surgant.

Imitatio nostra. *Rom 6.* *Psal.15.* *Via vitæ per Christum aperta.* *Transeundũ ad aliam vitam.* *Col 3.* *Rom.6.* *Rom.5.*

FERIA II. RESVRRECTION.

THEMA: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24.

Christus sol iustitiæ oriẽs Simile. *Mal.* 4. SICVT Sol mundo oriens radios primùm mittit in altissimum montem, & deindè in montes & colles minores, postea verò in vniuersam superficiẽ terræ; sic nunc mundo oriens Christus *sol iustitiæ* primùm radijs gloriæ suæ illustrauit ac lætificauit matrem suam, *Dan.* 2. *Psal.* 67. quæ mons est altissimus, ex quo præcisa est *petra sine manibus, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Apparuit posteà Magdalenę, deine Petro, posteà eũtibus in Emaus, deinde omnibus Apostolis, deinde plusquã quingentis fratribus. En solem qui omnes illustrat. Vt nos etiam hac eius gloria frui possimus, accedamus ad Mariam &c.

Eccl. 3. Dies hic lætissimus est vniuerso mundo: quia cùm sit *tempus flendi, & tempus ridendi*; præcessit in passione flendi tempus, adest nunc tempus ridendi. Sicut cum qui in duello victor euasit, summo cum gaudio ac gratulatione à Simile. suis excipitur: sic venit Christus in mundum, vt pro homine pugnaret factus homo, vt fortem armatũ superet. *Duellum Christi.* Ingressus est difficile bellum in passione, victor nunc ad suos redit, an non summis gaudijs excipiendus? Sicut Dauid, cui decantatur: *Vicit Saul mille, & Dauid decem millia.* 1. *Reg.* 18. Sic nunc decantant Christo animæ iustæ: Vicit Moyses mille, & Iesus decem millia. Liberauit Moyses populum vnũ submersis AEgyptijs: sed Iesus redemit vniuersum *Victoria Christi.* mundum, vicit vniuersos dæmones & peccata, quæ suo *Exod.* 15. in sanguine suffocauit. Melius ergo hodiè dicemus: *Can-* 1. *Reg.* 17. 18. *temus domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare,* mortem & infernum. Et vt Dauid, vt superaret Goliath arma regia nõ induit, sed victoria parta vestibus Ionathæ induitur: ita Christus vt pugnet in*Zach.* 3. *Psa.* 102. 92. dutus est veste non regia, carne mortali: sed parta victoria vestibus induitur regijs. *Confeßionem & decorem induisti, a-* *Victoria multiplex Christi.* *mictus lumine sicut vestimento.* Et, *Dominus regnauit, decorem indutus est.*

Aug. ser. 1. *in die Pasch.* 136, *de temp.* Sed non vnica victoria hodiè parta est à Christo Domino, sed multæ. Hodie cælum reseratum est, & sublatus

Cherub, qui custodiebat introitum Paradisi: hodie portæ inferi confractæ sunt; hodie victus dæmon, infernus, & mundus, mors, & peccatum. Quis tam mirabiles victorias explicare poterit? Respondet Spiritus sanctus. *Vir obediens loquetur victorias.* Quisnam vir obediens, nisi Christus Dominus, cum *factus est patri obediens vsq; ad mortem Crucis* abiectissimam, doloribus plenam & maledictioni obnoxiam. *Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno.* Peccatum enim primum in ligno commissum fuit: in peccati ergò execrationem hoc dicitur, quasi lignum infamiam & dedecus ei præstet, qui in ipso pendet: cum non maledicitur à Deo, qui ferro aut lapidibus necabatur. Quia ergò factus pro nobis maledictum tam difficilem subijt obedientiam, Deus exaltauit eum hodie. Obediuit Deo Abraham, & benedictus ab eo est: obediuit Christus & hodie exaltatus pro maledictione benedictiones plurimas est consecutus.

Prou. 21. *Christus vir obediens.* *Phil. 2.* *Deut. 21.* *Maledictio ligni.* *Benedictio per Christum in ligno parta.*

Vidimus virum obedientem: attendamus eum loquentem victorias. *Quis enim loquetur potentias Domini.* Loquatur ipse. *Circumdederunt me sicut apes & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini quia vltus sum in eis. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me.* Attende victorias eius. Vicit mundum cum Principe suo. Vnde ait: *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Et; *ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Eiectus è cælo dæmon, voluit in mundo Deus haberi. Decepit Adamum, & in eo vniuersum genus hominum: sed nunc, ait Christus, *iudicium est mundi,* an meus, qui condidi; an dæmonis, qui surripuit. Tolletur obedientia mea inobedientia Adæ; & restituetur mundus mihi vero Domino.

Christus vir loquens victorias. *Psal 105.* *Psal. 117.* *Eiectio dæmonis.* *Ioan. 12.* *Aug. ibid.* *Grego. hom. 22. in Euãg.* *Ioan. 20.* *Leo ser. 8 de paß dom.*

Hinc ait ipse. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Tollitur idololatria, per quam in lignis colitur dæmon, & solus ego colar in ligno. Hinc Isa. *Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes.* E monte Caluariæ præcipitauit Christus hoc vinculum: Telam etiam dicit disruptam, quæ erat concipi & nasci in peccato, viuere & mori in peccato, & inferno statim

Mundus restitutus vero domino. *Matt. 28.* *Isa 25.* *Tela dæmonis quæ fuerit.*

Dæmon iam est grassator, non princeps mundi. statim deputari. Iam ergò vinculum dæmonis confractum est, tela disrupta est: tanquam grassator poterit aliquando capere inscium & inertem viatorem: sed princeps iam non est; nec tanquam princeps capere potest quempiam. Victa superataq; mors est, victus & exspoliatus infernus, impletumque est illud: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ô inferne.* De hac victoria loquitur Dominus ad Iob. *Num extrahere poteris Leuiathan hamo?* Christus extraxit Leuiathan, hamo verò eum cepit. Crux Christi arundo fuit, esca humanitas, hamus diuinitas: voluit dæmon deglutire humanitatem, & captus est à diuinitate, & eductus è mundi huius mari, ne amplius ei principaretur. *Maxillam* illius *perferauit*, dum portas inferni confregit, & ex ore ipsius patres sanctos eduxit.

Ose 13. *Iob 40.* *Greg. lib. 33 mor. 9. 10.* *Hamus quo captus est dæmon.*

Discipulorũ disperforum collectio à Christo duce. Vidimus à Christo Domino victoriam partam. Sed quia mundũ sibi subiugaturus erat exercitu discipulorũ coacto; illi verò dispersi fuerant tempestate passionis; nunc exercitum colligit suum, vt possit certare cum hostibus. Dulcissima rei huius historia nobis proponitur duorum discipulorum, qui tempestate iactati, quasi sine spe, in Emaus proficiscebantur: quibus obuiat CHRISTVS vt dux militibus turbine dispersis, & in locum castrorum reducit, & exercitui suo restituit.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum 60. ab Hierusalem, nomine Emaus 60. stadia conficiunt duas leucas cum dimidia: alij dicunt 4. ferè leucas. Ex discipulis vnum fuisse Cleopham, Euangelista testatur: alterum fuisse Lucam Euangelistam quidam volunt. *Et ipsi loquebantur ad inuicem de ijs omnibus, quæ acciderant.* Loquebantur de Christi passione, & iis, quæ in ea acta erant. *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Viam agentibus viator apparet: his verbis significatur, qualem quis se Deo ostenderit, talem se Deum ei ostendere: vt speculum, quicquid obijcias, refert: si placidum te ei obijcias placidum se ei ostendit; si iratus, iratum: ita Deus *speculum sine macula*, misericors ostenditur misericordi, seuerus crudelibus. Si ergò Deum tibi misericordem vis,

Greg in præfat. mor. c. 1. *Niceph. libr. 1 c. 24.* *Theoph hist.* *Viator Christus.* *Deus ergà nos est, vt nos erga eũ.* *Athan. & Theodoret. in Psalm. 17.* *Sap. 7.*

vis, disce misereri. Peregrinus peregrinis nunc ostenditur, Talem se illis exhibuit interius, quales illi erant interius. Erant illi amantes, sed dubitantes: offert se illis, sed incognitus. Vt quid, Domine, quærentes te fugis, & fugientes te quæris? Egrediuntur mulieres deuotæ, feruidæ, aromatibus onustæ, vt te quærant, & solum Angelum inueniunt: & hi discipuli te non quærunt, sed desperant, & eis appares? Verè, Domine, semper maiori succurris necessitati. Et sicut in timore sanguis ad cor properat; quia tunc debilius est: ita Christus adest maiori periculo, *Dominus refugium & virtus, adiutor in tribulationibus*. Hinc nobis discendum est, succurrere miseris & derelictis. Sed nihilominus hi discipuli indigni omninò non fuerunt diuina visitatione, *loquebantur enim de IESV*. Promiserat verò: *Vbi congregati fuerint duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. In nomine verò CHRISTI congregantur, qui de eo loquuntur. Si sola verba CHRISTVM traxerunt, quid facient recta opera. Hinc per Sapient. *In vijs iustis ambulabo, vt ditem diligentes me*. quasi dicitur. Si vis nosse, ô homo, in qua via inuenies me, ambula in via mandatorum Dei, in ea enim socium eum reperies. Tunc Deus ad hominem venit, quando quod rectum est facit. Si vis ergò tibi Deum adesse, de eo loquere in domo, in itinere, & quod rectum est in oculis eius præsta. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*. Quasi alienus CHRISTVS suis apparet: sic Ioseph fratribus suis, nec agnoscitur. Ita nunc nobiscum agitur. Oculi nostri tenentur, ne CHRISTVM agnoscamus in Eucharistia: sed citò in conuiuium cæli transferemur, *vt edamus & bibamus super mensam eius: & tunc videbimus eum sicuti est*.

Discipulis cur se Christus offerat & non mulieribus.

Simile.

Psal. 45.

Matt. 18.

Qui in nomine Christi cõgregati sint.

Prou. 8.

Deus quibus adsit.

Gen. 42.

Luc. 22.

1. Ioan 3.

Colloquium Christus incipit dicens, *Qui sunt hi sermones?* &c. Cui Cleophas. *Tu solus peregrinus es in Hierusalem*, &cet. Verè Christus Dominus solus peregrinus est in hoc mundo; quia de cælo ille venit, nos de terra sumus. *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum*. Peregrinus verò factus est in terra, quia votum peregrinandi emisit: *Votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ*, &c. Impleuit iam votum hoc peregrinus noster,

Peregrinus solus est Christus.

Ioan. 8.

Cur Christus peregrinus.

ster, nec agnoscitur à suis, quia peregrinationis suæ insignia, vulnera scilicet, non aperiebat eis. Peregrinus autem voluit esse, vt nobis merita acquireret infinita, & sibi gloriam corporis, & proprij nominis exaltationem, & vt pluris à nobis haberetur, cùm infiniti sit pretij, sanguine pro nobis libenter effuso, qui tamen à multis vilipenditur. Nos ergò eum in pretio habeamus.

Peregrini nos esse debemus. Simul nos docet peregrinus noster, vt peregrini simus super terram. Nam *non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* *Heb.13.* Priscis patribus donabat DEVS temporalia, & illi petebant æterna: nobis donat æterna, & nos petimus caduca. *2.Cor.5.* Illi confitentur se peregrinos, nos incolæ volumus esse mundi. *N.B.* *Psalm.38.* Hinc Psalmista. *Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* *Heb.11.* Et reuera ita est, *quia dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* *1.Pet.2.* Væ autem his, qui incolæ mundi sunt. Mira hominis stultitia, terrena magniducere, obliuisci æterna. Qua in re confusioni nobis esse potest Anaxagoras Philosophus, *Diog.Laert. lib.2. de vit. Phil.* qui cum substantiam suam non curans ab amicis reprehenderetur, digito ostendens cælum ait. Illa patria mea est, ea hæreditas mea, illam ego curo: quæ in terra sunt, nihil ad me pertinent. *N. Apophtegma philosophicum.*

Sed audiamus potius CHRISTVM peregrinum, quid respondeat suis. *Quibus ille dixit. Quæ?* Quid Domineais? An non in te ea facta sunt, & ea passus es tormenta, quæ omnem superant cogitatum? *Interrogatio Christi quid velit.* Pertransierunt spinæ sacrum caput tuum, claui manus & pedes flagella, & vulnera totum corpus, & tu ais. *Stella in Luc.24.* *Quæ?* En illud. *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* *Isa.65.* Huius verò verbi duplex est causa, 1. quod tanta arderet charitate, vt nihil illi videantur vniuersa illa, quæ pro nobis passus est. *1. Charitas immensa.* Nos contrà si aliquid pro DEO patimur aut agimus, magnum quid esse censemus; quia parum diligimus. 2. est, quòd beatus ille resurrectionis status adeò fœlix est, & gloriâ redundans, tantum illud præmium, vt cum beatus inde oculos conuertit ad vniuersos dolores, quos passus est, *2. Felicitas resurrectionis.*

vt tam-

vt tantum consequeretur regnum, meritò dicet. *Quæ* sunt, quæ passus sum? nihil sunt omnia illa, si cum tanta mercede conferantur. Meritò Paulus ait: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quod si diceres. Non recordamini, ô beati, tormentorum quæ sustinuistis? non recordaris ô Stephane lapidum? non tu ô Laurenti craticulæ? & cet. Respondent cum CHRISTO, *Quæ*? & addent. Obliuioni tradita sunt hæc omnia, nihil illa fuêre, cum hac immensa gloria, qua fruimur, collata. Econtra obliuioni traditæ sunt à reprobis, cùm sunt in inferni tormentis, delitiæ, diuitiæ, & honores: quorum causa innumeras sustinuerunt angustias; & nihil eis apparent omnia quibus in mundo vsi sunt. Hinc Abraham diuiti Epuloni respondet: *Recordare fili*. Oblitus ille erat bonorum, quæ in vita recepit. Sic si damnatis diceres; an non recepistis multa bona in vita? an non diuitias, honores, voluptates? responderent, quas diuitias honores, voluptates? *Quid profuit nobis superbia? diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut vmbra.* Obliti sumus nos hæc recepisse bona. Nec mirum, si enim *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ,* quid facient mille anni tormentorum? quid æternitas eorum? Optimè dicunt; *Omnia velut vmbra transierunt.* Sic enim tribulationes iustorum, sic & deliciæ prauorum transierunt tanquam *vmbra*; sed diuerso modo. Vmbra fit ex interpositione corporis opaci & lucidi. Sole declinante versus occidentem vmbræ fiunt maximæ: & cum sol planè occidit, vna efficitur vniuersalis vmbra, quæ omnes occupat vmbras. Sic diuitiæ, honores, voluptates, vmbra sunt: sed magna tibi apparent quoniam recedit à te Sol iustitiæ, & longè à Deo es per peccatum. Accedit mors & vmbra mortis, quæ omnes eius vmbras tollet, diuitias, honores, voluptates auferet, & nihil boni reliquum erit. Sed iam intueamur qua ratione finem accipiant tribulationes iustorum, quæ etiam vmbræ sunt. Sole oriente maxima vmbra tua apparet: sed sole ascendente vmbra minuitur; quia Sol magis appropinquat. Sic tribulationes iustorum finem accipient. Ortus est tibi Sol iustitiæ, cùm gratiam recipis. Si tunc oculos conuertas

Rom. 8.
Gloria beatorum obliuisci facit tribulationũ priorum.
Bonorũ huius vitæ reprobi sunt obliti in damnatione.
N. B.
Sap. 5.
Eccl. 11.
Simile.
Vmbræ ratiõ duplex.
Diuitiæ reproborum quomodo vmbra.
Simile.
Tribulationes iustorum quomodo vmbra.

conuertas in vmbras tribulationum, magnæ tibi apparebunt: hinc dicis; O quàm longa infirmitas, ô quam immensus dolor. Longè à perfectione charitatis abest, qui hæc dicit: sed crescat in te Dei charitas, & minuetur dolor. Et cùm mors tibi adfuerit, auferet à te DEVS omnes tribulationum vmbras, & obliuisci te faciet omnium earum. Sicut Ioseph accidit in AEgypto, qui è carcere eductus, *vbi ferrum pertransijt animam eius*, duos filios accepit, quorum *vnum vocauit Manassem dicens: Obliuisci me fecit DEVS omnium laborum meorum, & domus patris mei. Alterum appellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit DEVS in terra paupertatis meæ.* Sic nunc, ô iuste, multa pateris? aliquando è carcere egrederis, & in regiam domum, cælestem patriam ducêris, & dices. Obliuisci me fecit DEVS omnium laborum meorum: & abundare me fecit omnibus bonis. Ita CHRISTO accidit dicens. *Quæ.* ita & tibi continget.

Allegoricũ exemplum. Gen. 41.

Sed audi increpantem CHRISTVM. *O stulti & tardi corde ad credendum.* & cet. Nec increpatione commoti sunt; imò eum coëgerunt, vt cum eis maneret. Contrà reprobi superbi correctionem sustinere non possunt. *Nonne hæc oportuit pati CHRISTVM?* Si vt suam intret gloriam, oportet CHRISTVM pati, an non oportebit nos pati, vt in alienam intremus? Sed quare nos ille pati voluit? Sicut hortulanus præscindit ramos siccos in arbore; vt fructiferi nascantur: & ramos tollit, qui prope terram nascuntur, vt sursum arbor crescat: sic DEVS aufert terrena vt spiritualia quæras: in terra te crescere non sinit, vt in cælestibus proficias. Et sic efficit DEVS, vt dulcius nobis gloria sapiat. Post tribulationem enim gaudium dulcius est, vt post ieiunium cibus. Ideò Ioseph primum fratres tribulat, vt dulcius posteà recipiat. Hinc Psalm. *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.*

Boni correctionem accipiunt non mali.

Cur Deus nos pati velit.

Simile.

Gen. 42. Psal. 65.

Coëgerunt illum, & hospitio susceperunt, vbi ab eis agnitus est. Audiamus Paulum dicentem: *Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio*

Heb. 13.

hospitio receptis. Sed nunc amplius quid videmus; quia Dominus Angelorum hospitio recipitur, dum peregrinus receptus est. Et Gregorio magno id contigisse memoratur. Et omnibus nobis continget, cùm audierimus; *Hospes eram, & collegistis me.* Matth. 25. Tandem *cognouerunt illum in fractione panis*. Vis oculos mentis tibi aperiri? Sede in mensa cum Iesu; accede, cùm frangitur & diuiditur cælestis panis, accede ad Eucharistiam. Sed sicut Ionathas hostes persequēs fauum mellis comedit, & vires recuperauit: Saul autem præceperat, ne vllus comederet, donec inimici penitus delerentur: verùm *terram turbat*. Sic multi hodie ad Eucharistiam frequenter non accedendum dicunt, nisi victis ac profligatis omninò passionum inimicis: sed hi terram turbant: quia vt vires recipias tibi mensa parata est: Accede ergo cum Ionata, mortalia peccata per confessionem expelle, comede panem sanctum, vt oculi tui illuminentur, & hostes penitus delere valeas. &c.

Oculi mentis quomodo aperiantur.

1. Reg. 14.

Exemplum Allegoricum.

Psalm. 22. Parasti in cōspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.

DOMINICA IN ALBIS.

THEMA: *Pax vobis* &c. Ioan. 20.

SICVT pugnante Deo Israël pro populo suo, innumeri hostes victi sunt, & ex eis præda maxima capta est, *ita vt omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre: die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis*: sic nulla vnquam talis victoria populo Dei concessa est, vt ea quam Christus in passione obtinuit, qua vniuersos humani generis hostes superauit: nunquam tam ampla spolia collecta sunt, ac illa, quæ nobis Christus concessit victoria parta Ideo Isa. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe; sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia*. Nobis enim dedit spolia victoriæ suæ, cæli beatitudinem, cuius nobis fores aperuit: dedit in hac vita peccatorum veniam, gratiam, virtutes dona, & tanta denique spolia, vt ea portare non possimus vniuersa. Quare post hæc veniendum nobis est in Vallem benedictionis (hoc nomen Ecclesiæ est) in qua nihil resonare debet nisi gratiarum actio ei, qui morte & resurrectione sua nobis innumera dona præparauit. Sic Petrus. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam*

2. Par. 20. Simile.

Victoria Christi insignis.

Spolia Christi innumera.

Isaiæ 9.

Spolia nobis data.

Gratiarum actio non negligenda.

1. Petr. 1.

suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem. & cæt.

Col 1. 2.Petr.1. Innumeras ergò gratias Christo victori agamus, *qui nos eripuit de potestate tenebrarum, qui nobis pretiosa promissa donauit.*

Pax triplex spolia Christi. Hæc verò spolia ostendit hodie suis Christus eis apparens, & dicens, *Pax vobis, pax vobis, pax vobis*. Ter hodierno Euangelio pax repetita est, quia triplicem pacem Christus sua morte hominibus dedit, quibus vniuersum suæ passionis fructum & spolia colligit. de qua re Isaias: *Et erit opus iustitiæ pax*. In summa pace Deus hominem condiderat: pax enim illi erat cum Deo, pax cum proximo, pax secum, inter interiorem & exteriorem hominem. Amiserat homo pacem, dum peccauit: *Non est enim pax impijs*. Christus verò hanc pacem bello suo recuperauit, & restituit dicens: *Pax vobis*. Et impletum est illud, *Erit opus iustitiæ pax*, id est, opus mortis Christi est pax ista; vnde dicit Psalm. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*. Et, *Iustitia & pax osculatæ sunt*. Et tunc *sedit populus in pulchritudine pacis*. Conuenienter pax pulchra dicitur: nihil enim ea pulchrius, nihil dulcius. Hanc nunc pacem nos explicemus, & eius auctorem consideremus, & eius ministros, quibus nobis illa restituitur, si eam perdiderimus. Hæc enim omnia nobis in hodierno Euangelio inspicienda proponuntur; Christus scilicet auctor & princeps pacis; deinde pax per illum donata, tertiò ministri, quibus conceditur peccata remittere, & pacem donare ijs, qui eam peccando amiserunt. Hæc ergo tria hodie contemplemur, & primùm Principem pacis Christum, de quo Ioannes ait.

Euangelij summa. Isaiæ 57. Psalm.118. Psalm.71. Psalm.84. Diuisio concionis. Isaiæ 9.

1.Pars. Genes.2. Iesus in medio, arbor vitæ. I. *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum*. Ecce arborem vitæ in medio paradisi: in medio ponitur, vbi omnibus pateat, ab omnibus videri & excipi possit. Aliqui putant Deum longè esse, sed ille in medio est. Similes nos præstamus Adamo, qui habens lignum vitæ in medio paradisi, diuertit ad arborem vetitam. Si omnia volueris bona accede ad hanc arborem. Folia eius ad sanitatem gentium; esurientes fructu eius reficiuntur; lassi sub vmbra eius quiescunt. Est illa *malus inter ligna syluarum*, quæ sine fructu sunt. Si in medio tui Dominus est, omnia tibi bona erunt: si abierit ille, nihil tibi boni manebit. *Et ecco*

Vtilitas filiorum & fructuum huius arboris vitæ. Cant.2.

Ecce vir stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas. Et dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? & dixi, Adamantem. Et dixit Dominus ad me: Ecce ego inijciam adamantem in medio populi mei, &c. Adamas, latinè indomitus, nulli cedit materiæ, nec ferro quidem: cumq; ignis omnia metalla domet, reddit adamantē duriorē: cumq; aurum longo vsu ac vetustate consumatur, solus adamas non atteritur, imò limam terit. Hic lapis Christus est, hic stat *super murum adamantinum*, quia sancti sua natura viles lapides, adamantes efficiuntur Christo vniti: & cùm in medio eorum sit, illos efficit pretiosos lapides & insuperabiles. An non adamas insuperabilis, qui ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Hic verò Dominus *in manu sua adamantem* tenet; quia homo nisi Dei teneatur manu, omnem perdit fortitudinem: si verò Dei manu teneatur, adeò robustus est, *vt si trāsierit per ignem, flamma non comburet* eum. Vis ergo lætus & pretiosus esse, Christo coniungere, sit ille in medio tui. Sed hic lapis durissimus calido hircorum cruore soluitur. Cor durissimum solo mortiferæ libidinis calore perit. Hæc enim sanguinis hircorum est natura, vt sit ad libidinem calidissimus: solus dissoluat, quæ edomare non potest ignis. Caue ergo, si Adamas es, libidinis occasiones; has time, has fuge.

Amos 7. iuxta 70 translat.

Adamantis natura.

Hiero Xenocrates de natura lapid.

ἀδάμας. indomitus.

Rom. 5.

Isaiæ 43.

Adamas quomodo dissoluatur.

Sed *ingreditur Iesus ianuis clausis*. Deo enim nulla ianua clausa est. Nulla esse ianua videbatur discipulis, vt consolationem percipere possent, & Christus adest. Si afflictus es, consolare tamen: diuinæ enim misericordiæ nulla ianua est clausa; aderit illa tibi, cùm eam expectaueris: etiamsi nulla tibi esse videatur, per quam intret. Desperabat Dauid posse se euadere manus Saul: sed suscitat Dominus Philistæos, qui ingrediantur terram Israel: quibus vt occurrat Saul, destitit persequi Dauid, qui sperabat in Domino. Sic Ionas in ventre ceti Dei misericordiæ ianuam inuenit: Daniel in signata leonum lacu; tres pueri in accensa fornace. Deo enim nulla clausa est ianua. Hoc verò mirandum valdè est, cùm nulla Deo clausa ianua sit; peccator tamen ita cordis sui ostia claudit, vt Deus illud non intret: in hoc solùm Deo clausa est ianua. Portæ inferi Deo resistere non potuerunt, *contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*: & tu ei resistes? Si nosses, quæ tibi bona defert, ei aperires.

Deo nulla est ianua clausa.

1. Reg 23.

Psalm. 10.

Ion. 2.

Dan. 6. 4.

Psal. 106.

rires. Venit ille bonis omnibus onustus, spolia innumera bonorum nobis deferens; aperi ei, vt sit in medio tui.

II. pars Euang. *De Spolijs Christi.* II. Iam verò spolia ducis nostri videamus, Pacem scilicet, quæ flumen est ciuitatis Hierusalem. Ter verò à Christo pax repetita triplicem significat pacem, per eum nobis concessam. Prima cum Deo: hanc constituere pacem in *Isaiæ 48.66.* mundum venit: *Et Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum, & percutiam illis fœdus pacis.* Hanc mundi cum *Pax triplex* *Ezech. 37.* Deo reconciliationem, per Iesum factam, prædicauerunt *1. cum Deo.* Apostoli, de quibus Isaias: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem.* Sanguine verò suo hanc constituit pacem. *Isaiæ 52.* *Rom. 10.* vnde Paulus: *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt.* Quare cùm dixisset; *Pax vobis,* *Col. 1.* *ostendit eis manus & latus*, quasi diceret: Vulneribus istis *Pax cum Deo quomodo facta.* pax hæc constituta est. Peccatum hominem Dei hostem constituit: vt verò hoc deleretur, Christi mors fuit necessaria, qua Deo plenè pro peccato satisfactum est, & homo Deo recōciliatus, & pax stabilita. In baptismo applicita tibi hac passione, Dei amicus factus es: ecce constitutam pacem. Sed num iterū hostis illius eris? attende cum quo inimicitias geras: cum eo qui omnipotens est, qui te in infernum trudere potest. Quomodo non tremis, si ad horam in peccato es? an non pacem cum Deo statuere curabis? *Reconciliatio Dei quando facta nobiscum.* Si in peccato es, cum Deo inimicitias geris, imò arma sumis, vt in Deum pugnes. In arenam vermiculus cum leone descendes? Ille similiter arma parat contra te. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit.* &c. An non tibi certa mors imminet? *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Somniat homo se è turri cadere, & angitur; Deum gladium vibrantem non pertimescet? Vera mala æterna sunt, quæ comminatur peccatori Deus. Vnicum tibi remedium est, accede ad Christi vulnera, amicitias cum Deo compone, vt pax tibi prior sit acceptâ diuinâ gratiâ, qua cum Deo in pace eris. 2. Sed non contentus, semel dixisse, *Pax vobis*; secundò idipsum repetit: quo significat pacem cum fratribus ab ipso mundo allatam, vt promiserat. *Dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum.* Hoc verò impletum est in fidelibus: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima*

Secunda pax cū proximo.

Ezech. 11.36.

vna

vna. Tanta res pax est, vt à paganis præcipuo honore sit habita, & Concordiæ ac Paci templum magnificentissimum Vespasianus ædificârit. Poetæ fingunt Mineruam, quæ oliuam inuenit, Neptuno prælatam, qui aquam adeò necessariam inuenit: quia per oliuam Pax significatur: indicantes omnium optimum Pacem esse. Nobilis Scytha Peliurus, vt filijs exprimeret pacis commoda, virgarum manipulum colligatum filijs frangere iussit: respondit filius natu maior. Singulas facilè est frangere, collectas impossibile. Tunc pater: Si diuisi fueritis, quisque vos confringere poterit, etiam imbecillis: si verò pace vniti fueritis, nullus in vos præualebit. &c. CONCORDIA ENIM RES PARVAE CRESCVNT: DISCORDIA MAXIMAE DILABVNTVR. Fideles igitur vna sint voluntate; sicut rotæ horologij maiores & minores vna voluuntur consonantia. Ad hoc verò in mundum Christus venit: hoc nos ille verbo & exemplo docuit. Hoc nouum dixit mandatum. Licet enim pacis ac charitatis vetus mandatum sit: sed huius summæ vnionis & pacis, vt sint cor vnum, & anima vna, nouum & proprium legis Euangelicæ est. Hinc Paulus. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*. Hinc Sap. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum, quod est seminare inter fratres discordias, detestatur anima eius*. Tertia verò pax per Iesum allata in mundum, quam significauit cùm 3. dixit, *Pax vobis*, est pax hominis secum, conscientiæ tranquillitas, & *pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*. Hæc pax impio non est. *Non est pax impijs. Cor impij quasi mare feruens*, quod quiescere non potest. Sicut enim tyranno principante & naturali rege spoliato, pax in regno esse non potest: semper enim proprius rex in suum locum restitui curat: ita dum appetitus in homine dominatur, ratio, quæ natura sua superior est, in suum locum redire curans, hominem discruciat. & hi sunt conscientiæ morsus. Et veluti corporis membra, diuulsa ab inuicem, corpus quiescere non sinunt, donec in suum locum vnumquodque restituatur: sic dum ratio non est in superiori, & appetitus in inferiori loco, dispacta sunt vniuersa, pax esse non potest. Si dum in lauto conuiuio esses te serpens corroderet, num tibi pax esse potest? Huiusmodi peccator est, qui dum in peccato dele-

Dio hist. Rom. lib. 54.
Blond. libr. 2. de Rom. instaur.
Suetonius in Vesp. cap. 9.
Ioseph lib. 7. de bell. Iud. cap. 24.
Plin. libr. 36. cap. 35.
Hieron. in Ioel 3.
Plutarch in Apopht. et lib. de garrulit.
Matth. 12.
Lucæ 11.
Sallust. in bello Iugurt.
Ephes. 4.
Prouer. 6.
Tertia pax Conscientiæ trãquillitas.
Philip. 4.
Isaiæ 57.

delectatur, à serpente mordetur antiquo: Pax ei esse nequit. Iusto verò pax est. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Ista pax multa complectitur. Est enim in Iusto mirus ordo ratione dominante, corpore obediente: est serenitas conscientiæ, nulla peccati grauis nube eam turbante: *Est secura mens iuge conuiuium: gaudium & pax in Spiritu sancto*: cùm *Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*. De hac pace Paulus: *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*. Deus pax est infinita, à quo in beatos pax deriuatur summa: deriuatur etiam in sanctos, qui sunt in terra: & quo quis sanctior, cò magis pace fruitur. *Pax multa diligentibus legem tuam Domine*. Dicitur verò *pax Dei*, quia ab ipso proficiscitur: *exuperat omnem sensum*, quia, vt est in sanctis, exuperat omnem sensum humanum, non habentem gratiam. Sed vt istam obtineas pacem, ineundum tibi bellum est: sine bello nanque pax ista non erit. Cùm enim hostes tibi sint, si illos non superas, pax ista tibi non erit. Princeps pacis dicit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*. Nunc gladius spiritus tibi arripiendus est, vt septem nationes debelles, Iram mansuetudine, Superbiam humilitate, Luxuriam castitate, Auaritiam largitate &c. Peruersa tibi pax est, dum appetitui subderis: *Ecce in pace amaritudo mea amarißima*. Bellum ergo cum vitijs ini, & continuò fruêris pace. Hæc vero pax exuperans omnem sensum sentitur ac præcipuè gustatur ab ijs, qui longa meditatione diuina contemplantes, *& gloriam Domini speculantes, in eandem Dei imaginem* transformantur: cùm animæ datur *manna absconditum*, quod omnem continet saporem. hoc gustato desipit omnis caro. Si cum passionibus non dimicâsti, si in oratione nihil consideràsti, quid mirum hæc non gustâsse? Si monstrum in platea esse audis, si spectaculum, vel curiositate ductus eo properas: Eadem curiositas te ducat, vt experiaris hæc, quæ audisti, vt hac pace fruaris. tunc *videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum*. & experieris pacem Dei.

Isaiæ 32. Prou 15. Rom. 14. Rom. 8. Philip. 4. D. Tho. ibid. Psal. 118. Matth. 10. Num 33. Eccl. 18. 1. Reg 15. Isaiæ 38. 2. Cor. 3. Apoc. 8. Isaiæ 60.

III Pars. Ministri vicarij Christi.

III. Videndum restat, Ministros, quos sui Vicarios Christus in terra reliquit, vt principes pacis sint, vt eam nobis restituant amissam. Hi verò sacerdotes sunt, qui-

bus

bus hodiè loquitur: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*&c. Maxima profectò verba, & quæ humanam superant credulitatem. *Sicut misit me Pater,* id est, Sicut mihi omne dedit iudicium, omnem delegauit causam; ita ego vobis meas vices do, Absoluite, Baptizate, Conficite corpus meum, vices meas in terra gerite: estote Proreges mei: quòd ego facturus essem in terra, si in ea perpetuò manerem, hoc vos facite. Quid ergò Sacerdos est? quasi alter Christus in terra, Prorex Christi Domini. Quid est Sacerdos? Est homo, cuiùs munus est Deum placare mundo iratum, & manus illius tenere, ne in mundum sæuiat: sicut Moyses fecit. Quid est Sacerdos? Homo qui custodit scientiam Dei populo, qui docet homines viam salutis, Deo conciliat, peccata dimittit, gratiam donat, cælum aperit, & in cæli reges inungit: cuius sententiam expectat cęli sententia, vt quod ille remiserit, Deus remittat. Quod ergo mundus sine sole esset, hoc sine sacerdote populus Christi. *Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.*&c cæt. Et, *Labia Sacerdotis custodient scientiam.*&c. Ecce Sacerdos pater est populi fidelis, qui condolet omnibus infirmis, qui ignorantes docet. Hoc munus Sacerdotum primus Sacerdotum Christus obiuit, orans pro vniuerso hominum genere clamore valido, ignito corde, vt saluum fieret. Et ideò qui nunc damnantur, non eò damnantur, quòd non sunt soluta eius debita à Christo: sed quia ipse ea solutione vti non vult. Sacrificium Gedeonis supra petram positum & virga Angeli tactum, igne absumitur. Accede ad Christum petram, & virga crucis tanget sacrificium tuum, & Deo erit acceptum. Hinc Petrus. *Ad quem accedentes lapidem viuum.*&c. Felices hi, qui ad hunc accedunt lapidem: fiunt enim domus Dei, sacerdotes & reges spiritales offerentes se suaque Deo. In lege veteri Deo offerebantur, nunc offer Deo corpus tuum hostiam viuam, illud mortificans, & Deo acceptam hostiam obtulisti.

Licet autem generaliter omnes simus Sacerdotes: sed aliqui nunc consecrantur in sacerdotes, qui Christi vices gerant;

1. Cor. 4. 2. Cor. 5. Chrys. lib. 3. et 6. de dign. sacerd. Exod. 7. Ecce constitui te Deum Pharaonis. Psal. 81. Ego dixi Dij estis Ber. lib. 2 & 4. De consid. Exod. 32. Ambr lib. de ijs, qui myst. initiant. Lib. 6. de Sacram. Lib. de dign. sacerd. & li. 1. de pœnit. Greg. hom. 17. in Luc. 10. Nazian. in car. ad Episc. Leo serm. 2. in nat. Petr. & serm. de transf. Hilar. can. 16 in Matth. 16. Hebr. 5. 7. Mal. 2. Iudic. 6. Exod. 17. Num. 20. 1 Cor. 10. 1. Petr. 2.

Spiritale sacerdotium. Rom. 12. Col. 3. Ministeriale Sacerdotium.

Exod. 19. gerant: sicut olim tribus Leui electa erat, vt Deo ministraret; licet generali ratione vniuersi Israëlitæ sacerdotes dicerentur. Et horum munus est, Deum placare, Christi corpus consecrare & offerre, à peccatis absoluere. Mira profectò potestas. Si vnus esset in mundo Sacerdos, quo in pretio haberetur? nunc quia plures sunt Sacerdotes, vt Dei misericordia omnibus pateat, in pretio non habetur Sacerdos & Missa: cùm idem sit eius pretium, ac si vnus esset. Moyses placat Deum pro Israel; Elias ignem & aquam de cælo descendere facit: sed Sacerdos placat Deum vniuerso mundo; ignem Deum descendere facit in terram. Qui ergo Sacerdos est, orationis dono polleat, & familiarissimus Deo sit oportet. Sed quis Christum Sacerdotem fecit? Pater. Te verò quis fecit sacerdotem? cupiditas nummorum aut cibi? non ideo sacerdotium institutum est. Vocatus igitur à Deo sit Sacerdos vel obedientia Prælati, vel maxima coniectura diuinæ voluntatis, qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Innumeros circumstare Angelos Sacerdotem consecrantem Chrys. ait: sicut magnates regem venientem præcedunt. Cum ergo videris Christum in manibus, cane cum Simeone, *Nunc dimittis*: & cum Maria. *Magnificat*, &c. & omnia pete, & omnia aude, quia in manibus tuis pretium est mundi.

Basil. lib. 2. de bapt. *Greg. lib. 4. dial. cap. 58.* *Sacerdotis dignitas.* *Chrys. hom. 22. in Act.* *Aug. lib. 20. de ciuit. Dei, c. 10.* *Leo ser. 3. in Annun. die assũ. ad Pont.* *Exod. 32.* *3. Reg. 18.* *4. Reg. 1.* *Sacerdotem quid deceat.* *Chrys. hom. 3. ad Eph. & ser. de Euch. in Encæn.* *Thom. de Kemp. lib. 4. de imit. Christi, ca. 1.*

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

THEMA: *Ego sum Pastor bonus. &c.* Ioan. 10.

Munus Christi pascere. HIS verbis post longam disputationem cum Pharisæis, concludit Christus, munus suum esse, pascere gregem domini, ipsumq; Principem esse pastorum. Huius verò figura contentionis præcessit inter Chore, Dathan & Abiron ex altera parte, & Moysen ac Aaron ex altera. Quorum contentionem dominus virga germinante discreuit: & sic manifestum factum Israëli fuit, cùm Aaronis *virga germinasset, & turgentibus gemmis flores emiserat*, Aaron summum sacerdotem & pastorem populi esse. Pastoris enim vita florere debet doctrina, moribus, mise-

Num. 16. 17. *Ioseph lib. 4. antiq. c. 2.*

misericordiæq; operibus. Christus ergo se ostendit Pastorem bonum præclara doctrina, omni virtutum flore ac fructu & cura pastorali. Conuenientissimè verò hoc Paschali tēpore proponitur hoc Euangelium, cum virga corporis anteà in passione sicca, nunc in resurrectione floruit. *Et refloruit caro mea*. In natiuitate floruit, in passione aruit, in resurrectione refloruit. Sed prius *virga* altera Maria *floruit* in tabernaculo, & fructum protulit sine virili opera. Accedamus ad eam, vt fructum gratiæ colligamus.

Clem. lib. 2. Apost. const. c. 31. lib. 6. c. 1. 2. 3. 4.
Pastoris vita florere debet.
Psal. 27.
Isa. 11.

Ante Christi Domini aduentum erat genus humanum quasi sine Pastore. Hinc Petr. *Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Et Mich. *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes Pastorem.* Quoniam licet in Synagoga prælati essent, tamen potiùs nomine, quàm re, se magis curantes quàm gregem. De qua re multis verbis expostulat dominus per Ezech. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*. &c. Et si aliquando prælatus aliquis esset iustus & bonus, vt Moyses Aaron, Dauid; non poterant plenè ac perfectè Pastoris munere fungi: nec enim gregem saluare poterant, nec vt oportebat pascere, & sanare. Misertus ergò dominus gregis sui, misit illis pastorem optimū Iesum; sicut promiserat per Ezech. *Ego saluabo gregem meum: & suscitabo eis pastorem vnum qui pascat eas, seruū meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem*. Vnde nunc ait; *Ego sum Pastor bonus*. Alia nomina posset sibi Christus vsurpare, quæ maiorem amplitudinem præ se ferrent, Posset se dicere Regem, Virtutem, Sapientiam, ac Verbum Patris, hæredem vniuersorum &c. Sed his dimissis se appellat Pastorem. Et præcipui Christi patres Pastores fuerunt. Sic fratres Ioseph Pharaoni: *Pastoros ouium sumus nos, & omnes patres nostri*. Et Dauid ipse pastor fuit. Ideò filius Dauid Pastorem se dicit, vt dilectionem & curam in homines ostendat.

Genus humanum sine pastore.
1. Pet. 2.
3. Reg. 22.
Ezech. 34
Pastor bonus nemo ante Christum.
Ezech 34.
Ierem. 23.
Pastoris nomen cur Christus sibi solū vsurpet.
Apoc. 19.
Heb. 1.
Gen. 47.
1. Reg. 16.
Psal. 88.

Vt autem *Bonus Pastor* aliquis dici possit, tribus ornari eum oportet. 1. Laborum sustinentia; quoniam pastoris munus multis laboribus obnoxium est 2, contra lupos ac feras debet esse ferox præliator, vt gregem tutetur, & vitam exponat pro illius defensione: & hinc Christus ait, Mercenarij esse fugere. 3. debet pascere & curare gregem vt indies proficiat, & cura magna suo gregi inuigilare, vt

Bonus pastor tribus ornari debet.

Luc. 2. illi, de quibus dicitur, *Custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Hæc tria in Christo domino facilè reperiemus.

1. *Laborum tolerantia.* Primùm in laboribus à iuuentute nutritus est, vt muneris sui labores sustineat. Hinc Isaias eum vocat, *Virum dolorum, & scientem infirmitatem;* & Paulus *Pontificem qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* qui scit pernoctare in oratione, & gelu æstumque sustinuit melius quàm Iacob; qui ait, *Die noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Quot sustinuit labores Christus, vt ouem perditam quæreret? Hinc per Isa. *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua, vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo.* Et rursus. *Sicut Pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtus ipse portabit.*

Psal. 70. 87. *Isa. 53.* *Heb. 4.* *Gen 31.* *Luc. 15.* *Isa 46.* *Isa. 40.*

Labor Christi in tolerandis peccatis nostris. Quantum verò ponderis ac laboris sustineat Christus, vt pastoris muneri satisfaciat, ex eò facile erit colligere, quòd te sustinet, cùm innumera in eum commiseris peccata. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.* Non est amicus, non pater, non mater, qui tot sustineant offensas: & cùm vniuersa in vnum Deum admiseris, te sustinet, te diligit *bonus* hic *pastor.*

Rom. 2.

2. *Dilectio ouium & tutela.* Secundum verò Christum præstare manifestum est. Diligit enim oues suas, & animam suam dat pro ouibus suis; & vt eas defendat à bestijs, non solùm se periculo exposuit vt Dauid, qui leonem aut vrsam, *cum tollerent arietem de gregibus*, percutiebat & suffocabat: sed vitam profudit libenter: Et nunc à lupis & feris gregem suum tutatur præclarè. *Passio Christi summum in nos beneficium.* Summum Dei in nos beneficium passio Christi fuit, qua inimicos nostros superauit. Oportet verò hoc beneficium passionis Christi à memoria nostra non excidere, ne de nobis dicatur: *Obliti sunt benefactorum eius.* Hoc Ecclesiæ munus est, in memoriam reuocare nobis Dei beneficia, ne illorum obliti, ingrati inueniamur. Cùm verò præcipuum sit passio Christi, qua nos eripuit è potestate dæmonum, hoc nobis sæpissimè proponit. *Beneficium citò in hominum memoria veterascit.* Nam quod citius veterascit in hominum memoria beneficium est, quod ipsi collatum fuit. Christus quidem adeò magnificus est, adeò nostri amantissimus, vt quasi obliuiscatur omnium, quę passus est, quasi nihil illa fuerint; quia dilectione plura pati paratus erat pro nobis: nostri verò plurimū interest, si eius recordemur; hoc e-

1. Reg. 17. *Psal. 77.*

hoc enim omnium bonorum nobis initium & causa extat. Hinc ergò Christi Pastoris ponderemus amorem, qui se in ouem transformauit homo factus, vt nos post se duceret, & à potestate luporum eriperet: quin & vitam & sanguinẽ pro ouibus dedit. Si oblitus es, ô homo, Christum Dominum ac Deum esse, saltem vt seruum intuere: *quia venit ille ministrare, & non ministrari, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Ecce Christi ministeriũ: *Animam suã dat pro ouibus suis.* Quod ministerij genus inauditum est, *vt animam suam det redemptionem pro multis*: & tãto affectu diligit, vt nõ solùm sua, sed & se, & cor, & animã ouibus dare paratus sit. Sed Pastori Christo nullus valet conferri, qui non solùm pro ouibus vitam dedit, sed & pro non ouibus, vt oues faceret. Est enim Pastor ille, *qui relictis 99. ouibus*, venit quærere errantem, qui clamabat; *Erraui sicut ouis, quæ perijt. Maiorem quidem hac dilectionem nemo habet, quã vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* At Christus *commendat charitatem suam in nobis, quòd cùm adhuc inimici essemus, pro nobis mortuus est* Christus ergo, vt oues à lupis protegeret, vitam amisit; & sic dæmones à nobis compescuit. Nec verò solùm moriens lupos ab ouili abegit: sed & nunc omnes bestias propulsat. O pastor optimè, quoties persecutus es leones & vrsos, similis factus Dauidi; & animas, quas in ore tulerant, eripuisti? Iam *per te ad nihilum redactus est inimicus noster.* sicut ipse dæmon Antonio cõfessus est veritate compulsus. Bestias etiam. i. vitia ac peccata hic pastor bonus propulsat, dum victoriam confert contra ea. Cùm longè es à peccato, gratias age pastori huic, qui bestias abegit procul. *Mercenarius autem, & qui nõ est pastor. &c.* Pastorem simulatum Christus nunc describit, qui indignus est Pastoris nomine. *Cuius non sunt oues propriæ*, quia per charitatem interius eas non parturiuit, sicut Paulus. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Ideo *fugit*, quia non ouium bona quærit sed sua: ideò periculo se non exponit. *Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murum pro domo Israel.* De quibus Hier. ait. *Mercenarij eius, qui versabantur in medio eius, quasi vituli saginati versi sunt, & fugerunt simul, nec stare potuerunt.* Debuerunt verò stare pro populo, sicut Aaron, qui se igni opposuit. Non est pastor, qui id non præstat, sed quasi pastor.

Pastoris amor erga nos summus.
N. B.
Matth. 20.
Pastori Christo nullus cõferendus.
Luc. 15.
Psal 118.
Ioan 15.
Rom. 5.
Ezech. 34. Cessare faciã bestias à terra.
1. Reg. 17.
Athan. in vit. S. Anto.
Pastor Christus bestias abigit.
Mercenarius pastor simulatus.
Gal. 4.
Ezech. 13.
Hier. 46.
Num. 16.

Hanc verò malorum paſtorum figuram exprimere dominus voluit, dum paſtorem ſtultum repræſentari voluit quaſi in comediâ à Zacharia, qui ait. *Et dixit dominus ad me. Adhuc ſume tibi vaſa Paſtoris ſtulti*.i.ſume vniuerſa ornamenta paſtoris, qui gregem non cuſtodit, & perſonam illius age. Sed quid agit ſtultus Paſtor. *Derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, contritum non ſanabit, id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. O paſtor & idolum derelinquens gregem*. Multi huiuſcemodi paſtores hodiè ſunt.

Prou.1.31. *Eccle.7 30.* *Paſtores ſũt omnes homines.* *Aug.tract 51 in Ioan 12.* *1.Reg.2.* *Gen.18.*

Sed ne dicas, Ego paſtor non ſum. Si filij tibi ſunt, ſi familia, paſtor etiam es: grex tibi eſt, quem paſcere debes & cuſtodire. Putas à te rationem non exigendam, quomodo proles & familiam paueris? An non Heli carpitur & punitur, quòd filios non corripuerit? An non Abraham laudatur, quia præcepit familię ſuę, vt Deum timeat? Curà ſne vt filij & miniſtri Deo ſeruiant, peccato non consentiant, in virtute proficiant? Vide ne *vngulas diſſoluas*, id eſt, impedimento ſis ne oues ambulent, ne in virtutis via procedant. Verè *paſtor & idolum* eſt, qui ſuos non curat: *mercenarius eſt, et non paſtor* Sed iam Chriſtus dominus iterum repetit ſe paſtorem, dicens, *Ego ſum Paſtor bonus*. quia verba hæc ſummè conſolantur fideles: ſicut Aſſuerus verba conſolatoria repetit Heſter.

Paſtor & idolum. *Heſt.15.*

III. Tertiò verò oſtendere volens curam quam erga oues habet, quod tertium eſt boni paſtoris, ait, *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ ſicut nouit me pater, & ego &c.* Cognoſcere, cùm Deo tribuitur, ſignificat diligere, benefacere, curare. Hinc Paul. *Cognouit dominus qui ſunt eius* i agnoſcit ſuos, benè eis faciens, de eis curans. Et, *Tantummodo vos cognoui de omnibus cognationibus terræ*. Cùm verò hoc verbum tribuitur creaturæ, ſignificat eſſe gratum. Sic Iſa. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum* id eſt, etiam bos peſſeſſori ſuo gratus eſt. Nunc ergò Chriſtum oues agnoſcere, eſt diligere eas, eis benefacere, eas curare Oues verò Chriſtum agnoſcere, eſt illum diligere, ei obſequi.

Cura paſtoris erga oues. *Cognoſcere Dei quid.* *2.Tim 2.* *Amos 3.* *Cognoſcere hominum quid ſit.* *Iſa.1.*

Chriſtus ergo oues ſuas cognoſcit, qui eas elegit, & prædeſtinauit, & dilexit ab æternitate: vnde Paul. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. quod beneficium origo eſt reliquorum bonorum, *Quos prodeſtinauit, hos et vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos*

Chriſtus quomodo oues cognoſcat. *Eph.1.* *Rom.8.*

illos & magnificauit, & glorificauit tandem. Hæc ergò cognitio est firmum Dei decretum, quo statuit te in gloriam adducere. Hinc innumera bona ouibus curat Christus. 1. nunquam oues deserit: *Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consummationem seculi;* secundùm humanitatem in diuinissimo Eucharistię Sacramento: secundum diuinitatem oues suas speciali prouidentia regit, adeoq; præsens est animæ iusti, vt eam nunquam deserat in tentatione, in tribulatione, in cõsolatione, & deniq; vbiq; & in omnibus ei adest. 2. Pascit oues suas in vberrimis Sacramentorum pascuis, pręcipuè verò diuino corpore & sanguine, vbi pastor pascens fit cibus ouium. Quis vnquam pastor adeò dilexit oues suas, vt se daret in cibum, & sanguinem suum in potum ouibus? Nullus nisi Christus, qui similis factus est Pellicano, qui proprio cruore pullos pascit. Quo cibo pingues sunt oues Christi, vt dicant; *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea* &c. Lætæ sunt, hilares, deuotæ, & lachrymis lotæ, fæcundæ sunt, & fructibus abundant iustitiæ. 3. Baculus Christi pastoralis Crux est, in quo velut alter Iacob transiuit Iordanem, & in eo tam feliciter munus pastoris obiuit, vt regrèdiatur cum duabus turmis. Verè Christus *bonus Pastor* est, optimus pastor, *princeps pastorum*.

Cognitio Dei quid sit. *Bona quæ Christus ouibus procurat.* *Præsentia Christi.* *Pabulum Christi.* *Greg. hom. 14. in Euan.* *Io. 10.* *Regimē Christi.* *Gen 32.* *1. Pet 5.* *Heb 13.*

Restat, si oues Christi sumus, vt eum nos agnoscamus, ei obtemperemus, & gratos nos ei exhibeamus. vt illud impleatur; *Et cognoscunt me meæ.* Taurus ferox paruulo puero obedit; quia paruulus eum ducit & reducit ad pascua & aquas. Nos ergò agnoscamus pastorem nostrum: hoc enim signum est, nos illius oues esse. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Hanc verò Dei vocē præcipuè audire tenemur, ex quo pastor noster ascendit crucem, vbi *voce magna clamans emisit spiritum.*

Ouium officiū Christū agnoscere. Simile. *Chrys. hom. 69. in Acta Apost.* *Signum verarū ouium.* Simile. *Matth. 27.*

Sicut enim ouibus dispersis pastor ascendit in montem, & inde clamans vocat oues suas, vt eum accedant: sic Christus vt filios Dei dispersos congregaret in vnum, in crucis fastigio positus clamauit voce magna; donec *raucæ factæ sunt fauces* illius. Cauendum verò nobis & timēdum, si hanc vocem non audiamus, ne fortè pastor bonus derelinquat nos, dicatq; illud. *Non pascā vos. quod moritur, moriatur* &c. Et illud: *Eijce eos à facie mea, & egrediantur.* &c. Dum in manibus pastoris fueris, securus eris: si ab eo

Hebr. 5. *Clamat Christus oues.* *Psal. 68.* N. *Zach. 11.* *Ierem. 15.*

recesseris, in luporũ manus deuenies, vbi miserè peribis.

Ostendit vero Christus, quomodo ille cognoscat oues suas, & ipsæ illum agnoscant. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem.* quasi dicat. Ea cognitio, quam ego habeo de ouibus meis, & illæ de me, similis est cognitionis, qua Pater me agnoscit, & ego Patrẽ. Sicut enim hæc spiritualis est, ita & illa. Hinc Paul. *Et si cognouimus Christum secundùm carnem, sed iam non nouimus,* scil. secundum carnem. Prçterea sicut cognitio Patris & Filij nõ est sterilis, sed amoris & dulcedinis plena, ex qua infinitus ꝓcedit amor Spiritus S. ita cognitio, qua Christus agnoscit oues suas, dulcissima est, amoris plena, & quasi pater in filio cõplacet. Sic verò oportẽt, vt Pastor gregem suũ agnoscat. Attende Pauli dulcedinem in oues suas. *Optabam & ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Felix, qui sic à Deo cognoscitur. Ad Moysen ait: *Noui te ex nomine.* Ouis verò Christi non solũ eum agnoscat fide sterili, sed affectu multo. Pharao aiebat, *Dominũ nescio:* Pij verò Dẽũ agnoscũt & diligunt. Hier. *Omnes cognoscẽt me à minore vsq; ad maximũ.* Et Os. *Viuemus in cõspectu tuo: sciemus et sequemur te.* Adijcit verò bonus Pastor.

Cognitio Christi de ouibus amoris & dulcedinis plena. 2 Cor. 5. D. Thom.

Pastoris hominis munus. Rom. 9. Chrys. hom. 16. in Rom. 9. Exod. 33. Exod. 5. Ierem. 13. Ose. 6.

Alias oues habeo. &c. Mirum futurum gregem Isa. prædixit. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Grex huiuscemodi visus non est, donec paruulus Deus factus illũ coniũxit. Gentes enim & Iudços, pauperes & diuites, sapientes & insipientes, nobiles & ignobiles in eodem ouili constituit, & inter eos pacem statuit, vt sibi non noceant. *Fecit* Christus *vtraq; vnum & parietem inimicitiarum dissoluit,* vt relictis ritibus suis in vnam congregarentur Ecclesiam. *Ipse ædificabit templum domino, & consilium pacis erit inter illos duos,* Iudæos & gentes; & *filios Dei dispersos congregabit in vnum. Et non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna: & seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit eorum omnium.* Sicut ergò Christus vnum efficit ouile ex pluribus & diuersis: ita omnis rectæ gubernationis finis est pax & vnitas ouium. Hanc verò prælatus omninò curare debet, & gregem pascere Christi exemplo, ponens non substantiam solùm, sed & vitam pro ouibus. implens illud Petri. *Seniores ergò, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi passionum &c. pascite qui in vobis est gregem Dei, prouiden-*

Grex Christi mirabilis. Isa. 11. Eph. 2. Zach. 6. Ezech. 37. *omnis rectæ gubernationis finis.* *Cura pastoris à Deo vocati.* 1. Pet. 5.

tes non coactè sed spontaneè secundùm Deum; nec turpis lucri gratia, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarceßibilem gloriæ coronam.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

THEMA: *Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. &c.* Ioan. 16.

IN hodierno Euangelio pijs laborantibus consolatio proponitur. Ea est, omnium laborum ipsorum terminum esse lætitiam, & cito finiendos esse labores, vt sint *spe gaudentes, in tribulatione patientes* Solet amantissimus pater in regionem longinquam profecturus, vt filios consoletur proponere commoda & vtilitates, quæ illis obuentura sunt deinde se breuem moram facturũ, & cito rediturũ, vt eum cum gaudio videant: sic Christus vidẽs ob discessũ suum discipulorũ mærorem, quos paterno diligebat affectu, multis consolatorijs verbis vtitur, ostendens primùm vtilitates discessus sui, quòd præparaturus locũ iret, quòd Spiritum sanctũ missurus: deinde non diu abfuturũ, vt cũ gaudio illum iterũ videant: de quo hodiè in Euangelio, dicens, *Modicum & non videbitis me* Summa nũc dulcedine eos alloquitur, potius matrem agẽs quàm patrem: sicut & alibi. *Filioli mei adhuc modicum tempus vobiscum sum.* non satis illi erat dicere filij; sed filioli, quod dulcius est, & à dulcissimo corde profectum. Sic consolata est Rebecca filium Iacob: *Nunc ergò audi, fili mi, vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum, habitabisque cum eo paucos dies* &c. Sic Christus suos consolatur, *Modicum tempus erit* quo *non me videbitis*; citò laborum finis veniet, & *tristitia in gaudium vertetur*. Ostendit itaque Christus exitum iustorum, & finem laborum felicem esse, à quibus liberi euadẽt, sicut Israël à mari rubro: dolores enim illorũ dolores sunt parturietis, quorũ finis filius est & gaudiũ: nõ sic iniquorũ, quibus nulles respõdet & fructus: nã *inutilia*

Consolatio piorum.
Rom, 12.
Simile.
Ioan. 13.
Gen. 27.
Iustorum laborum finis lætitia.
Exod. 14.
Iniustorum laborum finis tristitia.

Sap. 7. *lia opera eorum, & labores eorum sine fructu.* Hæc in Euangelio videamus.

Tempus luctus & gaudij.

Modicum & iam non videbitis me. & cæt. Hæc verba dupliciter accipi possunt. 1. modicum tempus restat, post quod non videbitis me, vel à passione ad Resurrectioné, vel à Resurrectionis tempore ad Ascensionem; & sic solis Apostolis conueniunt. 2. vt per tempus luctus intelligatur tempus præsentis vitæ, quod est doloris & pœnitentiæ: tempus verò gaudij sit tempus futuri seculi, in quo absterget Deus lachrymam ab oculis sanctorum. & sic sensus est: post modicum non me videbitis; quia in cælum conscendam: & post modicum iterum videbitis me, in morte vel iudicio.

Aug. tract. 101. in Ioan. Cyrill. lib. 11. c. 3. in Ioan. Chrys. hom. 78. in Ioan. Theophyl. in Ioan. 16.

1. *Passionis tempus modicum.*

1. Tempus passionis modicum dicitur à Christo. 1. quia modico tempore voluit esse mortuus, non multo: quia mors fuit illi volũtaria ad satisfactionem pro peccato humani generis, & vt mortem vinceret, non nisi mortuus esse paruo tempore conueniens erat: ideò pater filio loquitur: *Abscondere modicum, donec pertranseat indignatio.* Sicut ergo modico tempore siccitas relicta est in mari rubro, & in Iordane, vt pertransiret Israël; ita modico tempore Christus mortuus est & sepultus. 2. tempus modicum dicitur à Christo tempus passionis præ amoris magnitudine; sicut Iacob dies pauci videbantur quatuordecim anni, vt Rachel sponsam haberet. Patitur Christus pro Ecclesia, vt *exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam*: ideò modicum dicit. Omnis enim dolor Christi, eius charitati comparatus, guttula est mari comparata. Sed attende, quàm desides à Christo nos simus. Ille modicum dicit omne, quod pro nobis sustinet: nos verò si aliquid pro eo facimus; non modicum sed maximum esse putamus. Vnde dicimus: quis tantum ferat ieiunium? tot tribulationes? Magna tibi videntur, quæ agis & pateris? parùm diligis. Vis non fatigari? *Recogitate eum, qui talem à peccatoribus sustinuit contradictionem, vt ne fatigemini.* &c.

1. *Passio voluntaria ad satisfactionem.* *Isaiæ 26. D. Thom. 3. p. q. 53. ar. 2. Exod. 14. Iosu. 3.*

2. *Passio voluntaria ex amoris magnitudine.* *Gen. 29. Ephes. 5.*

N. B. *Desidia hominum in patiendo.*

2. Deinde obserua, valdè diuersum esse modicum, & modicum: mortis enim modicum tempus durauit per quadraginta horarum spacium; tempus verò resurrectionis per quadraginta dies. Cuique ergo horæ luctus dies lætitiæ respondit: Quia in Dei domo plus datur conso-

N. B.

2. *Modicum et modicum in*

consolationis quàm luctus. Hinc Isa. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui* Et ratio est. Quia proprium Dei est misereri, & bona præstare; & ideò hac in re multũ consumit temporis. Contra dæmon & mundus, si vnum diem tibi concedunt dulcem, mille tibi dant mœroris plenos. *Mihi ergo adhærere Deo bonum est: quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia:* & ideò, *elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Christo diuersa.
Plus consolationis quàm luctus à Deo.
Isaiæ 54.
Plus mœroris quàm gaudij à dæmone.
Psal. 72.
Psal. 83.

III.
Vicißitudo lætitiæ & tristitiæ.

Tertiò attende, quomodo se Deus cum suis habeat: iam abscondit se, iam manifestat; iam tribulat, iam cõsolatur. Sicut enim temporis vicissitudo necessaria est fructibus percipiendis, dies & nox, hyems & æstus: sic ad fructus animæ, spiritualis recessus & accessus solis iustitię iuuat maximè *Visitas eum diluculo & subitò probas illum. Post tempestatem tranquillum facit, & post lachrymas exultationem infundit.* Qua in re curam in suos maximam Christus quoque ostendit; etsi aliquando ab eis recedat, continuò tamẽ eum reuerti, & summo eos gaudio afficere. *Consolabitur ergo dominus Sion.* &c. Iustus similis est arbori, quę in hyeme folijs & floribus nudatur; sed vere eis ornatur, & florescit denuò. Impij exspoliantur lætitia, sine vlla spe recipiendi eam. Longè ab eis recedit Deus; non modicùm, sed in æternùm Sed dominus à iusto, quem diligit, modicum recedit, vt fides eius probetur, & fidelitas eius apareat. Rege præsente pauci rebellant: eo absente fides probatur diligentium eum. Non sic impij, qui si parùm à Deo relinquantur, continuò eius obliuiscuntur, & in eum peccant. Sic Ioram filius Achab fame oppressus Elisæum vult occidere. Sed domine, quomodo dicis, *Modicum & non videbitis me?* Si absens es, licet paruum videatur tempus, non modicum, sed multum est; *Accelera ergo, vt eruas me.* Hinc Hier. *Recordare mei & visita me.* &c. noli domine tanta vti patientia. Mirum profectò est, quàm velimus Deum patientem esse in peccata nostra, vt ea non vlciscatur: nolumus tamen patientem esse, vt nobis succurrat. Scito ergò expectare dominum, cito veniet: *Modicum & videbitis me:* ne animo deficias.

Simile.
Iob 7.
Iob 3.
Cura Christi in suos maximà.
Isa. 51.
Simile.
Psal. 1.
Modicum à iustis longè ab iniustis Deus recedit.
Ratio probationis.
Simile.
4. Reg. 6.
Bern.
Psal. 30.
Hier. 15.
Deus expectandus in visitando sicut in tolerando.

IIII. *Vita nostra modica est.* *Sap. 2.* N. *Gen 47.* *Iob. 14.* *Velocitas vitæ.* Similia. *Impiorum ex breuitate vitæ fructus.* *Sap. 2.* *Iustorum ex breuitate vitæ philosophia.* N. B.

IV. Inspiciendum nobis est, *Modicum* dici vitam nostram, & omnia, quę in illa sunt, modica sunt quod etiam impij fatentur: *Exiguum est, & cum tædio, tempus vitæ nostræ.* Si esset modicum & bonum leuius haberemus: sed est modicum & malum, & cum tædio, hoc est dolendum Iacob ait. *Dies peregrinationis meæ 130. anni sunt, parui & mali.* Audi Iob. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miserijs* Videris, ô homo, tibi consistere, sed verè in mortem properas velocius quàm nauis prætervolans, quàm aquila volans ad escam, quæ quàm citissimè descendet. Verè modicum vita hæc est, & modicum omnia, quæ hic sunt. Sed quid impij colligunt ex eo? *Venite aiunt, fruamur bonis,* &c. Iusti verò ex eo, quod nunc Christus ait, *Mundus gaudebit,* colligunt, vt pœnitentiam agant, & lugeant; *Vos contristabimini.* Transibit modicum hoc, quid tunc iustis & iniustis reliquum erit? Iniustus sibi coaceruat iniquitates, quibus in æternum ardeat: iustus bona opera, quibus æterna mercede donetur. Tempus vitæ nostræ modicum quid est, quo nos contristari oportet, pœnitentiamque agere: veniet citò tempus, quo inæternum gaudeamus, & *tristitia* nostra *vertetur in gaudium* Si enim hic gaudere velimus, inæternum dolebimus & flebimus.

V. *Christus veritas interrogandus.*

V. Non *intelligebant discipuli, quid hoc modicum esset,* ideò Christum *interrogare voluerunt.* Ad hoc venit in mundum Christus veritas, vt eum interrogemus: nam peccati effectus ignorantia est. hinc omnes eum interrogant. Et tu ergò interroga eum, disce ab eo. *Quid est hoc, quod dicit modicum?* Respondet cælestis magister. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit:* Sed non ideò infelices dicas iustos, quia plorant. quia *Beati qui lugent.* Non loquitur de lachrymis pro amissione temporalium fusis: hæ enim beatæ non sunt: de hac dicitur; *Spiritus tristis exsiccat ossa. Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi* Iusti edocti à Deo mundum esse vallem lachrymarum, locum exilij, pœnitentiæ & doloris, norunt gaudium non esse fructum huius temporis, sed venturi: ideò plorant, tum propter peccata præterita, tum propter negligentias præsentes; & in cælum suspirant, & Deum desiderant. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi*

VI. *Iusti non sunt infelices cum plorant.* *Matth 5.* *Prou. 17.* *2. Cor. 7.* *Prou 25.* *Mundi delicea to à iustis.* *Lachrymæ iustorum.* *Psalm. 41.*

vbi est Deus tuus. tum etiam videntes aliorum peccata dolent. Hæ sunt iustorum lachrymæ, quæ Angelis vinum sunt, eos lætificans. Beati qui sic lugent. de quibus Christus hic ait, *plorabitis & flebitis vos*. Sed num hi sine consolatione manebunt etiam hic? Absit: *tristitia vertetur in gaudium*. qui terrenam reliquit consolationem, cælestem accipiet, non in altera vita tantùm, sed & in hac. Hinc Psal. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Et Paul. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Si ergò cælesti non abundas consolatione, caussa est, quod terrenam non reliqueris. Hac nos astutia dæmon fallit, non nobis ostendit vniuersum statum peccati & virtutis; sed vt decipiat solum ostendit peccati gaudium, & virtutis tristitiam: non ostēdit, *quomodo extrema gaudij luctus occupat*; quomodò tristitia iusti vertitur in gaudium. Si enim vniuersorū statum ostenderet, non nos deciperet. Caue ergò, ne te sic deludat dæmon; considera non quod initio rerum est, sed quod in fine. Quis vnquam domum emit solummodò ianuā illius videns, & non totam inspiciens? ne ergò solùm conspicias peccati ianuam, quæ pulchra est: *Vidit enim mulier lignum, quod esset pulchrum visu, aspectuq; delectabile*, & nihil amplius considerans comedit: si intus ingrederetur, videret peccati venenum, eius amaritudinem. Vas aureum est peccatum, sed plenum abominatione, absynthio, atque veneno. Vnde enim putas stupēdum hoc mundo contingere, vt rideat & gaudeat? Peccator *mundus*, ait Christus, *gaudebit*. Quanam de re gaudeat? Certè Pharisæi inde lætati sunt, quòd Christum occiderunt, & *exultârunt in rebus pessimis*. Fierine potest, vt cum in peccato sis, lęteris? audi Prophetā. *Noli lętari Israel, quia fornicata es à Deo tuo*. In Deum peccasti, & rides? Deum amisisti, & gaudes? Stultus es, dementatus es. Si ergò Deum amisisti, fac tibi planctum quasi super vnigenitum, sicut Iacob super Ioseph amissum.

Consolatio iustorum in hac vita.

Psalm 93.

2. Cor. 1.

Consolatione cælesti non abundās terrenam non reliquit.

Dæmon peccati et virtutis statū celat.

Prou. 14.

Finis attendendus.

Simile.

Exemplū.

Gen. 3.

Simile.

Mundus gaudet in pessimis.

Pro. 2.

N. B.

Os. 9.

Gen. 37.

VII. Prætereà *plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit*. Plorat iustus tanquam exul, quia *dum sumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino*. Cùm absens à Deo sis, quomodo non ploras? Et prætereà sicut tristatur viam agens, & nesciens an rectâ incedat via: sic nos *nescimus, an odio vel amore*

Iustus plorat vt exul.

2. Cor. 5.

Simile.

Eccl. 9.

amore dignissimus. Vanissimè verò in temporalibus lætatur. *Risum reputari errorem: & gaudio dixi, quid frustrà deciperis?* Est enim eius gaudium simile gaudio auis, quæ laqueo detinetur, & esca illius potitur; & piscis escam traijcientis cum hamo: sic ille est, qui delectatur morte afficiendus æterna. Hanc Isa. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* &c. id est, decreuerunt peccare, & opere impleuerunt peccatum. Oua aspidũ alba sunt, & exterius pulchra; intus verò veneno plena, quæ qui rumpunt, & comedunt, pereunt miserè. Huic similis est omnis peccatorum delectatio, exterius pulchra, intus plena veneno mortifero. Peccatorum consilia telis aranearum mirè comparat nam sceleratorum consilia licet subtilia videantur, vana tamẽ sunt vt aranearum telæ. Cor humanum textrina est: hîc homo telam orditur, sed Deus eam mox resecat. Quot telas orditur superbus diues? sed mors eas omnes facilè scindit. Ne ergò delectationum specie fallaris; vide, quid intus sit, & dices, non emo tanti pœnitere. *Creaturæ Dei in muscipulam sunt pedibus insipientum.* Vidisti pulchritudinem mulieris, concupiuisti? illaqueatus es. Vidisti aurum; concupiuisti? captus es. Ne ergò vanè in his læteris, ne de te dicatur. *Mundus autem gaudebit.* Et illud considerandum est; omnia, quæ nunc sunt, modicum esse: modicum tribulatio iusti est, modicum delectatio peccatoris, ne ergò modica magna iudicemus. Vis hoc videre modicum? *In quo exultabitis, modicum si nunc oportet contristari in varijs tentationibus.* Et iterum: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam gloriam suam, in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet.* Cùm in æternitate fuerimus, videbimus, quàm breue hoc modicum sit, instar puncti. *Modicum* ergò dicitur tristitia iusti, & gaudium peccatoris; quia solùm durat per hanc vitam, quæ verè modicum est. *Quæ est enim vita vestra? Vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Et Sap. *Numerus dierum homini centum anni: quasi guttæ aquæ maris deputati sunt; & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui.* Benè eam dixit, guttam maris, quæ parua est, sed amara, ita vita nostra parua & amara. *Breui viuens tempore repletur multis miserijs.* Breuem fecit hanc vitam Deus, vt quasi rem modicam parum curaremus de ea. Et tamen

Eccl. 2.
Gaudium peccatoris.
Simile.
Isa. 59.
Simile.
Peccatorum delectatio intus venenata, exterius pulchra.
N. B.
Sap. 14.
Modicum et modicum in iustis et iniustis diuersa.
1. Pet 1.
1. Petr 5.
Aeternitas modicum vitæ ostendit.
Vita instar puncti.
Vita Vapor.
Iac 4.
Eccl. 18.
Vita nostra gutta maris.
Iob. 14. 1.
Breuis vita nostra, vt eam parum curemus.

tamen homines sic in ea radicari volunt, quasi perpetua 2.
futura esset. 2. Breuiauit etiam eam, quia cum plena sit *Breuis vita,*
laqueis, doloribus & malis, oportuit eam breuem esse: *quia plena*
sicut aspera via si breuis sit, non ita affligit. 3. breuem fe- *malis.*
cit; quia se quasi solum reputat, donec nos secum in cæ 3.
lo habeat; tanto nos amore prosequitur, quia *delitiæ* *Breuis vita,*
eius esse cum filijs hominum Hinc orat Christ. Pater, *quos de-* *vt citò cum*
disti mihi. volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant *Christo si-*
claritatem meam, quam dedisti mihi. Sicut ergò Ioseph aliquã *mus.*
diu fratres durè tractauit, sed tandem *se cohibere non pote-* Pro.8.
rat vltrà, eleuauitq; vocem suam cum fletu, et ait, Ego sum Ioseph Ioan.17.
frater vester, & amplexatus, & osculatus est eos: ita Christus *Gen.45.*
licet nunc durè nos tractet, sed non diu, non poterit se co- Simile Al-
hibere, quin infinitæ charitatis suæ viscera nobis osten- legoricum.
dat, infinita in cælo largiatur bona.

VIII. Sed hanc iustorum tristitiam & lętitiam Chri- *Parientis*
stus explicat exemplo parientis mulieris, dicens. *Mulier* *mulieris cõ-*
cum parit, tristitiam habet primò. Doluerunt Apostoli de *paratio.*
Christi morte tanquam parturiens mulier. Sicut enim in Simile Eu-
partu filius, qui doloris causa est, posteà lętitiam efficit: sic angelicũ.
Christi mors fuit Apostolis mœroris causa, quæ posteà *Chrys. hom.*
gaudij & resurrectionis causa fuit. In resurrectione Chri- *78. in Ioan.*
stus, quasi per partum nouus homo in mundum prodijt. *16.*
Et non dicitur, quia natus est sibi filius, sed quia *homo na-* *Act.13.*
tus est in mundum, qui est Christus, de cuius resurrectione *Psalm.2.*
Paul. interpretatur illud, *Ego hodie genui te.*

2. Præsens iusti vita, partui similis dicitur conueni- *Iusti præsẽs*
entissimè. Initium enim vitæ iusti partus est: vita ip- *vita partus*
sius partus est, mors denique partui simillima est. Ini- *est.*
tium iustitiæ pænitentia est, qua homo renascitur. 1.
Tunc partus ille est. De quo Isa. *Sicut quæ concepit, cum ap-* *Pænitentia*
propinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic *initum iu-*
facti sumus à facie tua Domine. Concepimus, & quasi partu- *stitiæ.*
riuimus, & peperimus spiritum salutis. Attende conuer- *Isa.26.*
sionis tuæ modum. Concipis à facie Domini, cum re- *Conuersionis*
cordatus Dei tui, mortis, iudicij, & inferni timorem *nostra mo-*
concipis. Crescit hic fœtus intra te, & hac parte nolles *dus.*
peccata dimittere, illa verò parte Deum times; ibi *dolo-* *Psalm 47.*
res vt parturientis, ibi anxietas. Quod erit horum dolo- *Dolorum re-*
rum remedium? Quidam nolunt partum perficere, de *medium in*
quibus Isa. *Venerunt filij vsque ad partum, & non est virtus* *conuersione*

Isa 37.

Pœnitentiũ discrimen.

N. B.

Simile.

pariendi. Timent egredi à peccato, à captiuitate in libertatem, à tenebris in admirabile lumen Dei. Sicut ergò si filius non nascitur, in vtero moritur, & matrem interimit: ita si conceptum à facie domini spiritum non pepereris, mortem tibi æternam parat. Quidam verò non omninò occidunt intra se hunc Domini spiritum, sed eius partum differunt, in longum confessionem differentes, qui similes sunt Echino, animali acuto ac viuaci, hac vna tamen in re ignoranti, quòd partum differat, vt crescente interim fœtu maxima cum difficultate, pariat sic qui Confessionem differunt, quæ partus quidam est. Concepisti, ô homo, à facie domini? sicut quæ concepit, partui appropinquans *dolens clamat*, nec requiescere potest, donec pariat: ita tibi requies non erit, donec spiritum salutis parias, donec peccata dimittas, & Deo adhæreas. 2. Ipsa etiam iustorum vita similis partui est. Parit enim iustus bona opera & merita in vitam æternam, quam expectat, vt mulier partum. Hinc Proph. *Dole & satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de ciuitate.* Hoc latè Paulus explicat. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, &c. ostendit partum ipsum, dicens, quòd *creatura*, id est, iustus (*Voluntariè enim nos genuit verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*) *subiecta est vanitati* i. dolori partus propter spem futuræ gloriæ: quia *liberabitur* ab his, quando peperit fructum æternitatis. Omnis ergò iustus *ingemiscit & parturit vsque adhuc*, quia multi gemitus eius propter mala, quæ patitur; & propter difficultatem in bonis, quæ agit, & propter bona, quæ sperat. Pateris igitur, ô homo, multa? laboras, dum virtutis opus præstas? ne mireris, si quasi parturiens doleas. Tempus nũc partus est, finietur labor partus, & tale gaudium intrabis, vt *non memineris pressuræ propter gaudium*, quod tantùm est, vt non solùm dolorem tollat, sed à memoria auferat. Tam ingens est patriæ gaudium, vt beati dicant: *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores*: & cum Ioseph. *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum in terra paupertatis meæ.* 3. Mors iusti similis partui est. Parit enim illum

Dilatio confessionis periculosa in pœnitentibus.

Simile

Pier. in Hierogl. Bas. lib. 9 Hexaëm. Ambr. lib. 6. c. 4.

Confessio partus est.

2. *Vita iusti partus est.*

Mich. 4.

Rom. 8.

Iac. 1.

Gemitus iustorum multi in hac vita

Bern.

Lachrymæ pœnitentiũ vinum Angelorum.

Gaudij magnitudo obliterat tristitiam.

Isa 63.

Gen. 41.

3 *Mors iusti partus est.*

lum Ecclesia æternitati. Qua ratione Sanctorum mors natale dicitur, quia tunc verè nascuntur æternæ vitæ. Noli ergò mortem pauere, si iustus es. Quoniam sicut puer nascens ex angustijs vteri materni procedit in amplissimum mundum: sic *in mundo pressuram* iustus habet: in cælo verò aberit pressura omnis, & omnis fugiet dolor. *Natalis Sanctorum.* *Simile.*

IX. *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* id est, *Gaudium*, quod nunc habetis de mea corporali præsentia, *tolletur à vobis*, per Iudæos in mea morte: sed *gaudium* vobis futurum est post meam resurrectionem, & cùm Spiritum sanctum acceperitis, hoc erit internum, & *nemo à vobis tollere poterit.* de quo Petrus. *Credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata.* De hoc & Psalmista. *Beatus populus, qui scit iubilationem.* Iubilatio est lætitia inenarrabilis, quæ sentiri, explicari non potest. Iustorum autem gaudium dicit Christus *Vestrum*: quia cùm res mundi à nobis tolli possunt, gaudium quoque illarum tolli tur: vnde nec illæ omninò nostræ sunt, nec gaudium earum nostrum est. At spiritus sanctus & illius gaudium, nostrũ dicitur; quia nullus à nobis tollere potest diuinũ spiritum; nec gaudiũ, quod ab illo proficiscitur. Quod si homines tanto studio quærunt bona immobilia, & census perpetuos: quomodo non quæres tibi hoc infinitum bonum, Spiritum sanctum & eius gaudium, quod nemo à te tollet? Quo ostenditur differentia huius gaudij à gaudio mundi & carnis Gaudium hoc mundi mixtum est amaritudine; quoniam morsibus conscientiæ plenum est: at consolatio spiritualis pura est. Deinde gaudium mundi infirmum est, & leuis aura illud tollit: at gaudium spiritus fortissimum est, nec illud auferre valent flagella, tormenta, crux, exilia, mors, Efficit è prunis rosas, è lapidibus gemmas, è carceribus aulas regias. En gaudium spiritus, quod nemo tollet à nobis. Quare ergo trahet te potius mundi gaudiũ, infirmum & inane, quàm Dei gaudium, maximum & forte? O cæcitas sanguineis lachrymis deploranda. Mundus clamat; Ego deficio: Caro clamat; Ego inficio: Dæmon; Ego decipio: Deus; Ego reficio (*Venite ait ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*) Et plures sequuntur deficientem, inficientem, decipientem, quam reficientem?

Gaudium iustorum sempiternum. 1. Pet. 1. Psal. 88. Greg. lib. 28 mor. c 7 in Iob 38. *Mundi gaudium non est nostrum.* *Gaudium Spiritus sancti nostrum est.* N. B *A minori ad maius* *Gaudij Spiritus sancti & mundi differentia.* 1. 2. N. B. *Cæci a: hominũ deploranda* N ô lector. *Caro inficit.* *Dæmon decipit.* *Deus reficit.*

Simile. Nescis ô miser decipi te à dæmone, qui quasi infidelis mercator proponit tibi aliquid dulcedinis initiò, vt post amaritudinis æternas infundat? Deus verò ostendit initiò aliquid arduum; sed deinde æternam dulcedinem. Nam post paruam virtutis asperitatem dulcedo est maxima. Nouerint ergò, qui mundo & carni inseruiunt, plus eos laboris ex hoc obsequio, quàm gaudij percipere: & qui Deo inseruiunt, plus gaudij quàm laboris: Atq; adeò plus laboris in vitiorum quàm virtutis via esse: & dulciores esse lachrymas iusti delectationibus iniquorum. Ex bono enim opere lætitia oritur, ex prauo tristitia. Peccator tristatur de amissa re temporali, & deinde tristatur. De tristitia videns eam vanam fuisse. Tristatur verò iustus De peccato, deinde gaudet de tristitia, videns optimam fuisse. Si iustus autem laborem sustinet in opere bono, de labore gaudet; & cum à Deo consolationem recipit, de illa quoque gaudet; & sic efficitur, vt *gaudium plenum* sit ac solidum. 2. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, gaudium est æternæ beatitudinis; quod æternum cum sit auferri à nobis non poterit: Aeternitas verò bonorum maximum gaudium cumulat beato. Si ergò se iusto nunc aliquid offerat tolerandum, cogitet *quod momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in eo.* quod gaudium æternum non auferetur à nobis: quia si semel audierimus, *Intra in gaudium Domini tui*, nunquam inde egrediemur. Ecce ergò vera gaudia vbi sint. Qui ergò gaudium quæris, disce quo in loco illud reperies. Si Deus laborem faceret æternum, & gaudium breue, id difficile planè nobis esset: & hoc est quod peccatores eligunt, breui tempore delectari, & in æternum cruciari. Sed non sic Deus ordinauit, paruo labori infinita requies concessa est. Non est enim Dei natura affligere, sed benefacere. Pactum init tecum Deus, vt dimittas per vnam horam parum quid, & recipies catena millia, & multo plus, & infinita, & infinita æternitate fruenda. An non hoc pactum desiderandum? an non conditio præclara? *Gustauit & vidit, quia bona est negotiatio eius.* Si nunc Dei caussa dimittas vniuersam substantiam, vitam, & honorē, & hæc omnia per 1000. annos relinqueres, tanta cæli bona sunt, & tanta æternitas est, vt cuilibet horæ mille millia annorum, & multò plus, & cuilibet rei dimissę

Dæmonis impostura.

Carni et mūdo seruientes plus laborant, quàm qui Deo seruiunt.

N. B.

Gaudium æternæ beatitudinis.

2. Cor 4.

Luc. 19.
Matth. 25.

Gaudium verum quærendum in æternitate.

Natura Dei est benefacere.

Pactum Dei nobiscum.

Prou. 31.

respon-

respondeat infinitum bonum, quo fruêris inæternũ. Hæc negotiatio nobis amplectenda, fratres, est, huic incumbendum, in qua diuites in æternum euadamus. Amen &c.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

THEMA: *Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me.* &c. Ioan. 16.

OSTENDITVR hodierno Euangelio Christi Domini Maiestas & auctoritas, & simul Spiritus sancti. Christi quidem, dum promittit se missurum Spiritum sanctum. Mittendi verò auctoritatem solùm habet persona producens aliam in diuinis. Vnde si Christus mittit Spiritum sanctum, eum spirat, sicut & Pater. Sed Spiritus sancti Maiestas simul apparet, 1. quòd à Patre Filioq; procedit ad intra, quod est solius Dei. Nihil enim in Deo est, quod non sit Deus. 2. in eo, quòd hodie dicitur expedire Christi discessum, vt Spiritus sanctus veniat. Quod ostẽdit Spiritus sancti diuinitatem, contra Macedonium. Non enim expediens esset discessus Christi, qui Filius Dei est, si Spiritus s. Deus non esset. Nec compensaretur eius absentia aduentu creaturæ: necesse ergò est, Spiritum s. hîc promissum Deum esse. Inter puras creaturas, quæ summè hunc Spiritum s. percepit, Maria est, quæ templum eius dicitur & sponsa eius peculiari ratione. Ab ea petamus, vt hunc bonum Spiritum nobis obtineat per gratiam.

Christi & Spiritus sancti Maiestas, & diuinitas.

Chrys. hom. 77. in Ioan.

Lucæ 1.

Amor et magnanimitas Christi.

His Dominicis ante Ascensionem proponuntur ab Ecclesia Euangelia, quibus Christus Dominus suos consolatus est volens discedere ab eis. Quibus ostendit 1. eximium in suos amorem; 2. suam magnanimitatem ac animi constantiam in aduersis. Cùm enim morte plectendos alij consolari soleant, nunc contrà Christus acerbissimis supplicijs proximos suos consolatur. Cato cùm in Romana republica deiectus esset à potestate sua, signum afflicti animi non dedit, sed placido fuit vultu, ac si in altiorem ascendisset potestatem. Vmbra virtutis est in infidelibus, non vera virtus: quia sine fide & charitate nulla est vera virtus. Si ergò vmbra virtutis sic stabiliebat eos, quid faciet vera virtus? Temporalia mala iustum non conturbant; ædifica

Consolatur Christus suos cùm esset consolandus.

Seneca.

Virtutis vmbra in infidelibus.

Aug. li. 1. cōt. 2. epi Pel. c. 3.

Libr. 4. cont. Iul libr. 5. de ciu. Dei, c. 13.

 difica 14.

Matth. 7. Prou. 12. Vide Dom. 4 post Epiph. Iustus et peccator tribulantur. Sap 3. Dan. 3. 2 Cor. 4. Psalm 33. Absque tribulatione in hac vita esse non possumus. Hebr 13. Cor gratia stabiliendum. Bathym.

dificauit enim domum suam supra petram. Non conturbabit iustum quicquid acciderit ei; impij autem replebuntur malo. In eodem igne aurum est & palea: hæc consumitur; illud rutilat, & purius redditur. In eadem tribulatione iustus est & peccator: ille vt aurum rutilat, hic miserè discruciatur. *Quasi aurum in fornace probauit electos Dominus.* In fornace laudant tres pueri Dominum; & ministri igne absumuntur. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur,* &c. *Multæ tribulationes iustorum,* & omnium hominum. Vnum è duobus tibi remedium est, vel tribulationem non esse; vel te sic confortari, vt eam rideas. Primum huius vitæ non est sed futuræ. Secundum verò, *gratia stabiliri cor,* ne deficiat, hoc tibi curandum omninò est. Hac gratia sic Christus roboratus est, vt cùm ab alijs ille consolari debuisset, eos ille soletur dulcissimis verbis, quæ sequuntur.

Ioan 14. Cyrill. in Ioan 16.

Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Amicè eos obiurgat, quòd cùm ad patrem proficiscatur, non eum interrogant multa de hoc discessu, quo vadat, & quam ob causam. Amicorum enim est, similia multa quærere à proficiscentibus amicis; quæ si illi perquirerent, consolarentur. Interrogatus quidem fuerat Christus Dominus, sed non responderat, ideò debuissent illum magis vrgere. Vel melius, *Quo vadis,* non significat solùm terminum, quò it, sed potius, quid facturus vadis? Huic consonat, quod Christus adiungit, non scilicet quò, sed quorsum, & quam ob causam vadat. Hoc ergò illi non interrogauerant, cùm hoc illos maxima consolatione afficeret. Tantus enim est fructus passionis Christi, vt ex eo maior lætitia, quàm ex morte tristitia colligi possit.

Vide Dom. in Ramis. Beatitudo Apostolorum Christo conuiuentium. Luc 10. Ioan. 20.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed Domine, quid mirum? in te vno omnia habent, si te amittunt omnia amittunt. Summa profectò beatitudo Apostolorum Christi conuiuentium cum eo, quem fide agnoscebant Deum esse, & quem summa charitate prosequebantur. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis* &c. Beati dicimur, & nos à Christo: *Beati qui non viderunt & crediderunt:* sed potissimum beati Apostoli Christi, qui & viderunt oculis mentis, & crediderunt; & viderunt oculis carnis. Beatitudo hæc non est quidem patriæ perfecta,

fuit tamen illi valdè similis. Exuperabat enim omne mundi gaudium, perpetuò cum eo conuersari &c. Si *beati* dicuntur *viri* Salomonis, *qui astabant coram eo semper*; quid dicendum de his qui Christo astant, & audiunt sapientiam eius? *Ecce plus quàm Salomon hic*. Auget maximè hanc beatitudinem amicitia, quam ad Christum discipuli habebant. Erant discipuli etiam corpore beati, dum Christo fruebantur. Erat enim ille *speciosus forma præ filijs hominum*. Nunc ergò cùm discessum eius audiunt, tristitia implet eorum cor. Quo maximè nobis ostendunt, qua essemus absorbendi tristitia, cùm Deus ab anima discedit per peccatum. Verè sicut Deus solus cor implet: sic eius discessus cor implere debet summa tristitia, quia infinitum bonum est. Sunt verò qui temporalium amissionem irremediabilibus lachrymis deplorant, vt etiam sensum amittant; quòd verò Deum perdiderint, non dolent; nec ex eo tristantur ampliùs, quàm si perdidissent nihil. Non sic tu. Tristitia implet cor discipulorum, vt noueris contristari, cum Deus tibi non adest, & dicas. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ* &c.

3. Reg. 10. *Lucæ 11.* *Amicitia discipulorum cum Christo.* *Psal. 44.* *Cant 2.* *Deo à corde recedēte, quæ debeat esse tristitia peccatoris.* *N. B.* *Psal. 41.*

Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, vt ego vadam quasi dicat. Vos putatis vobis incommodam meam absentiam, sed verissimè illa vobis expediens est. Vel, licet contristemini, tamen veritatem dicturus sum, *expedit vobis, vt ego vadam*. Quo docemur vtilia amicis dicere, non iucunda.

Chrys. hom. 77. Cyrill li. 10. c. 39. in Ioan. 16.

Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Multa vobis dixi de Spiritu sancto, in cuius aduentum summa bona vobis reseruata sunt, per illum efficienda: hic autem Spiritus sanctus venire non potest me præsente, sed *cùm abiero, eum vobis mittam*. Sed Domine, quid tu es impedimento, vt Spiritus sanctus non veniat? non impedit caro nostra, & impedit caro tua? Respond. 1. Spiritus sancti maxima plenitudo danda non erat, etsi mundo per Christum reconciliato in cruce: & hoc significat, *Si non abiero*, id est, per mortem recessero à vobis. Hoc est quod Ioan. dicit: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. q. d. Ante mortem meam dabatur quidem Spiritus, sed paucis, & inuisibiliter, & ad paucos effectus: sed posteà dabitur hominum omni generi, & visibiliter, & ad plures effectus & miracula. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, &c.

Spiritus sanctus cur non sit datus Christo præsente. 1. *Spiritus spl. nitudo non nisi mundo per Christum reconciliato.* *Ioan. 7.* *Chrys vt sup. Theophyl in Ioan 7 Hier. in Ioel. 2.* *Ioel 2.* *Act, 2.*

Chrys. in Ioā. 7. hom. 50. et 77. in 6.
1. Pet. 1.

Verbum, *effundam*, abundantiam significat, glorificationem verò passionem esse dicunt quidam. De qua re Petr. *De qua salute exquisierunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias* &c. q. d. cùm Prophetis fuerit reuelatum, salutem mundo venturam, dictū est ijs non suo tempore, sed nostro hæc implenda esse: quia præcessuræ erant Christi passiones, & statim sequuturæ eius gloriæ, vt resurrectio, ascensio, & Spiritus s. missio, vt Christi passioni hæc omnia tribuerentur. Vel 2. sic accipi potest: *Si non abiero*, in cælum scilicet, *paracletus non veniet ad vos*. & sic, *Spiritus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, intelligitur, quòd nondum resurrexerat, nec cælum conscenderat. Non enim membra tantâ erant gloria ornandi ante capitis glorificationem. 1. vt Spiritus s. diuinitas ostenderetur, quæ manifestanda erat miris signis & operibus externis & internis, quæ effecturus erat, quæ in præsentia Christi, illi non Spiritui s. tribuerentur. 2. quia veniente Spiritu s. discipuli iam perfecti in mundi magistros eligendi erant, & per mundum dispergendi, vt eum docerent; & sic iam Christus corporaliter adesse non debebat.

2. Membra non erant glorificanda nisi capite glorificato.
Augu. tract. 32. in Ioan 7. & tracta. 52. in Ioan 12.
Beda in Ioan 7.

Secundò respondetur. Christi discipuli humano amore Christum diligebant, non omninò spirituali: ideò humanitas ab eis tollenda fuit, vt in spiritualem affectum mutaretur. Sicut factum ostendit Paulus: *Itaque nos ex hoc neminem cognouimus secundùm carnem: & si cognouimus secundùm carnem Christum, sed iam nunc non nouimus*. scilicet secundùm carnem, id est, non sequimur aliquo modo carnalem affectum circa aliquem. Et si aliquando sic adhæsimus Christo, sicut amico carnali solemus adhærere, quod impedit aduentum plenum Spiritus s in corda Apostolorum, iam non nouimus secundùm carnem, id est, iam affectus humanus mutatus est in diuinum. Licet enim hic humanus affectus oppositus non sit Spiritui s. quia malus non erat, tamen est alius effectus à spirituali: vnde impedit totum voluntatis conatum in Deum. Vnde conuertendus ille erat in spiritualem, vt discipuli perfectissimi euaderent. & omnis humana consolatio ab eis tollenda erat, etiam illa, quam de Christi humanitate habebant. Ex quo infertur, quàm sint consolationi Spiritus s. impedimento terrenæ conso-

Amor humanus spiritualem impedit.
2. Cor. 5.
D. Thomas.
Augu. tract. 94. in Ioā. 16.
Beda in Ioan. 16.
Amor humanus in Apo. lis nō est Spiritui s. oppositus, impedit tamen voluntatem perfectam.

consolationes. Bern. Mens occupata carnalibus desiderijs gratiam Spiritus ſ. non ſperet: quia Apoſtoli non potuerũt accipere illam, cum ipſa Verbi carne. Qui ergò in Deo plenè delectari deſiderat, dicat, *Renuit conſolari anima mea*, ſcilicet in creatura, *Memor fui Dei & delectatus ſum.* Dicat, *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Manna non datur niſi cum Ægypti farina deficit. Plenum eſt cor tuum humana affectione? inhias terrenis conſolationibus; obicem ponis, quo impediris à Spiritus ſ. dulcedine & conſolatione, ne illam experiaris. Vis ergo experiri diuinam dulcedinem? hoc age. quam adhibuiſti curam vt in terrenis conſolareris, eam adhibe, vt omnem mundi à te repellas conſolationem, ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore tuo circumferens: tunc diuina tibi aderit conſolatio. Hæc ſanctorum fuit cura, omnem humanam fugere conſolationem, vt cæleſti implerentur. Si tibi diceretur: Quantum de terra proieceris è domo tua auro replebitur, quis non vniuerſam terram proijciat? Quantum è terrenis cõſolationibus eiecerit à te, impleberis Spiritu ſ. & eius dulcedine. Vacuum non datur in rerum natura, minus illud Deus patietur in corde tuo: Deus deſcendet, vt illud repleat.

Bern. ſerm 3. & 6. de Aſcenſ. Dom.
Terrena conſolatio diuinam impedit.
Pſalm. 76.
Pſalm. 72.
N.
Spiritus ſancti dulcedine repleri terrenam faſtidire debent.
Simile.

Et cùm venerit, ille arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Arguet, id eſt, conuincet, & rationibus efficacibus oſtẽdet. *De peccato*, quidã intelligũt de peccato infidelitatis, quia Chriſto non credunt: Cyrillus vniuerſaliter de peccato intelligit q. d. Conuincet mundum eſſe in peccato, quia in me non credidit; ſine qua fide impoſſibile eſt, à peccato liberum eſſe hominem; quia *non eſt aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Sed de hoc me arguere non poterit, dices; Ego enim in Chriſtum credo. In Chriſtum credere, eſt in eum tẽdere, vt finem vltimum, in eum ſperare, eum ſuper omnia diligere. Quod ſi tu Chriſto credis, nec tamen eum diligis; argueris à Spiritu ſ. quia non credidiſti in Chriſtum, argueris de peccato.

Peccatum infidelitatis arguitur à Spiritu ſ.
Aug tractat. 94. in Ioan.
Chryſ hom. 77 in Ioan.
Cyrill. in 16. Ioan. 1.
Actor. 4.
Aug. ſer. 61. de ver. Dom.
Euſeb Emiſſ. hõ. 2 de ſymb.
Cyprian in expoſ ſymb.

Primus effectus Spiritus ſancti eſt, mundum de peccato arguere. Summum Dei odium contra peccatum; illud ſuſtinere non poteſt. Hinc Paulus: *Nolite contriſtari Spiritum ſ. Dei, in quo ſignati eſtis.* Sed fieri ne poteſt Deum contriſtari? Peccatum id efficere dicitur: quia ſi in Deum triſtitia cadere poſſet, de ſolo peccato eam ſummam haberet.

1. Effectus Spiritus ſ. arguere de peccato.
Peccatum omne Deum contriſtat

Vide Dei dulcedinem; vna eius gutta satis est, vt omne martyrium dulce fuerit. vt craticula esset dulcis Laurentio, lapides Stephano, crux Petro; & tamen tale est peccatum, vt Deum amarum & tristem reddat: Et cum potuit in assumpta natura contristari, de peccato contristatus est.

Deus non dissimulat cuiquam peccata, sed statim arguit.

Hinc primùm, quòd Spiritus sanctus peragit, est mundum arguere de peccato: nec quisquam est Deo tam charus, cui dissimulet peccatum. Continuò enim peccantem arguit, licet ei sit proximus: imò hunc amplius. Quod videre licet in Moyse: quia filium non circunciderat, voluit eum occidere, nisi continuò circuncidisset filium. Nihil, Domine, parcendum tanto Duci: nihil. Dubitat veniali peccato ad aquas contradictionis cum Aaron. En vltionem diuinam; *Non introducetis populum in terram promissam*. Christus Apostolos continuò arguit, si delinquunt. Hinc iusti, cùm in oratione coram Deo apparent, ipsi se arguunt, ne à Deo arguantur. *Iustus in principio orationis accusator est sui.* Deus enim arguit non arguentem seipsum: *nam si nos iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino.* Arguit ergò infideles de peccato infidelitatis, quia Christo non credunt: & fideles, quòd in Christum non credant, in eum tendendo vt finem vltimum. Si enim meritò arguendus est infidelis Christum non credens, quia tot testimonijs rebellis est: quomodo non arguendus fidelis, qui fidei credens operatur quasi nõ crederet? Quid respõdebis peccator Spiritui s. arguenti; Credidisti infernum æternum tibi præparatum pro peccato vno mortali, & tã facilè illud admisisti? Credidisti beatitudinem infinitam seruanti tam facilia mandata, & ea non præstitisti? Credidisti Christum pro te crucifixum, & tanto amori ingratus fuisti? Verè Dei argumẽtis *omnis iniquitas oppilabit os suum*, & obmutescere te faciet, & non respondebis *ei vnum pro mille*.

Exod. 4. — Num. 20. — Marc. 16. — Matth. 16. — Ioan. 13. — Prou. 18. — 1. Cor. 11. — Fideles et infideles arguuntur à Sp. s. — N. B. — Psal. 106. — Matth. 22. — Iob 9.

2. effectus Spiritus s. arguere de iustitia. — Augu. tract. 94. in Ioan. — Chrys. homil. 77. in Ioan. — Euthym. hic.

2. *De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* 1. dicit, de iustitia mundum conuincendum, dum comparatione fidelium iustorum infidelium peccatum declaratur. 2. dicit de iustitia, & eius innocentia mundum conuincendum. Quia enim mundus Christum, vt malefactorem, tractauit, ostendet Spiritus sanctus eum iustum & sanctum, quia à Patre in æternum receptus est in cœlum. 3. hic sensus aptior est, quod Spiritus sanctus in mundo per prædicationem declarauit Apostolorũ, est Christi iu-

stitia,

stitia qua omnis iustus sanctificatur, eam participando fi-
de & dilectione, de qua Paul. *Iustitia Dei per fidem Iesu Chri-* *Rom 3.*
sti in omnes & super omnes qui credunt in eum. Iudæi ex lege
iustitiam quærebant. *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam* *Rom 10.*
quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Gentes ex ope- *Iustitia Chri-*
ribus moralibus iustitiam sufficientem sibi esse putabant: *sti sola nos li-*
Sed neutra vera est iustitia: quia à peccato non liberat, nec *berat.*
Deo hominem conciliat. Sola Christi iustitia à nobis par
ticipata nos liberat, de qua mundus conuincendus est con
tra iustitias ab eo prætensas. vnde Psal. *Reuelauit in conspe* *Psal. 96.*
ctu gentium iustitiam suam. Quòd verò addit, *Ad Patrem vado,*
& iam non videbitis me, significat vna oblatione perfecisse
iustitiam; nec amplius necesse esse, ad hoc in mundum ite
rum descendere.

3. *De iudicio verò, quia princeps huius mundi iudicatus est,* *3. effectus Spi-*
id est. 1. Conuincet mundum per iudicium & damnatio *ritus sancti,*
nem diaboli: quia si Angelo peccanti non pepercit, nec ti- *arguere de*
bi parcet. 2. Conuincet Iudæos de dæmonis iudicio, vt iã *iudicio.*
non possint opera Christi dæmoni tribuere. 3. Conuincet *Aug. tract.*
mundum, si dæmonem nunc sequitur, & ab eo vincitur, *95 in Ioan.*
cùm iam iudicatus est, & expulsus à regno, vt in homines *Dæmõ in nos*
potestatem non habeat. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarũ,* *potestatem*
& transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Tempore legis so *non habet.*
lutus erat dæmon, regnabat in filios diffidentiæ; princeps *Col. .*
mundi erat, cui omnes subijciebantur; tantaque erat po- *Tempore le-*
tentia propter gratiæ minorem abundantiam & ipsius plu *gis solutus*
rimas vires, vt quasi vim hominibus inferret, hinc Eze *dæmon.*
chias. *Domine vim patior.* Et Dauid: *Eripe me de inimicis meis* *Isaie 38.*
fortissimis. Sed iam ligatus est, vt cum eo pueri ludant, & in *Psal 7 58.*
illum facile præualeant. *Iugum enim oneris eius, & virgam* *Iustin mart.*
humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Ma- *Athan orat.*
dian. Iam ergò dæmone superato nullus dicat, *Vim patior*: *1. cont Arian.*
arguetur enim à Spiritu sancto, si expulso tyranno per *Isaie 9.*
Christum, iterum potestati eius se subdiderit. Christia *N B*
ne, qui dicis, malo esse dæmonis mancipium, quam *Christus iu-*
Dei seruus, imò filius Dei & hæres, an non Deo sum *dex viuorum*
mam irrogas iniuriam! an non dementatus es? 4. *Ar* *et mortuorũ.*
guet mundum de iudicio, id est, ostendet mundo Christum *Glossa & To*
iudicem esse viuorum & mortuorum: *oportet enim nos ante* *ledo in Ioan.*
tribunal Christi manifestari, vt referat vnusquisque propria cor- *16.*
poris, prout gessit, siue bonum, siue malum. Ostenditur Christus *2. Cor. 5.*

Redem-

Redemptor in redargutione de iustitia: nunc iudex in redargutione de iudicio, quod per Apostolos Spiritus sanctus fecit, vt patet in Act. *Ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum* Et sic impletur illud, *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Et Hier. *Et faciet iudicium & iustitiam in terra: Iustitiam*, qua nos Patri reconciliauit; *iudicium*, quo omnes iudicabit. Mundus verò de hoc conuincendus erat, quia putabat iudicem non esse operũ; & sic liberè in vitia prolabebatur. Hac redargutione hodie vtitur Spiritus s. in eos, qui liberè peccant, ac si iudex non esset: qui *dicunt in corde suo, non est Deus; & non requiret.* Hoc Spiritus sanctus in mundo maximè ostendit per Apostolos. Rationem verò subnectit, dicens: *Quia princeps huius mundi iam iudicatus est*, id est, iam damnatus est, & suo dominio priuatus: vnde homines translati in Christi dominium eius iudicio subduntur.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò id est, multa capere modò non potestis, quæ vobis habeo dicere. Quidam hoc intelligunt de Spiritus sancti diuinitate, quam aduentu suo manifestauit: quidam de temporali regno Israëlis, quod per Christum putabant Apostoli restituendum: sed Christus id explicare nolens Spiritui s. reseruat. Quidam de cessatione legalium, quod & Petrus ignorat, Act 10. Hæc enim Christus reuelare poterat, sed aliqua Spiritui s. seruat, quibus se Deum ostenderet.

* *Docebit vos omnem veritatem: non enim à semetipso loquetur.* Sicut filius non dicitur facere aliud, nisi quod viderit Patrem facientem, quia potentiam habet à Patre, sicut & essentiam: ita Spiritus sanctus audire dicitur, quæ loquitur, & non à seipso loqui; quia essentiam & scientiam habet à Patre, & Filio, & vnũ cum ipsis est, & ea loquitur, quę à Patre & Filio accepit. Audi verum etiam Deum dicentem: *Ego à meipso non loquor.* Seductores loquebantur à semetipsis, vt Iudas & Theudas. prophetabant *de corde suo.* Christus volens ostendere se non seductorem, quia dicebant, *Seducit turbas*: ait, *A me ipso non loquor*, quia ex lege & Prophetis locutus est. Sic Spiritus sanctus à semetipso non loquetur, sed docebit legem Christi. Venit Christus, vt impleat legem Patris: impletio enim legis Christus. Venit Spiritus sanctus, vt impleat legem Christi. Qui loquitur legẽ Christi, Spiritum sanctum habet. In hoc cognoscimus Spiritum

ritum

Psalm. 71. Ierem. 23.
Spiritus sanctus arguit eos, qui liberè peccant.
Psalm. 9. Psalm. 52.
Christus non omnia reuelat, vt Spiritus s. diuinitas patefiat.
Nazian. orat. S. Theol. Iustin. Mart. in expos. qu. Gen. resp. 112. Origen. lib. 2. cont. Cels. Didymus li. 2. de Sp. s.
Spiritus sanctus quomodo à seipso nõ loquatur.
Ioan. 14. Actor. 5. Ezech. 13. Marc. 13. Lucæ 21. Matth. 15. 4. 24. Ioã. 12. et 10.
Christus venit implere legem Patris.
Rom. 10.

ritum Christi, & spiritum erroris. Cùm ergo aliquis docuerit non euangelica sed propria, is à seipso loquitur, Spiritum s non habet. Ex quo nobis colligendum est, cauere ab his, qui à seipsis loquuntur: multi enim hodie impostores sunt. Qui amplam in cælum viam esse dicit tibi, à seipso loquitur, non ab Euangelio. Qui tibi suadet in mundo magnum esse, dignitates ambire, & cæt. à se loquitur, non ab Euangelio: multi enim sunt Pseudoapostoli. Obiurgauit Esdras Israëlitas, quòd *nescirent loqui Iudaicè, sed ex media parte Azoticè loquebantur*: maximè obiurgandus est Christianus, qui loquitur gentiliter. An non gentium locutio est, Vindictam, iram, diuitias, honores, delicias mundi sectare? Spiritus sanctus docebit omnem veritatem, ei assentiamur. &c.

Spiritus sanctus venit implere legem Christi.

Quis loquatur à seipso.

N. B.

2. Esdr. 13.

Gentiliter loqui quid sit.

DOMINICA V. POST PASCHA.

THEMA: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ioan. 16.

DVLCEDINE plenum est Euangelium hodiernum, misericordiam eructat. Inter alia dulcissima Christus ait: *Non dico, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos: quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui.* q d. licet vobis mea oratio non deerit, sed & vos etiam Pater exaudit, quoniam me amatis &c. Ita etiam de matre Christi dicere possumus Illa amat nos, quia nos amamus eius filium; & ideò fores misericordiæ illius patent, vt petamus gratiam, qua indigemus.

Christus Dominus discipulis suis erat omnia simul. Dicere ei possunt illud: *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Discessurus ergò ab eis dat eis orationis donum, in qua omnia similiter habeant. Sicut discessurus Elias Elisæo postulanti duplicem spiritum reliquit: sic Christus hunc spiritum duplicem, sui vicarium, Apostolis relinquit, qui dicitur *Spiritus gratiæ & precum.* Et cùm *spiritus sit precum, postulat pro eis gemitibus inenarrabilibus*, id est, postulare facit. Quo orationis Spiritu omnia habent, quæ petere voluerint. Est enim illa instrumentum generale, quo omnia nobis acquirenda sunt: & qui eã habet,

1. Cor. 15.

Discipuli in Christo omnia habebant.

Tob 10.

4. Reg. 2.

Zach 12.

Rom. 8.

Oratio instrumentum est generale, quo

omnia sunt omnia se habere credat, quæ illi necessaria vel conuenien-
acquirenda tia sunt Hoc ipsum nunc Christus discipulis ait: *Quicquid*
Oratio omni- *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Si oratio conue-
um malorum niens tibi adsit, nullum est malum, quod non tollatur, nul
remedium. lum est sine remedio. Vnde contra omnia mala præsen-
taneum Ecclesiæ remedium Christus reliquit, cùm dedit
orationem, qua periculum subuersionis Ecclesiæ & vni-
uersa alia vitare potest. Sciuit hoc sanctus Rex Iosaphat.
2.Par.20. *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habemus resi-
dui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* q d. Cùm desperata o-
mninò res fuerit, adhuc remedium orationis restat, quo o-
culis ad te leuatis petimus te nobis adesse.

Oratio rerum Orationem verò auxilium atque remedium adferre ijs
desperatarũ in rebus, quæ desperatæ videntur, & quæ iudicio humano
antidotum. impossibiles sunt, multa attestantur exempla. Hierony-
Hier.epist. mus oratione humili omnium tentationum coram Chri
22.ad Eu- sto inuenit remedium. Hæc liberauit Ionam de ventre
stoch. cæti: hæc Ezechiam, tot vallatum hostibus: Danielem de
Ion 3. lacu leonum; tres pueros de camino ignis, Dauid de ma-
4.Reg.16. nu Saulis; Iacob de manu Esau. Hæc liberauit Iudith &
Dan.6. populum suum, *Quia humilium & mansuetorum tibi placuit*
1.Reg.19.24. *deprecatio.* Est enim oratio columba ramum deferens oli-
26. uæ, misericordiam Dei. Hinc Psalm. *Et pullis coruorum in-*
Genes.32. *uocantibus eum* Hi pulli, donec plumescant, à parentibus
Iudith.9. non cognoscuntur, & Deus eos quasi desperatos exaudit
Genes.8. ad se clamantes, licet more brutorum. Cùm ergo te vide-
Psal.149. ris summo in discrimine, siue spirituali siue corporali; in
In rebus affli- periculis Ecclesiæ, in incorrigibilitate filiorum, in tenta-
ctis ad orati- tionibus maximis, ad orationem accede; & facilè tibi da-
onem est con- bit, quod tu obtinere per te non potes. Hinc monet Iacob.
fugiendum. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omni-
bus affluenter.* Mirum adeò non est, sanctos & fideles hanc
nosse veritatem, qui diuinis literis & fide edocti sunt: mi-
randum verò etiam Ethnicos id agnouisse. Nam Balac
Num.21. *videns omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo, & quòd pertimuis-*
Orig hom.13. *sent eum Moabitæ*, non parat arma, nec exercitum cogit;
in Num. sed mittit ad Balaam, vt Israëli maledicat. Audierat Rex
Exod 7. ille filios Israël oratione potius quàm armis vicisse. In
Num.22. Pharaonem enim dimicauerant non armis sed oratione.
In Amalechitas plus valuit oratio Moysis, quàm arma Is-
raël:

raël: ideò hæc arma sibi quoque in re omnium desperata assumenda putabat.

Quantum verò oratio valeat, quantaque obtineat, ex illo patet, quòd oratione res omnium summa, Incarnatio Christi, à Patribus obtenta est. vt in Psalm. apertè testatur. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus*. Quid quòd humani generis redemptio oratione perfecta & obtenta fuit? Preces enim *supplicationesque cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. &c. Deinde Gentium conuersionem, & Ecclesiæ ædificationem oratione obtentam esse manifestè ostendit Psalm. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Ora, ait Pater, postula à me, dabo tibi, Ecclesiam ex Gentibus collectam. Denique Ecclesiæ firmitas oratione obtenta est à Christo. *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua*. Aduentum etiam Spiritus sancti oratione Apostolorum obtentam esse, testatur Lucas, dicens orasse illos, & sic in oratione perseuerantibus Spiritum S. aduenisse. Omnipotens profectò oratio dici posset, quæ talia ac tanta obtinet. Quid non obtineat, postquam ista obtinuit?

Oratio summa beneficia impetrat.
Psalm. 11.
Hebr. 5.
Psalm. 2.
Lucæ 22.
Oratio omnipotens dici potest.

Sed inquis, Quid est oratio? Est familiaris cum Deo conuersatio, qua ei vniuersa nostra negotia loquimur, labores & dolores aperimus, vniuersa desideria nostra pandimus, omnia bona ab illo petentes ac sperantes. Quid dulciùs esse potest, quàm Deum familiarissimum nobis esse velle, cui vniuersum cor tuum tutiùs & confidentius, quàm patri, matri aut fidelissimo amico, effundamus, omnia secreta nostra reuelemus. Ita faciebat Psalm. *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio*. Et sic nos facere ille monet: *Effundite coram illo corda vestra*. Et Hieremias: *Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini*. Super omnes liquores effunditur aqua è vase, nec aliquid illius remanet in eo. Licet ergò Deus omnia tua nouerit, & videat, tamen illa a te audire desiderat, vt ea ei loquaris tanquam ad intimum & familiarem amicum, in omnibus ab eo petens auxilium & consilium. De ijs, qui hoc non præstant, conqueritur Deus. *Iustitiam in terra relinquitis, facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras*. q.d. Propheta. Non est vobis curæ Deus, nec ad eum

Orationis descriptio.
Deus nobis familiarissimus esse vult
Psal. 141.
Psal. 61.
Hier. 2.
Auxilium et consilium à Deo petendum.
Amos 5.

acceditis per orationem,nec ab eo auxilium postulatis,sed quasi vobis inutilis esset,eum relinquitis, & finitis in terra iacere tanquam rem ignobilem; cùm tamen adeò potens sit,vt faciat Arcturum & Orionem, & conuertat in mane tenebras.&c.

Quo nomine Deus conueniendus à peccatoribus. Sed dices; Quo titulo, quo nomine, qui alienus adeò sum,imò qui inimicus & proditor, qui inferni tormenta commeritus, multa bona petam, & quasi patrem Deum alloquar?Ad hoc Christus respondet. *Si quid petieritis patrem in nomine meo,dabit vobis.* In nomine Christi petenda sunt nobis omnia,quæ necessaria fuerint. Sed explicanda nobis est vis orationis,quæ in nomine Iesu Christi funditur. Olim in nomine Abraham, Isaac, & Iacob orabant patres, cùm dicerent, *Memento Abraham, Isaac & Iacob* &c. Sed nunc nobis orandum est in nomine Christi; & hæc nostra oratio longè potentior est,quàm illa.

Orationis vis in nomine Iesu fusæ.
Exod.32.
Dan 3.

Orare in nomine Iesu quid sit. Sed quid est in nomine Christi orare? Primùm in nomine Christi orat, qui Patrem adit, & tanquam seruus à Christo missus nuncium Christi illi dat. Sicut enim mittere soles seruum tuum ad amicum, qui mandata tua defert;nec is petit nomine suo,sed tuo:& illi donas, non seruo, quicquid donaueris. Ita omninò nobis cum Patre agendum.In nomine Christi orandum nobis est, ac dicendum:Pater æterne,Filius tuus vnigenitus,in quo tibi bene complacuit, mittit me ad te, oratque, vt hæc mihi, & illa præstes beneficia.Hinc exauditio certa nobis promittitur; quia ille in nobis & per nos orat: nam *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, qui exauditus est pro sua reuerentia.* In nomine Iacob orabant filij Ioseph. *Nos quoque oramus, vt seruo Dei, patri tuo, dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph* &c. Non læserat Iacob Ioseph filium,& tamen ei dimitti dicitur scelus filiorum. Ita licet Christus peccatum nullum admiserit, orare potes Patrem verbis Christi,ac dicere: Christus mandauit mihi, vt hæc tibi verbis illius dicerem,Dimitte peccata mea, dona gratiam. Christo ergò hæc petenti dona, ego in nomine illius peto Vnde Psalm. *In nomine tuo leuabo manus meas*, id est,orabo Oratio autem manuum eleuatio dicitur, phrasi Scripturæ, quia diuina promissio manuum eleuatione fit.Hinc dicitur: *Leuabo ad cælum manum meam.* &c. Omnis verò

1.
Simile.

Exauditio certa
1. Ioan. 2.
Rom 8.
Hebr 5.& 9.
Genes.50.
Simile Allegoricum.
Psalm.62.
Manuum eleuatio in oratione quid velit.
Genes.14.
Deut.32.

verò nostra oratio & fiducia nititur in Dei promissione. Hinc orantes leuamus manus, dicentes, *Recordare Domine promißionis tuæ*, qua promisisti nobis exauditionem, dicens, *Amen amen dico vobis, si quid petieritis* &c. asseueranter illud dicit, Amen amen. 2. Simul etiam manuum nostrarum eleuatio figura est, & quasi recordatio eleuationis manuum Christi in cruce, cui omnis fiducia nostra & meritum innititur. **1 Tim. 2.**

II. In nomine Christi petere, est in virtute Christi & meritis eius innixos postulare. Merita enim ille sua nobis tribuit, vt propter ea patrem oremus. Vnde licet oratio diuinæ misericordiæ innitatur, etiam iustitiæ innititur, dum illud petimus, quod Christus ex iustitia meruit, qui nobis donat merita sua, vt quasi nostra sint, & illa in nos refundit, chirographo nomine suo subscripto. Sicut amantissimus & prouidens Pater filio charissimo in regiones longinquas profecturo chirographa plura præstat, quibus ostensis ei dentur omnia, quæ petierit: In hunc modum nobis oratio concessa est à Christo, nomine ipsius insignita. Qua oratione Patri proposita, in omni loco, in omni necessitate nobis accurrat. *In nomine* ergò *meo*, ait, *patrem orate*, chirographum orationis nomine meo subscriptum ostendite, vt vobis vniuersa necessaria prouideat. Sed obijcis: Multa peto, & in nomine Christi peto, nec tamen accipio statim. Ita est: sed perseuera petens, & accipies. Nec enim mox visis literis chirographi numerantur pecuniæ, sed aliquando post 8. vel 10 dies & cæt. Tu ergò orans chirographum Christi defers? dabitur tibi oranti, si perseueraueris pulsans. *Expecta, ergo, reexpecta; modicum hic, modicum ibi Sustine Dominum. Amen dico tibi si perseuerauerit pulsans dabit illi, quotquot habet necessarios panes.* *Oculi* ergò *nostri semper ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Sed ne dubites Christi meritum imminutum iri. Infinitum est Christi meritum apud patrem, exhauriri non potest, vt hominis thesaurus. Etsi infiniti fuissent homines, & infiniti orbes, & quisque infinita postulasset in Christi nomine, restaret adhuc infinitum illius meritum integrum, ac si nullus vnquam propter illum illiusve meritum postulasset. Sicut enim adeò plenum est mare, flumen & fons, vt tu accedas & bibas, licet plures accesserint ante te: sic merita Christi adeò

2. Orandum in virtute meritorũ Christi.

Simile. *Chirographũ à Christo nobis datum.*

Perseuerandum in oratione.

Isaiæ 28. Psalm. 26. Lucæ 11. Psal. 122.

Meritũ Christi infinitum.

Simile.

Merita Christi nostra sunt. Gal. 2.

infinita sunt,& pro vnoquoque hominum oblata,quo ad sufficientiam, ac si solus quisque esset in mundo, iuxta illud Paul. *Qui tradidit semetipsum pro me.* In Christi ergò nomine nobis petendum & orandum est, quia eius meritis innixi orare debemus. Quæ ille in nos refundit, nobisque donat, vt propter illa recipiamus à patre, quæ ille accepturus erat. Atque adeò cùm oramus, non solùm beneficia gratuita petimus, sed etiam quæ ex iustitia Christus meruit; quæ licet nobis gratis dentur; Christo tamen de iustitia debita sunt & nobis, vt Christum induimus, & eius merita participamus. An non nobis inuestigabiles diuitiæ sunt, si Christi merita nostra sunt? Quis inæstimabiles has diuitias dicendo consequi valeat?

Beneficia, quæ Christus ex iustitia meruit, nobis dantur

In petitione 4. consideranda.

In petitione autem 4. consideranda sunt, Is qui petit, is à quo petitur, id quod petit,& ratio qua petit. Sicut petens pauper eleemosynam à te, propter Deum petit, vt sibi eam largiaris. Olim ergò orabant iusti propter Abraham &c. quasi dicerent Filij Abrahæ sumus, propter illum nobis benefac: nunc verò nouum petendi modum ostendit Dominus, qui efficacissimus est, & hunc vsurpat Ecclesia dicens, Per DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, Filium tuum. Duplici verò ratione hic titulus maximus est. Prior est summa Patris dilectio in Christum, & ideò promptè propter illum beneficia concedit Secunda est, iustitia ipsius Christi, qua meruit nobis peccatorum remissionem, & vniuersa bona. Vnde illud nobis donari petimus, quod Christus meruit. Addit Dominus.

Nouus orandi modus in Ecclesia.

Dilectio patris in Christum & iustitia Christi orationem promouent.

Vsque modo non potestis quicquam in nomine meo. q. d. Vsque modo non vsi estis hoc titulo in orationibus vestris, & ideò non tam efficaciter orastis. Hic enim orandi modus in lege incognitus fuit Licet enim vniuersa bona Pater hominibus concederet propter Christum, sed illi in nomine Christi non petebant: nec erat notitia distincta Trinitatis, vt Patrem orarent propter Filium Hæc enim cognitio propria Christianorum est.

Trinitatis distincta notitia propria est Christianorum.

Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. id est, orate in nomine meo,& accipietis, quæ sic petieritis;& gaudebitis ijs obtentis, quæ desideratis.

Hæc in prouerbijs &c. q d. Dixi vobis aliqua obscurè, & sub

sub ænigmate, sed citò post Resurrectionem palàm & manifestè vobis loquar, cùm *aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas: & per dies 40. apparens eis & loquens de regno Dei.* Lucæ 24. Actor. 1.

In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem. q d Superius vobis dixi: *Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis:* nunc dico, satis vobis esse, si oraueritis Patrem in nomine meo, licet ego non orem pro vobis. Non quod non sim oraturus (verè enim orabo Patrem pro vobis) sed quia licet non orarem, satis vobis erit nomen & meritum meum, & dilectio Patris in vos, vt obtineatis, quæ volueritis.

Nomẽ & meritum Christi, & dilectio Patris sufficit ad impetrandum.

Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Ioannes dicit: *Ipse prior dilexit nos.* Absolutè enim Deus prior amat nos quàm nos credamus aut diligamus: quia ideò credimus & diligimus, quòd à Deo dilecti sumus. At verò postquam Deus nos diligens dilectores sui facit, quia videt nos eum diligere, noua beneficia confert. Dulcissimum profectò verbum hoc homini est: Si Christum dilexeris, Deo charissimus eris, & ab eo obtinebis omnia quæ volueris. Magni inter homines habetur, quòd intimus homo regi sit, & à rege obtineat, quæ volet. Sed ô homo, *Noli confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Felix planè, qui sic à Deo diligitur, & exauditur. *Ego diligentes me diligo,* ait ipse; Et, *Pater amat vos, quia vos me amastis.* Si rex solùm hoc ab homine peteret: Dilige me, & ego diligam te, & omnia bona tibi concedam, quæ petieris; an non innumeros dilectores inueniret? Deus verò rex magnus id hominibus offert, & vix inuenit, qui eum diligat. *Diligamus* ergò nos *Deum, quia ipse prior dilexit nos* & vt nos iterum atque iterum diligat, & bona concedat, & orationes nostras exaudiat. &c.

Deus nos sui dilectores facit, vt noua beneficia det.

Dulcißimũ Christiano verbum.

Psal. 145.

Prou 8.

Cõparatio.

N. B.

1. Ioan. 4.

IN ROGATIONIBVS.

THEMA: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11.

Deus cur sinat miserias esse in mūdo. EX arcanis abditissimisque Dei consilijs vnum illud est, quòd cùm ille sit summè potens, diues, misericors & amans, & tam facilè omnem miseriam leuare possit, innumeras in mundo miserias defectusque esse patiatur, & velit, nec illos tollat. An non hoc mirandum valdè? sed & hoc ipsum mirabiliùs est, postquam paterna in nos viscera ostendit, nosque filios nuncupauit charissimos, & seipsum patrem amantissimum. Tam est reconditum hoc mysterium, vt plenam & integram multorum
1. effectuum singularium causam assequi non valeamus. Sed rationem aliquam inuenire huius rei conemur. Sicut census & iura super immobili hæreditate fundari solent, vt firma sint: sic debitum Deo honorem & cultum super miseria ac necessitate nostra Deus stabiliuit, vt eum ei redderemus. Si enim nulla nobis miseria, nulla necessitas esset, Deum non reuereremur, eum non coleremus: nunc verò eum colimus, quia miseria nostra nos compellente ad eū accedimus, quia eo indigemus. In multis ergò miserijs & necessitatibus relictus est homo, vt eius superbiæ medeatur Deus. Nihil enim sic hominem deijcit atque humiliat *Miseria hominē humiliat.* ac necessitas & miseria. Et deinde hominem sibi hac arte maximè deuinxit Deus, vt eum colat, eumq; diligat, cùm videat se semper & vbique à Deo suo bona recipere: Sic enim *Miseria homines Deo deuincit.* naturalis amor filiorum in parentes nutritur & crescit, dum vident iugiter se ab eis bona cuncta recipere: sic etiam effera animantia domantur, & mansuescunt; eique subijciuntur, à quo alimenta recipiunt. Licet ergò homini cor feræ sit, Deo subdi oportet, à quo semper bona recipit, & ei dicere oportet: *Benedic anima mea Domino.* & cæt. Et *Psal. 102.* tandem hac ratione melius prouisum est homini, nullumque illi malum est, quod facili remedio careat. Nulla enim creata abundantia homini satis esse potest in omni necessitate & periculo: cùm verò Deus se constituit homini refugium, virtutem, adiutorem, nullum est malum absq; remedio, nullum periculum sine effugio. *Miseria remedio non caret.*

Sed nihilominùs difficile intellectu est, cur voluerit

Deus ab hominibus rogari? Tribus enim de causis ab homine solet aliquid peti. 1. quia is, à quo petitur, nescit id quo petens indiget, & petitione fit certior: Deus verò melius nouit, quo indigemus, quàm nos. 2. quia is, à quo petimus, non adeò feruenter amat, vt non egeat petitione, qua moueatur, vt præstet necessaria: Deus autem infinito nos amore prosequitur. 3. quia licet sciat & amet, tamen ad ipsum non pertinet prouidere mihi, quæ necessaria sunt: Deus autem pater & esse & dici voluit. Cùm ergò sciat, diligat, & ad ipsum pertineat, cur rogari voluit & obsecrari?

Cur Deus voluit rogari.

Respondetur ergò. 1. Deum multa bona spiritualia ac temporalia nobis concedere etiam sine oratione. Dedit tibi corpus & animam, fidem, & multa alia bona non rogatus, & innumera huiusmodi sunt. Deinde rogatus plura concedere solet, quàm homo petat; vt Ezechiæ, qui vitam duntaxat petijt, dedit 15. annos, & victoriam inimicorum, quam non petierat. Multa verò nobis concedere vult mediâ oratione, quia sic nobis expediebat. Etenim oratio actus est supremæ virtutis moralis, nempe religionis, quæ multis, dum exercetur, virtutum actibus comitata est, fide, spe, dilectione aliqua, humilitate, & sine fructu nunquam est. Si petis & non accipis, accepisti saltem fructum & meritum petitionis, quod maximum est. Si petis temporalia; quæ tibi expediunt, ea recipis, & aliquid ampliùs, orationis scil. meritum. Si petis magna & accipis, duplicatum tibi bonum est, & illud quod postulasti, & orationis meritum. 2. Vult Deus orari, vt mereamur, quæ nobis donat: oratio enim dignos nos facit donis diuinis. Est autem egregium cum dignitate obtinere, quæ homo desiderat. 3. Vult Deus orari, vt occasionem nobis daret affectum inflammandi erga ipsum, nosq; tenaciùs cum ipso vniendi, sicut parentes expectant peti à filijs, vt amor petitione ipsa magis accendatur. 4. Vult quoq; rogari Deus, vt sic homo cognoscat donum Dei, & propriam indigentiam, plurisq; faciat rem datam, ne eam facilè amittat: quod enim oratione obtinemus, diligentiùs conseruamus.

1. Hieron. in Isa. 38. Orationis medio multa dat Deus. Orans duplicatum bonũ accipit. 2. Hier. in Hierem. 29. Orabitis me & ego exaudiam vos. *3. Chrys. hom. 30. in Genes. 4. Basil. de cõst. Monach. c. 2.*

Sed attendendum est, fiduciam maximè necessariam esse oranti; & huic Sancti vim obtinendi tribuunt. Hinc Iac. *Postulet in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergò existimet homo ille, quòd accipiet aliquid à Domino.* Hinc An-

Orãti necessaria est fiducia in Deum. Iac. 1.

Exempla na orãs commendatur, quòd vultus eius *non sunt amplius in* 1. Reg. 1. *diuersa mutati*, tã: â enim orauit fiduciâ, vt secura omnino Chryf. hom. fuerit de exaud tione: & obtinuit, quod postulauit. Iudas 4. de Anna. Machabæus maximâ in Deum fiduciâ orans difficillima 1. Mach. 9. bella feliciter confecit. Sed imminutâ fiduciâ in Deum, cum Romanis iniit societatem & *confractus corde ac dissolutus* hæsitans in bello occubuit. Hinc, mirantibus disci- Matth 21. pulis aridam ficulneam Christi verbo, ait. *Si non hæsita-* Exemplũ *ue itis & habueritis fidem, non solùm de ficulnea facietis: sed etsi* singulare. *dixeritis monti huic, tollere & mittere in mare, fiet.* Exemplo Aristot. lib. nobis est Halcedo auis, quę ouis in ipsa littoris arena po- 5 anim c 8 sitis circiter mediam ferè hyemem pullos excludit. Il- Ambr. 5 He la tempestates videns insurgere, sæuire ventos, inter hy- xa. ca 13. berni sæua non reuocatur, sed impellitur: nec insurgen- Basil hom. 8. tes fluctus, quos immurmurare & allabi videt, non re- Hexa formidat, nec pullos abscondit editos, sed sub dio relin- Halcedo a- quit, inuolutos potius diuina misericordia & spe, quàm uis, eiusq; e aliis tegumentis, & sic securi seruantur. Attamen si- natura lescunt omnes venti, tumida æquora placantur septem N. B. totis diebus, cum incubat ouis Halcedo: & alios insuper pro incremento suæ prolis beneficentissimus ipse Deus huic tam exiguo præstitit animali, serenos idem septem tranquillosque dies: vt per hæc admoneâre, à Deo semper vt postules, quæ ad salutem tuam pertinent. Si tamen auiculæ istius fidem studio deuotionis imiteris. Quid enim à Deo præter omnium spem tui causa non fuerit exorabile, quem ad imaginem ipse suam creauit, quandoquidem alitis tam exiguæ gratia mare tam vastum sæuumque tranquillum esse media bruma iussum Luc. 12. detinetur? *Nónne vos pasceribus pluris estis?* Hinc Psalm. Psal. 45. *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Hac ergo nos in Deum fiducia oportet esse prædi tos, hac spe eum orare, vt ab ipso vniuersa nobis conuenientia obtinere valeamus. Ratio est, quia *cùm sentimus de Deo in bonitate*, cùm ei fidimus, & ei negotia nostra planè tradimus, ipse in suam curam ea recipit, ac perficit: sicut qui negotia suscipit perficienda tanquam propria, tractat pro viribus.

Euangelij Vt ergo hac fiducia fulciti Deum oremus, duplici diuisio. exemplo nos excitat cœlestis Magister in hodierno Euangelio. Quorum primum est, quòd amicus media nocte posta-

postulat ab amico panes sibi dari necessarios. In quo exẽplo aliqua nobis adnotata sunt. I. quod amicus amicum orat, vt ei in necessitate subueniat. Si ergo a Deo exaudiri vis, cura, vt amicus illius sis. Hinc Christus. *Si feceritis, quæ præcipio vobis, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Et, *Voluntatem timentium se faciet; & deprecationem eorum exaudiet.* AEquum enim est, vt si vult homo Deum facere, quod petit, efficiat & ipse, quod Deus iubet. Qui in peccato est, manus infectas Christi sanguine defert, quem crucifigit peccatis de his dominus per Isa. *Cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et Sal. *Qui auertit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis* Et Hierem. *Nos peccauimus, idcirco tu inexorabilis es.* Sed ais. Ergò *peccatores Deus non exaudit?* Si peccator in peccato manere vult, nec ab eo voluntatem suam auertit, ei exauditio promissa non est à Deo: si verò ad Deum conuersus eum orat, exauditur. Hi sunt, qui dicunt, *Dimitte nobis debita nostra.* Hos peccatores benignè suscipiebat Christus: & publicanum orantem, *Deus propitius esto mihi peccatori,* exaudiuit. Si ergò Dei inimicus es, cura vt amicus sis, vt ei reconcilieris: & tunc obtinebis, quæcunque voles.

Amicus Dei exauditur.
Ioan 15.
Isa. 1.
Prou. 28.
Thren. 3.
Ioan 9.
Matth 6. & 9.
Luc. 18. & 15.
Chrys hom. 28. ad popul.
Nazian. orat vers amore pauperum

II. in hac parabola attendendum illud est, quod dicitur: *Noli mihi molestus esse* Sed num Deo molesti sumus, cùm eum oramus? Cùm ab hominibus plura petimus, molestos & importunos nos dicunt: Deus verò eum sibi molestum dicit, qui ab eo petere non vult: eum verò, qui importunè rogat, gratissimum sibi dicit Molestus est patri diuiti filius, qui sibi necessaria à patre non petit, sed aliundè malè quæritat. Cùm ergò nobis Deus pater sit ditissimus, & amantissimus, ab eo nos accipere, petereq; oportet: quòd si secus fecerimus, ei molesti sumus.

Quando Deo simus molesti.

III. Considerandum est, quod adeò grata est illi oratio, vt perseuerare nos in oratione velit, vt dona concedat. Licèt enim continuò dare possit, differt tamen, vt perseueremus: quia gratissima est illi oratio nostra, quam idcircò longam & perpetuam esse vult. Sic dicit importunitate hunc amicum impetrasse. quod amicitia non impetrauerat. Quo nos docet importunos esse in oratione, similes Chananeæ & Iacob. Eousque orandum nobis est, donec postuluta impetremus.

Matth. 15.
Marc. 7.
Gen. 32.

IIII. Ex-

IIII. Expendenda sunt verba illa. *Et ille deintus respondens dicat: Iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere.* &c. Ex quibus patet, orantem ex publica via orasse amicum, qui in cubili erat, cum è conuerso cælestis magister doceat, *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.*

Orationi cōgruus locus secretus.

Orationi congruus est secretus locus, segregatusq; à turba. Est enim oratio dulcis animi quies, & somnus, quo deperditas vires recuperat

N.

Simile.

Quod si hoc somno non reficeris, eris sine viribus spiritualibus: sicut ille est sine corporis viribus, qui somnum non capit conuenientem.

4. Reg. 2.

Elias discessurus à discipulo, rapiendus igneo curru solus manere vult, ne videatur, ostendit nobis, si rapiēdi sumus in cælum igneo curru, charitate Dei, solos nos esse oportere.

Luc. 6. 21. *Ioan 6. 8.* *Exod. 34.*

Hinc Christus solus sæpè orat. Et Moyses, visurus Deum, solus montem conscendit. Nunc verò hic ex publica via orat *amicum, qui in cubili est*. Quomodo hæc conueniunt? Vt Christus nos doceat, reuerenter cum Deo agere, & talia ab eo petere, qualia decet, orandum nobis dicit ex publica via, in qua ab omnibus videmur. Aliquando enim ita irreuerenter cum Deo agimus, & talia ab eo petimus, vt hominum conspectum erubesceremus. In cubiculo ergò orandum, & in via publica, vt & collecti simus & reuerenter cum Deo agamus, ne *oratio nostra fiat nobis in peccatum*, nobisque contingat illud Psal. *Quousque irasceris super orationem serui tui?*

Psalm. 108. *Psalm. 79.*

Concludit Christus primum exemplum dicens. *Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis.*

Discrimen iustorum & impiorum in orando Deū.

Hoc inter iustos & iniquos discrimē est, quod iniqui Deum patrem non agnoscunt, vnde nec ad eum accedunt vt orent. Hinc dicunt. *Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum?*

Iob 21. *Isa. 58.* *Mal. 3.* *Psalm. 120.* *Iac. 1.*

At verò pij Deum Patrem agnoscentes omnia bona ab eo sperant tum naturalia, tum supernaturalia, & ipsa ab eo petunt. Hinc Pij *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Nam *omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.*

Pij vita est pēdere à Deo

Exod. 19.

Pij ergò vita est à Deo pendere, ab eo vniuersa expectare, in Deo spem habere, & vniuersa ab eo petere. Hinc Dominus ad Israëlem. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, & vos eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta.* quasi dicat. Gentium regna, quæ verum Deum non habent, curant proprijs viribus se tueri: sed vos cum verum

rum

rum Deum habeatis, regnum habetis ſacerdotale, id eſt, quod oratione & ſpe in Deum ſtabiliendũ eſt. Cùm enim Sacerdotum ſit orare, oſtendit Dominus oratione hoc regnum eſſe conſeruandum. Sicut ergò filius paruus à parentibus pendet, ſic nos à Deo noſtro pendere debemus. *Orare eſt ſacerdotum.*

Hoc verò ſecundo exemplo, quod in hodierno Euangelio proponitur, nobis manifeſtum facit, dicens: *Quis autem veſtrum patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi.* Inter homines miſerum eſt accipere & petere ab homine. at verò à Deo petere & accipere miſerum non eſt, ſed excellẽs & beatum: & ille beatior, qui à Deo, plura petit, & accipit: & quo nobilior eſt creatura, eò plus Deo indiget, & plura accipit. Plus indiget homo Deo plura ab eo recipit quã lapis; nunquid propterea homo vilior erit? imò ideo illuſtrior ac nobilior: Deo enim egere vile non eſt. Sicut quòd filius patre indigeat, quòd ab eo poſtulet miſerum nõ eſt: ita quòd Deum oremus beatum eſt, & beatos nos efficit. Subijci Deo humile & abiectum non eſt, ſed preclarum, vt ab eo bona cuncta percipiantur. *A Deo petere miſerum nõ eſt ſed excellens.* *Homo plus indiget Deo quàm vlla creatura.* N.

Summum vero contulit nobis benificium dicens. *Petite, orate.* Hoc enim dicto deuinxit ſe, vt nobis petita concederet. Et cum ei liberum eſſet dare vel non dare, neceſſariũ eſt, vt det, poſtquam dixit, *Petite & dabitur vobis*. Diuina voluntas ac liberalitas eſt, vt promittat nobis ea, quæ voluerit: ſed iuſtitia eſt, vt ea præſtet, quæ promiſit. Diuina enim promiſſio facit, vt digni ſimus eis, quibus digni non eramus; nobisq́; ex iuſtitia debeatur, quod alias gratuitum eſſet. Sicut & regi liberum eſt mihi benificium conferre vel non: at cum dixit, *Pete quod vis*, hoc faciam; iam tenetur implere quod promiſit: ita Deus noſter, qui *fidelis eſt in omnibus verbis ſuis*, poſtquam promiſit. *Omnis enim, qui petit, accipit, &c.* Vni hominum dictum eſt à Deo, *Pete quod vis*; at cùm ait, *Omnis, qui petit, accipit*, omnibus hominibus loquitur quod vni dixerat Salomoni. *Deus ſe nobis deuinxit.* N. B. Simile. *Eſth.5.* 3. Reg.3.

Attendendum eſt Chriſti argumentum: Si pater dat filio panem & piſcem, quanto magis *Pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Deus ergò Pater noſter eſt, ab ipſo enim corpus & animam habes: ille ſolus animam condit tuam. Et ſicut primum verbum, quod mater edocet filium paruulum eſt, pater; quod audiens pater delectatur: ita primum verbum, quod nos Chriſtus orare docuit, eſt dice- *Patris nomine Deus præcipuè delectatur.*

re,

Pater noster.quo verbo Deus pręcipuè delectatur, beneuolusq; redditur, vt nobis bona concedat. Sicut ergò pater sollicitus est filiorum suorum,eos alit:ita planè Pater cœlestis sollicitus est nostri,& ait: *Nolite solliciti esse, dicentes, quid mãducabimus,aut quid bibemus, aut quo operiemur: Scit enim Pater vester,quia his omnibus indigetis*.Hinc orare nos docet, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, nõ annuũ,vt ipsius curam quotidianam agnoscas.

Vide Dominic. 4 post Epiph.

Sed expendendum demum verbum illud Christi est: *Dabit Spiritum bonum petentibus se*. Quibus verbis 1. docet diuinam in nos largitatem Dedit nobis Pater cælestis Filium suum,nunc Spiritum s promittit petentibus illum. Nihil sui relinquit,quod nobis non donet; inæstimabiles sui Spiritus diuitias effundit quasi aquam. 2. docet nos quæ præcipuè petenda sint, *Spiritum* eius *bonum*, dona gratiæ & gloriæ:hæc enim vera bona sunt. 3.tandem hoc verbo docemur,quam facilè hæc temporalia dabit,qui *Spiritum bonum* donat. Qui enim maxima præstat, quo pacto minora negabit?qui Spiritum tribuit bonum,reliqua facilè donabit nobis filijs.

Spiritus bonus semper petendus.

FERIA QVARTA ROGATION. IN VIGILIA ASCENSIONIS.

THEMA: *Subleuatis oculis Iesus in cælum, dixit. Pater venit hora clarifica Filium tuum*. &c. Ioan. 17.

OPVS est non ignorare,si quis piè & vtiliter velit ad fratres loqui,oportere orationem sermoni adhibere, ne sit inanis verbositas. Ideò nunc Christus loquens Apostolis orat.Sic & Paul. *Orationi instãte, vigilantes in ea in gratiarum actione,orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis, ad loquendum mysterium Christi, vt manifestem illud,ita vt oporteat me loqui*. Orandum ergò nobis est,vt gratia adsit manifestaturo,& audituris mysterium Christi,inuocemus.

Cyr.lib.11.in Ioan.cap.14. Chrys.hom. 79 in Ioan. 17. Col.4. Oratio sermoni adesse debet.

Primum,quod Deus hominem post fidem docet oratio est,vt nomen Dei inuocet Ea enim est,quâ mediâ omnia bona consequi possumus. Hinc Paul. *Quomodo inuocabunt,*

Oratio post fidem docetur à Deo

bunt, in quem non crediderunt: vbi orationem coniungit fidei, quia illi proxima est. cognito namque Deo statim in uocatur. Primùm enim, quod credes pr̨stare debet, oratio est. Est quippe virtus orationis inæstimabilis, & efficax ad omnia proficua imperranda & noxia remouẽda. Si enim vis patienter tolerare aduersa, sis homo orationis. Si vis tẽtationes & tribulationes superare, prauas affectiones conculcare, astutias Satan̨ cognoscere, ac eius fallacias vitare, lætanter viuere in opere Dei, & laboris viam incedere, sis homo orationis. Si vis vitia extirpare & virtutibus imbui, sis homo orationis.

Aug. ep. 121. ad Prob. Concil. Arausi. c. 3. & 6. Rom. 10. Orationis virtus inæstimabilis. D. Thom. in 1. Tim. 2. Bonauent. in Medit. vitæ Chr. cap. 36.

A qualibet virtute actus virtutis procedit qui habitum auget & perficit: si humilitatis actus præstes, humilitas perficitur; si patientį patiẽtia, &c. Sed alterius virtutis habitus, non augetur his actibus; nec enim misericors aut liberalis effici ère, si actus patientiæ & humilitatis feceris. At hoc orationis singulare est priuilegium quòd cùm oras, non solùm orator & religiosus efficeris: sed etiam humilis, misericors, credens, sperans, amans, & omni deniq; virtute ornatus.

Orationis singulare priuilegium virtutes perficere.

Cùm ergò tam sit nobis vtilis & necessaria oratio, eã verbo & exemplo nos Christus docuit. In hodierno Euangelio orat Patrem pro se, pro discipulis, pro omnibus nobis. Et licet interius hanc potuit profundere orationẽ, voluit tamen exterius orare: vt nos doceret orare: & proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis. Quoniam tanti magistri non solùm sermocinatio, sed etiam ipsius pro ipsis ad Patrẽ oratio, discipulorũ est ̨dificatio & nostra, qui h̨c eramus lecturi. Attẽdamus ergo illũ orantem, vt orare discamus. meritò enim ille vsurpat illud Iudicis Israël: *Quod me videritis facere, hoc facite.*

Euangelij scopus. Publicè cur oret Christus. Iudic. 7.

Subleuatis oculis in cælum. Mos Christo domino erat, oculos in cælum leuandi, sicut hic; & alias, cum panes multiplicauit. Idem fecit in institutione Eucharistiæ, vt habet Ecclesį tradiditio. Cum oratio sit ascensus animæ in Deũ, oculus ostendit Christus quid animus orans agere debeat, abstrahi nẽpe ab omni terrena cogitatione, vt soli Deo vacet. Cum esset Christus in quodam loco orans, expectauerunt Apostoli, vt interrogarent, donec cessauit: nec enim orans impediri debet, aut distrahi alijs negotijs. Maiori reuerẽtia profectò Gẽtes Deos suos ligneos

Oculorum eleuatio in cælum. Ioan 6. Innoc. 3. lib. 4. myst. Miss. c. 5. Oratio ascensus animæ in Deum. Luc 11. Orans impediri non debet.

orabant, quàm nos Deum nostrum: fuit enim illis mos, vt orantē Sacerdotem moneret quispiam astans his verbis, Hoc age, hoc age. Hæc ergò verba tibi vsurpa, dum oras, Hoc age. Vis nosse, ô homo, quanta reuerentia, ac animi attentione cum Deo tuo agere debeas? attende quis ille sit, & quæ negotia tractes, quæ vitam & honorem tuum spectant. Sicut ergò cùm in Regis conspectum intras, eius consideras maiestatem, & negotiorum grauitatem, quæ cum illo acturus es: ita oraturus præpara animam tuam, considerans quis Deus sit, cum quo loqueris, quoniam *Rex omnis terræ Deus, et Rex magnus super omnes Deos*. Solent, qui denuo curiam regiam ingrediuntur, vt Regem alloquantur, discere ab antiquis aulicis & regijs ministris, qua reuerentia & vrbanitate cũ Rege agendũ sit: ita nos attēdamus veteres illos domus Dei ministros, illi proximos Seraphinos, qui diuino ardent amore: & licet videant cognitionem & amorem suum longè à diuina superari bonitate, nec se diligere Deum, vt dignus est diligi, operiunt caput, quod sedes est cognitionis, & pedes, qui affectus significant, quasi erubescant, quòd Deum nō plenè diligunt, vt diligere oporteret: vt sic nos discamus vultus nostros operire, præ confusione coram Deo nostro, cùm nostra dilectio & cognitio non solùm inferior sit diuina bonitate, sed longè minor ea, ad quam tenemur: operire quoque cogitationes nostras ac affectus, quando Deum alloquimur, ne vagari sinamus & fugere in alia. Cor ergò nostrum & *conuersatio nostra in cælo* sit, dum oramus; terram penitùs relinquentes, & quę in ipsa sunt.

Orationis attentio quomodo comparanda.
Simile.
Psalm. 46.
Simile.
Isa. 6.
Seraphim, id est, ardentes.
Hieron. in Isa. 6.
Aug. tract. 56. in Ioan. 13.
Phil 3.

Sed quid Christus Dominus oret, audiamus. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, & Filius tuus clarificet te.* Præclarè Christus orationem inchoat hoc verbo, *Pater*. Maius est Deo esse Patrem, quàm Dominum: Nam Dominus respectu creaturæ dicitur; at Pater respectu Filij. Maius autem Deo est Filium genuisse, quàm omnes creaturas fecisse. Altissima ergò oratio est, quæ à supremo Dei nomine incipit. quo innuit Christus maxima esse ea, quę petit. Sed quæ sunt illa? *Venit hora*, illa insignis scilicet, de qua sæpè dictum erat, *nondum venit hora mea*. Iam verò adest *hora* illa mortis & exinanitionis ipsius: in qua summam obedientiæ & humilitatis manifestationem dedit: in qua

Deo maius est esse patrem, quàm Dominum.
ἡ ὥρα.
Ioan 7.

in qua diuinitas maximè latuit. Hæc verò clarificatio, est nominis & diuinitatis ipsius declaratio, quæ facta est à Patre in passione miraculis plurimis, & in Resurrectione, Ascensione, & Spiritus s. missione, & denique in omni prædicatione Euangelij, quæ fiet vsq; ad mundi finem. *Vt filius tuus clarificet te.* i. vt sic manifestum fiat Trinitatis mysterium, & te esse Patrem, & simul infinita tua bonitas, sapientia, amor; quæ in Christi mysterijs maxime apparent. Quibus verbis patet, quanta Christus petat oratione sua: & tanta vis est orationis, vt vniuersa illa impetrare valeat. Quātam verò glorificationem petat, ostendit, dicens: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, quasi dicat. Sicut vniuersi mundi, non vnius populi tantùm, me caput & redemptorem dedisti, ab omni ergò mundo agnoscar, ab omnibus glorificer: omnes ad me accedāt vt ad Redemptorē: dedisti principatum in omnem hominē, da ergò glorificationem nominis mei in vniuerso mundo. Addit Christus. *Vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* i. Peto me ab omnibus agnosci & coli, vt sic omnes consequantur vitā æternam, quæ eis sine hac fide in me contingere non potest. Hæc glorificatio ex parte Dei Christo data est: nam fides omnibus est proposita: vitio verò hominum multi nō credūt. Christus petit igitur clarificationem ex parte Dei, vt toti mundo Euangelium proponatur, & omnibus detur auxilium ad consequendam vitam æternam: & hoc factum est à Deo, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Clarificatio Christi.

Deus clarificatus per Christum.

Vitam æternam sine fide nemo consequitur.

Hæc est autem Vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. id est, Hæc est caussa vitæ æternæ, nec aliter ad eam peruenient, nisi te cognouerint, & me. Quidam hæc intelligunt, de gloria cælesti quæ in Dei speciali visione consistit De hominis suprema felicitate, in quo sita esset, 288. fuerunt Philosophorum placita. Quidam dicebant eam in sapientia, alij in virtute, alij in voluptate sitam, reputantes non aliam esse felicitatem quàm bestiarum. Fides nostra supremam hominis felicitatem ostendit in futuro seculo, quæ est visio Dei manifesta & fruitio eius. Hæc est beatitudo nostra, quàm ne Philosophi quidem attigerunt Sed quantum bonum sit Deum videre ac possidere, & quanta ex hoc delectatio procedat, quis cogitare sufficiat? Omne gaudium & delectatio procedit

1. Tim. 2.

Felicitas hominis Christiani in vita futura.

cedit

cedit ex apprehensione & vnione boni conuenientis: & quo bonum est excellentiùs, & vnio maior, cò etiam erit maior delectatio: ex quo sequitur, Dei visionem, & inde ortum gaudium esse omne bonum. Hinc Deus Moysi: *Ostendam tibi omne bonum*; quia Deus, qui possidetur, omne bonum est, & sic omnis delectationis causa. Finge nunc omne gaudium, quod ab initio mundi ad finem vsque à creatura conceptum est, in vnum congregari, verè maximum esset; tamen si conferatur cum eo, quod ex Dei visione procedit, minimum vel nullum apparebit. Cum enim illud gaudium à creatura procedat, conferri non potest cum eo, quod à Deo: sicut nec creatura Deo æquari potest, aut conferri. Excedit Deus omnem creaturam infinitè, excedit & gaudium, quod à Deo clarè viso procedit in immensum. Quid est videre Deum? planè Deum fieri. Vnde optimè Ioannes: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

Dei visio omne bonum

Exod. 33.

Gaudium omne mūdi nullum est visioni diuinæ collatum.

Deum videre quid sit.

1. Ioan. 3.

Orans Patrem Christus addit. *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam* i. manifestaui nomen tuum hominibus, sicut alibi dixit: *Ego honorifico Patrem meum*. Opus verò consummâsse dicit tum propter certitudinem, tum quia mors instabat, qua consummandum erat; & quod prope est, factum reputatur. Opus etiam dicit consummatū, quia iā radix omnium erat plantata, iam Euangelium prædicatum, Apostoli electi, Christi mors decreta voluntate ipsius & inimicorum. In his verò verbis considerandum est diuinum ingenium, quod est opera sua perficere. *Dei enim perfecta sūt opera.* Et sicut initio mundi perfecit cælum & terram, & omnem eorum ornatum; ita redemptionis opus perficit. Vnde ait, *Opus consummaui, quod dedisti mihi.* & in cruce iterum ait, *Consummatum est.* Quo facto nos docet, opera nostra bona perficere ac consummare, nec inchoata relinquere. Contrà pręstare solemus, dum bona opera inchoata relinquimus, praua verò in finem perducimus. Hoc verò inter iustos & iniustos discrimen est, quòd iustus bona opera in finem vsq; perducit; praua verò non item, sed inchoata relinquit vt plurimùm: contrà verò reprobus mala opera consummat, bona duntaxat inchoat. Sic Dauid, cum arcam in domum suam ducere cogitaret, nō quieuit, donec perficeret. Vindictā autē in Nabal reliquit.

Ioan. 8.

Deus absoluit opus suum.

Deut. 32.

Gen. 2.

Ioan. 19.

Opera nostra bona perficienda sūt.

Iustorum & iniustorum discrimen in operibus bonis et malis.

2. Reg. 6.

1. Reg. 25.

Repro-

Reprobus verò omnem mouet lapidem, vt malum perfi- *Genes. 11.*
ciat, sicut ædificatores turris Babel. Et sicut Deus impedi-
mẽta iustis obijcit, ne malũ inceptum perficiant, sicut A-
bigail Dauidi: Sic cum nouerit Deus obfirmatam in ma-
lo iniqui voluntatem, solet aliquando impedire eum, &
euertere turres illius, ne intolerabiles fiãt iustis, sicut tur-
rẽ Babel; aliquando verò consummare permittit in eorũ *Gen. 16. 11.*
suppliciũ. Cùm ergò videamus Christum ea opera perfi- *Num. 22.*
cere, quæ ad nos spectant, & nobis vtilia sunt; discamus
& nos ea ad perfectum adducere, quæ gloriæ ipsius sunt,
& in quibus ei placemus.

Prosequitur orationem suam Dominus. d. *Et nunc clari-
fica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam
mundus fieret.* q. d. Ego clarificaui te in terra, tu ergò clari-
fica iam in cælo humanitatem meam, quæ dispensatoriè
sine claritate fuit in terra, donec opus redemptionis perfi-
ceretur: quo perfecto tempus adest, quo eam clarificari *Gloria corpo-*
oportet, qualis deceat filiũ Dei. Hanc corporis gloriam *ris Christi*
suã dicit, quia gloria corporis Christi à diuinitate, quæ *propria.*
humanitati vnita est, & intus latet. Nos verò non in glo- *Luc. 24.*
riam nostram intramus, sed alienam; quia ab extrinse-
co nobis accidit.

Sed hinc discendum nobis est, illud corpori Christi *Corpori my-*
mystico seruatum esse à Deo, quod verò corpori tributũ *stico datũ est*
est: & quod præcessit in cap, in eius mẽbris suo tempore effi- *quod veri*
cietur. Christus patrem clarificauit, opus sibi mandatum *corporis e-*
consummauit, iustè petit sui clarificationem. Si ergò nos *rat.*
similiter fecerimus, similiter clarificabimur; laborãtibus
merces fidelis retribuetur. Pugnemus ergo viriliter labo- *2. Tim. 2.*
remus *sicut boni milites* Christi IESV, & coronã immarces- Simile.
sibilem percipiemus. quia *non coronabitur nisi qui legitimè* *N. B.*
certauerit. Eximio cum gaudio venit fortis dux in conspe- *Pro. 14.*
ctum regis bello feliciter confecto: Ita iustus, qui feliciter *2. Tim. 4.*
pugnauit alacer in mortem venit, quia *sperat in morte sua,
coronã, quã reddet ei iustus iudex. Non enim iniustus est Deus, vt
obliuiscatur operis illius.* Pugnemus ergò, vt glorificemur;
socij simus Christi passionum, vt & socij simus in reg-
no, vt cum Ioan. dicere possimus, *Particeps in tribulatione*
& regno, cœlesti; quod nobis donet Deus noster. &c. *Apoc. 1.*

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

THEMA: *Et Dominus quidem Iesus postquàm locutus est eis, assumptus est in cælum* Marc.16.

Ascensionis Christi claritas. HODIERNA festiuitas vltima est Verbi incarnati, & felix terminus itineris illius. Hodie in patriam suam peruenit ille *qui solus peregrinus erat in Hierusalem*, postquam votum impleuit suum & peregrinationẽ *Luc.24.* feliciter absoluit: in veste defert peregrinationis suæ in- *Zach.13.* signia, de quibus mirati sunt Angeli, *Quæ sunt plagæ istæ in* *Isa.63.* *medio manuum tuarum?* Hodie vltimam imposuit manum *Rom.4.* operi redemptionis Quia *mortuus est propter delicta nostra,* N. *resurrexit propter iustificationem nostram*, ascendit propter *Matth.28.* glorificationem nostram N. Ante ascensionem suam noluit mundo vniuerso proponi redemptionẽ: sed nunc ait, *Psalm.20.* *Euntes docete omnes gentes*. Vnde Psal. *Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas*. quasi dicat cũ ascenderis, manifestabimus toti mundo redemptionem tuam. Hodie ingreditur triumphans in regnum. Est enim *Luc.19.* homo ille *nobilis, qui abijt in regionem longinquam, accipere si-* *Dan.7.* *bi regnum*. Ingreditur, vt ornetur diademate altissimo, cui vniuersæ cœli & terræ coronæ subijciantur: de hoc Dan. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum; et dedit ei potestatem & honorem* *Act.1.* *& regnum*. In nubibus cæli dicitur venisse, quia *nubes susce-* *Psal.103.* *pit eum ab oculis eorum*. Et, *Qui ponis nubem ascensum tuum*. Et *Aug. ibid.* de Christi regno. *Dominus in cœlo parauit sedem suam, et reg-* *Psal.102.* *num ipsius omnibus dominabitur.*

Psal.10. Sed quanta cum lætitia à patre, & vniuersa curia cœ- *Lætitia Ascẽsionis.* lesti exceptus sit Christus, quis loquatur? Si dissipator filius tanta cum lętitia excipitur reuersus ad domum patris: quã- *A Simili.* ta excipietur fidelissimus, qui bona paterna recuperauit, & auxit? Quanta in eius susceptione in cœlis iucunditas fuerit, nemo sufficit enarrare? Gaudium quidem diuinũ crescere nequaquam potuit: sed exteriora in cęlo signa gaudij, & in beatis ipsum gaudium auctum mirum in modũ est. *Psal.46.* Hinc Psal. *Ascẽdit Deus in iubilatione, et Dominus in voce tubæ.*

Sed

Sed dubium est,an cęlorum duntaxat hęc iubilatio sit, *Cælum et ter*
an etiam terræ?Cęlorum quidem gaudium & gaudij cau- *ra ascensione*
sa manifestè patet. Sed terra quo pacto gaudere hodiè po- *Christi læ-*
test,cùm sole orbetur eam illustrante? Cum sol adest nos- *tantur.*
tro hemisphærio,cuncta lætantur, lumine ab eo recepto: Simile.
sed eo recedente tristātur. Postquam enim Deus Pater vis-
cera misericordiæ ac dilectionis mundo ostendit, *vt Filiũ*
suum vnigenitum daret,videtur nunc hanc donationem re-
uocare,& ab ingratis repetere per Christi Filij sui ascensio *Ascensione*
nem;quod non æquè conueniens & oportunum esse vide *Christi*
tur,cùm *sine pœnitentia sint dona Dei*.Ex parte etiam Filij nō *Deus num*
tantam videtur in Ecclesiam dilectationem ostendere, cū *amorem suũ*
ab ea discedit.Cùm enim sponsa præcipuè desideret spon- *imminuerit.*
si sui pręsentiam;Ecclesia sponsa Christi,super omnes spō- *Rom.11.*
sas hanc ex optat.Cur ergò,ò Sponse dulcissime, Ecclesia *Ascensione*
in terra relicta in cælum ascendis?an non melius esset dul *sua an Chri-*
ciusq; nobiscum manere,nos regere, nos docere, & tunc *stus amorē*
demum,assumpta vniuersa Ecclesia tecum, in cælum cō- *subtraxerit.*
scendere?O diuine Pastor,qui ouem errantem venisti quę- *Simile.*
rere, quomodo eam inter crudelissimas bestias relinquis? *Apostrophe*
& tu ad cęlestia tutus migras? *Quare sicut colonus futurus es* *ad Christũ.*
in terra, & sicut viator declinans ad manendum?q.d. Propheta, *Hierem 14.*
Ciuem te volebamus nō colonum;nobiscum commorā- *Hieron.ibid.*
tem non viatorem citò transeuntem Hoc præuidēs Chri- *Ascensionis*
stus,multis verbis cum discipulis egit deconuenientia sui *Christi con-*
discessus;& ostēdit,quòd sicut accessus ex amore processit, *uenientia.*
ita & discessus. Dilectioni enim suę Christus abundè satis- *Ioan.15.16.*
fecit,dum in diuiniss. Eucharistię Sacramēto māsit. Et qui *Matth.28.*
ait; *Ego vadam ad Patrem*; ait etiam; *Ecce ego vobiscũ sum vs-* *Ad Christũ*
que ad consummationem seculi. Dicis,Si Christus in mundo *quomodo*
esset, ad eum accederem in omni negotio & necessitate. *nunc accedē-*
Hæc vniuersa nunc agere potes. Eucharistiā sume,& Chri *dum ac si visi-*
stum non solū in domum tuam, sed etiam intra teipsum *bilis adesset.*
suscepisti. In omni necessitate ad eū accede, ac si eū oculis
corporeis cerneres:beatior es,quia eum cernis oculis men *4.Reg.2.*
tis.Aderit tibi in omnibus, ac si visibilis appareret. Sicut *Chry.hom.2*
Elias raptus in cælum pallium suum Elisæo reliquit, quo *ad popul.*
aquas Iordanis diuidit:sic indutus est Deus pallio corpo *Act.10.*
ris sui,quod nobis reliquit in Eucharistia. Inde *virtus exit,* *Luc.6.*
vt sanet omnes:inde accedentibus ad se adest. In tuum ergò
commodum ascendit & in Eucharistia mansit.

Distributio Ostendendum nunc nobis est, quibus de causis hæc
concionis Christi Domini ascensio conueniens sit Christo Domi-
Cur Christũ no, cælesti curiæ, & nobis etiam: vt inde colligamus o-
ascendere mnium hodiè communem esse lætitiam.
conueniat. I. Christo Domino conueniens fuit Ascensio; quia lo-
Locus nostri cus debet esse proportionatus locato: Christus autem per
corporis cor- resurrectionem vitam immortalem & incorruptibilẽ in-
ruptibilis. choauit. Locus autẽ, in quo nos habitamus, est locus ge-
Locus glorio nerationis & corruptionis; sed locus cælestis, est locus in-
si corporis corruptionis. Et ideò non fuit conueniens, quòd Christus
incorrupti post resurrectionem maneret in terris; sed conueniens fu-
bile cælum. it, quòd ascẽderet in cęlum. Gloriosi enim corporis locus
2. incorruptibile cælum est. Deinde si de aliquibus Sanctorũ
*Heb.*11. Paul. dicit, *Quibus dignus non erat mundus*; quid diceret de
*Psal.*113. Sancto Sãctorum? Corpus quidem illius licet verè huma-
*Psal.*10. nũ esset, non cæleste, sed tamen in multis cæleste; imò di-
*Ephes.*4. & uinum erat: quia Deo hypostaticè vnitum. Hinc Psal. *Cælũ*
1. *cæli Domino.* Et, *Dominus in cælo sedes eius.* Et Paul. *Ascendit*
3. *super omnes cælos*; Et, *omnia subiecit sub pedibus eius.* 3. tantæ
Ephes. 4. Christi humanitatis humiliationi tanta respõdere debuit
Simile. exaltatio. Conueniens igitur hic locus erat Christo, eò
Joan. 16. quòd in mundo se humiliauerat. *Qui enim descendit, ipse est*
Figuræ: In *& qui ascendit.* Fontis aqua tantùm iterùm ascẽdere solet,
Arca Noe in quantùm descenderat prius. *Exiui à Patre et veni in mundũ;*
montibus Ar *iterum relinquo mundum & vado ad Patrem*; inquit fons no-
meniæ. ster Christus. In statera quo lanx vna inferior deprimitur,
Gen 8. eò altior altera eleuatur: sic quò vita præsens per humilita-
Arca à Phi- tem fuerit depressior, eò in futura erit altior & sublimior,
listæis capta Christus qui sub omnium pedibus fuit, qui Barrabæ post-
cum gloria positus, nunc super omnia exaltandus erat: & qui à tribu-
restituta. nali in tribunal ductus fuit, iudex erit viuorum & mor-
1 *Reg.* 6. tuorum. & impletum est illud Paul. *Constituens illum ad de-*
Arca testa- *xteram suam in cælestibus super omnem principatum, & potesta-*
menti in ten *tem & virtutem, & dominationem, & omne quod nominatur*
torijs habi- *non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub*
tans colloca *pedibus eius. vt ei genu flectat cælum & terra*, qui hic irrisus
tur in tem & blasphematus est. Ex his verò duo nobis colligẽda sunt;
plo Salomo- primùm de tãto Christi bono gaudere. Amabile quidem
nis. 3. *Reg.* 8. proprium bonum, & nobis delectabile valdè: sed quando
Ephes. 1. bonum aliquod est vniuersale, non possumus non de illo
Phil. 2. gaudere. Audi lætantes Sanctos de Agni gloria, *Dignus est*

Agnus

Agnus, qui occisus est accipere virtutem &c. Exulta ergò & tu, & lauda magis Christi gloriam, quia vniuersalis est. Secũdum verò hinc colligendum est; si vis ascendere cũ Christo, descende cum eo; humiliare, vt exalteris. quia *gloriam præcedit humilitas.*

Gaudendum de Christi bono.
Apoc. 5.
Descendendum cũ Christo, vt cum eo ascendas.
Prou. 15.

II. Cælesti etiam curiæ conueniẽs fuit, Christum ascendere. Descenderat Christus è cælesti curia in terram, vt hominum regnum Patri sibiq; acquireret. Perfectum iã hoc opus est, consummata redemptio; meritò cælestis curia petit, vt in eam reuertatur. Si enim Angeli optant, vacuas sedes impleri, potiori iure desiderant capitis sedem impleri. Est enim Christus non hominum solùm caput, sed & Angelorum. Fuit verò lætissimus hic dies & festiuus cælo multo plus, quàm dies glorificationis Angelorum. Quia *Agnus lucerna est* cælestis Hierusalem. Vnde plus cælestem curiam ornat, perficit atq; illustrat Christus, quàm omnes Angeli & homines. Lætissimus ergò hic dies cælesti curiæ est. Hic certè est gemma carbunculi in ornamento auri. Quantum ergò splendoris & decoris adduxerit cælesti curiæ Christus, dici non potest. Nam hodiè festus agitur dies vniuersæ Christi gloriæ, quam suscepit in anima, in incarnatione; in corpore, in resurrectione: quæ gloria maior potiorque est, plus cælestem patriam illustrat, quàm gloria omnium beatorum. 2 Angelorum etiam gaudium in hodierna festiuitate colligere possumus ex eorum in Natiuitate Christi lætitia. Si enim lætati sunt, videntes Regem suum in bellum intrare, qua lætitia excipient è bello victorem reuertentem. Tunc apparuit militia cælestis exercitus quia militaturo Regi militia cælestis adiungitur; nunc triumphatori adstant in vestibus albis. Ingressus est Christus ꝓ vniuerso hominũ genere in bellum aduersus dæmonem, nec pro hominibus tantũ, sed vt Patris & Angelorũ omniũ partes ageret: Victor euasit, fortẽ superauit, eius vasa diripuit, spolia Angelis tradidit. Excipitur ergò sicut Iudith amputato Holofernis capite: sicut Dauid superato Goliath: cui caput Philisthæi amputatũ ferẽti obuiã egressæ sũt *mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes et choros ducentes* &c. Contigit hodie Angelis illud, *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultãt victores capta præda, quãdo diuidunt spolia.* Seminauerant olim Angeli, dum homi

Cælesti curiæ conuenit Christum ascendere.
Angelorum lætitia in Christi ascensione vnde sit.
Apoc. 21.
Angelorum lætitia ex Ascensione Christi.
Luc. 2.
Act. 1.
Iudith 13.
1. Reg. 18.
Isa. 9.

nes custodierant, sed triticum in horreum cæli non congregauerant: sed nunc lætantur coram Christo tãquam in messe; quia nunc, quos seruauerunt, metunt, & in cælum ducunt, nunc spolia hostium diuidunt. Summa ergò lætitia exultant.

Lætitia hominum. III. Restat videndũ, quomodo nobis cõueniens esse possit Christi ascensio. Et sine dubio nostra intererat, vt ascenderet ille: noster est ille totus; & omnia quæ illius sunt, nostra sunt: & sicut propter nos descendit, ita & ascendit. *Qui ascendit, ipse est & qui descẽdit.* id est. quo affectu ac dilectione descendit ad nos è cælis, eo ascẽdit propter nos ad cęlum. Expediens ergò nobis ascensio Christi est. hinc ille ait; *Expedit vobis, vt ego vadam.* 1. expedit nobis, vt ascendat; quia *ascendit iter pandens ante eos.* Primus parens Adam descendit pandens nobis iter mortis, quod antè clausum erat: sed secundus Adam ascendit, pandens iter vitæ, quod clausum erat. Quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Notas facit nobis* Christus *vias vitæ, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam.* En *ascendit pandens iter ante nos*, sicut Arca testamenti præcedens aperuit viam per Iordanis alueum Israëli, vt ingrediatur terram promissam. Sequamur ergò nos, transeamus cum Arca Dei præcedente nos. *Conuersatio nostra in cœlis sit*, aliàs nanque *de terra terreni* dicemur. 2. expedit nobis Christi ascensio, vt in cælo nobis esset aduocatus, qui causas nostras cum Patre ageret vniuersas. Hinc Ioan. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et Paulus. *Non enim in manu facta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum, sed in ipsum calũ, vt appareat vultui Dei pro nobis.* O mirabile aduocati patrociniũ, in quo aduocatus ius tribuit clienti, & quam non habet in negotio suo iustitiam, ille præstat veram & inhærentem. Mirabilis profectò aduocatus, propter quem dicere possumus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus, qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Sũma hinc nobis fiducia est: est enim causæ nostrę aduocatus, qui posteà futurus est iudex. Cuius causa cadet, si talẽ habuerit patronũ? quid non obtinebimus à patre tãto me-

Ephes. 4.
Ascensio Christi cur nobis expediat.
1.
Ioan. 16.
Mich. 2.
1. Cor. 15.
Rom. 5.
Psal. 15.
Hebr. 10.
Ios. 3.
Phil. 3.
Ioan. 3. & 8.
2.
1. Ioan. 2.
Heb. 9.
Rom. 8.

mediatore? cui de iustitia debita est exauditio. Si vniuersa
cęlestis curia pro te oraret, quanta tibi fiducia esset: sed hoc
nihil est, si cum Christo aduocato conferatur. Potentior
multò ille solus est, quàm vniuersa cælestis curia. Hinc
Psal. *Pro hac orabit omnis sanctus ad te in tempore opportuno: ve-* Psal.31.
runtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approxima-
bunt. q d Sancti orant, vt nobis diuinam impetrent mise-
ricordiam, sed in tempore opportuno: at cùm Deum iratũ
vident propter peccatorum diluuium, non audent pete-
re. Hinc Dominus; *Si steterint Moyses & Samuel coram me,* Hier.15.
non exaudiam eos. Sed num eo tempore diffidet homo? Ne-
quaquam. *Tu es refugium à tribulatione, quæ circundedit me.* id Psalm.35.
est, deserentibus omnibus, cùm illi petere non audent, ad
te confugiam. Tibi enim omne tempus opportunum est,
cui semper exauditio debetur, cui merita infinita sunt, vt 3.
nulla possint solutione vacuari. 3. expediebat nobis Chri- Ioan.14.
sti ascensio, vt impleret, quòd ipse dixit: *Vado parare vobis*
locum: & si abiero, & præparauero vobis locum; iterum venio, &
accipio vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Christus e-
nim sedens à dextris Dei & vacuas Angelorum sedes con-
spiciens, in eas homines disponit gratia sua, & dignos ef- Genes.47.
fectos ad eas assumit. Sicut Pharao olim maximam pote
statem concessit Iosepho in terra AEgypti: sic Christo sibi
summam à patre traditam esse ostendit: *Data est mihi omnis* Matth.28.
potestas in cælo & in terra, vt regna illa fratribus distribuat. Ioan.5.
4. conueniens erat nobis Christi ascensio in fidei, spei, & 4.
charitatis augmentum. Fides quidem in nobis aucta est, Fidei aug-
dum de illis sumus, *Beati qui non viderunt & crediderunt.* & mentum ex
Petr. *In quem quoq; nunc non videntes creditis* &c. Cùm enim ascensione.
fides sit de non visis; quo minùs res aliqua videtur, eò fides Ioan 20.
in illam maior est. Vt ergo auctior esset fides Ecclesiæ, ab- 1. Petr. 1.
latus ab ea sponsus est. 2. Spes nostra mirum in modum Spei augmen
aucta est Christi ascensione. Christus enim in caput & ex tum ex ascen
emplar hominibus datus est, quem in omnibus imite- sione.
mur. Vnde sicut passioni eius debemus conformari, ita re- 1.
surrectioni & ascensioni. Qui ergò cernimus Christum su
per cælos exaltari, speremus etiam corpora nostra exaltan
da esse. Spes enim magna nobis datur consequendi id,
quod caput nostrum possidet. Sine membris caput non e-
rit, & quo præcessit caput, membra sequentur. Hinc Paul.
Qui conresuscitauit nos, & consedere nos fecit in cælestibus in Ephes.2.
Christo.

Christo. Iam enim quasi in cælestibus sumus, dum caput
Hebr. 4. nostrum ibi est. *Habentes ergò Pontificem, qui penetrauit cæ-*
1. Ioan 3. *los, IESVM, teneamus spei nostræ confeßionem. Omnis autem,*
qui habet hanc spem, sanctificat se sicut ille sanctus est. Corpus a-
nimi fuit instrumentum & socius ad virtutem, oportet i-
gitur, vt sit etiam præmij socius. Et cum solus Deus dig-
num virtuti præmium conferre poßit, Dei opere illud cor
pori tribuetur. Vt ergò hanc corporis sublimitatem spere-
2. mus, ascendit hodiè Christus coram multis. Deinde

Ouid. lib. 1. Metam. *Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,*
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Cic. 2. de leg. *Iußit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Lactan. de opif. Dei. D. Thom. Sic inspecta cælorum pulchritudine ac magnitudine, in-
ardescet animus, optabit, expectabit & quæret hanc domū
sibi conditam à Deo. Hinc Psalm. *Quàm dilecta tabernacula*
Psalm. 83. *tua, Domine virtutum; concupiscit & deficit anima mea in atria*
Bar. 3. *Domini*. Et, *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus*
poßeßionum eius. Hanc cælestem domum ingreditur hodiè
caput nostrum, vt nos illud ingredi speremus. Etiamsi pau
per & abiectus videâre, si iustus es, cælum penetrabis, stel-
N. B. las calcabis, inter Angelos sedebis. O dulcissimum homi-
Bona quæ in patria cæle sti sperare debeamus. ni nuncium, quod ad filios pertineat. Sed quidnam in pa-
tria illa beata parauit nobis Pater? quæ in ea bona spera-
mus? Dic mihi, quæ desideras? Vis amplam domum? cælū
domus tua erit. Vis illustres socios? Angeli & Sancti tibi
adiungentur. Placet tibi sensuum delectatio? omnis ibi sen
Psalm. 80. sus delectabitur. Quid desideras? *Dilata os tuum & implebo*
illud. Ibi vniuersa bona, & vera bona sunt. Quid in terris ea
quæris? Non hic sunt, sed in cælo. Honores, voluptates, di-
uitiæ vera bona putantur, nec tamen sunt, sed vmbra po-
Sap. 5. tiùs. *Omnia velut vmbra transierunt*, dicunt impij. Satiari aut
N. B. ditescere vmbra non potes. Vera ergò bona corpori in cę-
lo seruata sunt. Parua hæc sunt, quæ corpus respiciunt. Hęc
enim corporalia non gustat Deus in mēsa sua; cibus illius
nequaquā sunt. Quis est ergò præcipuus cibus cæli? de quo
Lucæ 22. Saluator: *Ego dispono vobis regnum, vt edatis & bibatis super*
Iudic. 1. *mensam meam in regno meo*. Non ait sub mensa mea, vt A-
Cibus quo Deus in cælo pascitur, Deus ipse est. donibezech reges tenebat, *sed super mensam meam*. in ca-
dem, inquit, mensa sedebimus ego & sponsa mea, eodem
cibo pascemur. Sed, Domine, quo cibo tu pasceris? Cibus
Dei Deus est. Videns, diligens & fruens se pascitur Deus:
idem

idem tibi cibus erit, videbis Deum, diliges eum, & frueris illo. Eò diuina largitas in homines processit, vt non satis illi fuerit omnia creata dedisse, nisi & seipsum daret. Tunc reuelabit faciem suam, faciem plenam gratiarum, vt eam videamus. Prætereà, *super mensam meam*, innuit nobis in cælesti Hierusalem, *quæ sursum est, quæ est mater nostra*, ignē dilectionis & amicitiæ in Deum maximum ardere. Cùm enim beati diuinam bonitatem, infinitamque illam pulchritudinem intuentur, sic in amorem Dei rapiuntur, vt *caminus*, id est, maximus ignis, qui *semper in altari suo ardebit*, in corde illorum accendatur, & tanto Deum prosequuntur amore, vt eorum præcipuum gaudium non sit ex eo, quòd illi Deum possident, sed potiùs ex eo, quòd Deum infinita vident præditum bonitate & gloria, & in Deo infinita bona esse, & ea omnia quæ desiderare poterant, Deum possidere, gaudent de hac re ampliùs, quàm de sua beatitudine. Dei ergò cibo & Dei gaudio pascuntur non solùm, quia Deum videt beatus; sed quia sicut Deus gaudet de bono suo & gloria sua; ita beatus præcipuè lætatur de Dei gaudio & gloria Hæc gloria beatorum est super omnem gloriam. Qui ad tantam mensam vocati estis, vt quid vanitatibus huius mundi satiari vultis? Deus cibus tuus erit, ieiuna ergò nunc anima Deo implenda: vt quid luto nunc implearis? Si hac viua spe præditus esses, qua tanto bono frui sperares, nihili vana & caduca huius mundi duceres, diuitias contemneres, dicens; Diues ero in æternum cum Deo meo: Laboribus non fatigareris, dicēs; Requies opulenta & æterna mihi seruata est. Hanc ergò spem cælestis regni volens Christus firmare in suorū cordibus, ascendit in cælū, vt illud nos nobis speremus, quod in capite videmus impletum. 3. Expediebat hæc Christi ascensio nobis, vt charitas augeretur, & vniuersa desideria amoris in cælum transferrentur, iuxta illud Paul. *Quæ sursū sūt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedēs.* Anima nostra in cęlesti curia esse debet conuersatione, memoria, ac dilectione; quia ibi est amor & desideriū eius: Christi verò ascēsione aucta charitas est, dū purior est reddita, sublata Christi præsentia corporali. 2. Aucta verò præcipuè charitas est Christo ascēdentē, dū Spiritū s. misit, per quē *diffusa est charitas in cordibus nostris.* Hūc verò diuinū Spiritū misit ascendēs in cælum. Vnde ait: *Si non abiero paracletus non veniet ad*

Gal. 4.

Leuit. 6.
Isaiæ 31.

Dei gaudio quomodo beati pascuntur.
N.B.

3.
Charitatis augmentum ex ascēsione.
Col. 3.
Vide Domin. 4. post Pasch.

Rom. 5.
Ioan. 16.

Ephes 4. *vos; si autem abiero, mittam illum ad vos.* Et sic *ascendit vt adimpleret omnia*, donis scilicet Spiritus sancti. Et experientia manifestè ostendit, plus abundâsse in Ecclesia gratias & dona eo absente, quàm præsente. *Ecclesia Christi ascensione plus donis abundauit.* *Tunc flores martyrum* & virginum *aperuerunt in terra* nostra, de qua Psal *Visitâsti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* *Cant.* *Psalm. 64.* *Pluuiam enim voluntariam segregabis hæreditati tuæ.* *Psalm 67.* Quemadmodum ergò cum Rex regni possessionem suscipit, pecuniam copiosam dispergit atque distribuit: ita Christus *ascendens in altum dedit dona hominibus*, gratiam copiosam, charitatem ignitam, vt diuites simus. *Simile.* *Ephes 4.* Ex dictis ergò manifestè patet, nobis expedire eius ascensum.

Modus Ascensionis Christi. Sed restat iam modum Ascensionis dicamus. Non ascendit statim post resurrectionem, sed prius *præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies 40. apparens eis.* *Actor. 1.* Erat enim articulus resurrectionis fidei fundamentum, & ideò præcipua firmitate stabiliri oportuit. Et voluit prætereà 40. dies consolationis tribuere discipulis pro 40. horis passionis, quibus tribulati fuerant. *Bonauent. de vit. Christi. 103. 94. medit.*

Iam ergò instante Ascensionis tempore *apparuit* discipulis *in monte Olineti, & exprobrauit incredulitatem eorum*; ne mirentur postea, cùm eis gentes non citò credant. *Marc. 16.* *Matth. 28.* Præcepit deinde, vt *Euangelium vniuerso mundo* prædicarent. His dictis *benedixit eis*, præcipuè Mariæ, & tunc paulatim *ipsis cernentibus est eleuatus in cælum*: non translatus vt Enoch; nec raptus, vt Elias; nec assumptus, vt alij: sed propria & diuina virtute ascendit & vi corporis glorificati. *4. Reg. 7.* *1. Cor 9.* *Psalm 63.* Exaltare Domine in virtute tua. Ascendit quasi triumphator, tanquam Sacerdos, dicente Paul. *Habentes Pontificem, qui penetrauit cælos, IESVM.* *Hebr. 4.* Ascendit tanquam iudex in sedem iudiciariam. Sed quo comitatu? qua lætitia excipitur? *Greg. Naz. orat. 42. quæ est 2. in Pasc.* Post tam diuinam in cruce partam victoriam, ascendit diuina Maiestate circumseptus captiuis: quia *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, certè vniuersos sanctos Patres. *Ephes 4.* Circundant eum vniuersi Angeli, vt Regi astent suo, eumque comitentur: & impletur illud Psalm. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium*: *D. Thom. 1. p. q. 113 a. 6.* *Iob 25.* *Psal. 67.* nam millibus Angelorum mons ille scatebat Christo ascendente. Descendit Pater & Spiritus S. *in nube*, vt Christum suscipiant: non quod loco moueantur; sed quod Deus in nube apparere solitus erat, nunc similiter *in nube* Christo occurrat. *Figura in Eliseo.* *4. Reg. 6.* Descenderunt in occursum eius vniuersi cæli ciues:

ues: nullus non venit, vt eum exciperet. Ingressus verò cælos, eos *penetrauit* subtilitatis dote, donec in sedem beatorum deueniret. Relinquebat tunc animas, quas secum deferebat in Angelos & reliquos Spirituum ordines. Ipse verò *ascendit super omnia* corpora cælestia, *super omnes cælos*: ibique sedit ad dexteram Patris, tanquam Salomon in throno gloriæ suæ, & tanquam Assuerus in solio regni sui. Tunc summa cum lætitia Angeli decantarunt: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* In mundo illudentes ei genu flexerunt: nunc *in nomine Iesu omne genu flectatur*: tunc arundinem posuerunt in dextera eius, nunc *virgam virtutis suæ emittit Dominus ex Sion*: tunc inimici exaltati, nunc *ponit inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. tunc spinis coronatus, nunc *gloria & honore coronatus, & constitutus super opera manuum tuarum*. Dexteram vero Patris intellige potissimum locum in cælo. Nos ergò fratres demus primum locum in cordibus nostris Christo. *Super omnes cælos* ascendit ille; super cor nostrum tollamus eum. Si autē aliquid diligis præ Christo, illud super eum collocas. Elisæus ab Elia petit duplicem Spiritum; non diuitias, non vitam: idem tu à Christo pete. Sed ait Elias: *Fiet tibi, si videris me ascendentem.* Si videris, ô homo cùm Deus à te recedit, quàm miser & solus maneas, dabitur tibi Spiritus Dei. Si vides etiam ascendentem Christum, si eius Ascensionē contemplaris & locum, quò abijt, vt illuc ascendas, eò dirigas gressus tuos, recipies eius Spiritum duplicem. Si nunc pauper & exulans audiret; Frater tuus factus est Rex magnus, vocatque te, vt cum illo regnes; vt partem maximam regni sui tibi largiatur, num hoc nuncium negligeret? num ad eum properaret! Audi miser homo, Frater tuus, *primogenitus in multis fratribus* iam cæli culmina tenet, vocat te, vt cum illo regnes. An vocationem hanc negliges? *Videte vocationem vestram fratres*; in regnum, æternum vocati sumus, vt vbi Christus est, & nos simus. Quæramus ergò nos illum, in cælum migremus, vt eum inueniamus, implentes illud Ecclesiæ, *Vt qui hodierna die Vnigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus.* *Conuersatio* ergò *nostra in cælis* sit. Illic *thesaurus noster est, ibi sit & cor nostrum*, illuc oculi & desideria erigantur.

Hebr. 4.
N. B.
Psal. 109.
Phil. 2.
Zach. 8.
Psal. 109.
Psalm. 8.
Adhortatio.
4. Reg. 2.
A Simili.
N. B.
Rom. 8.
1. Cor. 1.
Quo vocati simus.
Phil. 3.
Matth. 6.

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

THEMA: *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Ioan. 15. & 16.

Propositio à diuisione Euangelij.

TRIA nobis proponuntur hodierno Euangelio. Primùm diuinitas & Maiestas Spiritus sancti. Secundùm testimonium illustre, quod de Christo Domino Spiritus s. dedit, & Apostoli etiam reddiderunt, cùm mundum fidei Christi subiugârunt. Tertiùm tribulationes ac persecutiones iustorum, quas in hoc opere passi sunt, & quibus omnes in mundo agitandi sunt.

1. Pars Euangelij. *Spiritus sanctus desiderari vult sicut Filius.* *Agg. 2.* *Genes. 49.* *Ioan. 7.*

Primò ergò Maiestas Spiritus diuini ostenditur, & eius mirabiles effectus, vt cùm proximi simus eius aduentui, excitetur in nobis ingens illius desiderium, quo præparemur, vt eum suscipiamus. Licet diuersa persona sit Spiritus sanctus à Filio, eadem tamen vtriusque natura est, idē ingenium. Cùm in mundum venturus esset Filius, voluit prius desiderari, adeò vt nomen eius esset, *Desideratus cunctis Gentibus, & desiderium collium æternorum.* Ita & diuinus Spiritus, vt in mundum veniat, desiderari vult. Hinc Christus: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, [illegible]m accepturi erant credentes in eum.* Vt ergò ad nos veniat hic Spiritus, optemus illum, inuocemus, & oremus. Sic Sap. *Optaui, & datus est mihi sensus, inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ.* Sic & ab orantibus Apostolis susceptus est.

Sap 7. *Actor. 2.* *Diuitiæ Maiestatis Spiritus s.* *Aug. tracta. 94. in Ioã. 16.* *Paracletus quomodo Spiritus s.* Apophtegma. *Gal 4.* *3. Reg. 22.* *Ioan 3.* *Cic. 3. Tuscul.*

Vt verò in nobis excitetur hoc desiderium, miras & immensas diuitias huius Spiritus Christus ostendit, dicens. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Paracletus est, Consolator, & Aduocatus. 1. Quòd diuinus Spiritus sit consolator, manifestè patet, quoniam cor implet mira dulcedine. Sed quomodo est cōsolator, cùm sit Spiritus veritatis? Veritas aūt odiū parit, obsequium amicos. Hinc Paul. *Factus sum vobis inimicus verū dicens.* Et Michæas Propheta alapa percutitur etiā adiuratus verum dicens. Respōdetur: *Qui malè agit, odit lucem*, & hunc lux non consolatur, nec Spiritus veritatis sed mendacij. Epicurus docens nullam Dei esse prouidentiam circa mortales, solatium dictus est mundi, & mundan-

dan-

danorum: at Spiritus sanctus paracletus est iustorum. Hos veritas consolatur. Veritas enim probis non iniustis solatio est. Hinc vniuersa Scriptura diuina & fides nostra, quæ à Spiritu veritatis processit, consolatio est iustorum. Rectè ergò Spiritus s. paracletus dicitur, quia bonos consolatur. 2. Spiritus s. est Aduocatus. Hinc Paul. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, postulare nos facit. Non enim Aduocatus dicitur, quod pro nobis oret, id enim ipsi non conuenit; sed quia παρακαλεῖν significat adhortari ad aliquid, & patronũ agere, adhortator, admonitor, & præceptor est in certaminibꝰ virtutis; & docet omnia, quę facere oporteat, vt causam vincamus, & à Iudice absoluamur; quod etiã munus est Aduocati. Et ad hoc pertinet, quòd nos faciat postulare *gemitibus inenarrabilibus*.

Veritas iustis est solatio non iniustis. *Rom 15.* *2. Petr. 1.* *Ruper. li. 10. de diuin. offic. c. 1. Aduocatus.* *Rom 8.* *Euthym.* *Rom 8.*

Quem ego mittam vobis à Patre. ostendit his verbis à se etiam Spiritum s. procedere. Persona enim in diuinis non mittit nisi eam, quæ ab ipsa procedit. *A patre.* qui est apud Patrem illi consubstantialis; Vel, *à patre* approbante & simul mittente. *Spiritum veritatis*, id est, Filij, qui dixit, *Ego sum veritas.* Vel Spiritum noui Testamẽti. Vetus enim Testamentum dicitur Figura & Vmbra; nouum verò Veritas. Licet enim idem sit Spiritus in vtroque Testamento quoad substantiam, sed non idem quantum ad copiam & effectus. Vel quia docet omnem veritatem necessariam saluti, sicut dicit: *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Vt verò ostendat Spiritum s. nosse omnem veritatem, ait *Qui à patre procedit*: nã quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Spiritus ergò à patre procedens nouit omnia, quæ Patris sunt.

Theoph. in Ioan 16. Cyrill. lib. 10. c. 33. in Ioan. Chrys. serm. in Pentec. de S. Spirit. hom. 1 in Matth. in Psal. 109. *Euthym.* *Ioan 16.* *Spiritus s. nouit omnem veritatem.* *1. Cor 2.*

Vis ergò desiderare Spiritum s.? attende, quæ dicta sunt. Ille est Consolator, Aduocatus, Patronus, Doctor, Donũ à diuina largitate procedẽs, & qui à Patre & Filio emanat, ijs consubstãtialis, qui nos doceat omnẽ veritatẽ, qui noui Testamenti donũ est. His auditis, agnosces infinitas huius Spiritus diuitias. Huius *sempiterna virtus ac diuinitas* inuestigari nõ potuit à Philosophis videntibus mirũ mũdi ordinẽ. Hic *ferebatur super aquas*, significans baptismũ purificantẽ, & liberantẽ iustũ Noe cum sua familia super aquas diluuij. Hic Spiritus siccauit mare rubrũ, vt Israël sicco vestigio transiret. Hic *Dei digitus*, ad quẽ pertingere non valuit Magica leuitas in Aegypto. Hoc digito scripta est Lex in tabu-

Spiritus s. eulogia. *Rom. 1.* *Genes. 1 et 8.* *Cypr. serm. de Spiritu s.* *Exod 14.* *Exod. 8.*

Exod.31.32. 34. tabulis. Hic est Spiritus, qui ornat cælos, & interiora hominis perficit. Hic est Spiritus duplex Elisæo datus ad opus
4 Reg 2. & sermonem, doctrinam & miracula, scientiam & exem-
3. Reg.3. plum. Hic sapientiâ impleuit Salomonem, intellectu Da-
Dan.1. nielem, Samsonem fortitudine, Ioseph consilio, Moysen
Genes.41. scientia & mansuetudine, Dauidem pietate, Iob timore, &
Exod.2. Sanctorum animas omnimodis fæcundat virtutibus, & o-
Actor.7. mnibus Ecclesiæ Sacramentis interest, quæ ipse efficit &
1. Reg.16. consummat O mirus artifex, qui Pastorem reddis Psalmi-
Iob.1. stam, persequutorem Doctorem gentium, Publicanum
Greg hom 30 Euangelistam; mirus profectò, qui hæc in puncto nouit
in Euang. agere. Si ergò hic in te aduenerit, omnia mala auferet, o-
Ioan 14. mnia bona conferet, & in te perficiet: eum ergò desidera,
Nazian orat. eum tibi dari vehementer pete. Hunc hodie Spiritum suis
44 in Pētec. promittit Christus. Sicut ergò de Moysis spiritu Domi-
Exemplum nus abstulit, & dedit 70. viris *de senioribus Israel, vt susten-*
Allegori- *tent cum eo onus populi*: sic de Spiritu Christi discipulis ad-
cum. iutoribus promittitur; sed hac diuersitate, quòd Christo
Num. 11. nihil aufertur: quia ei non est datus Spiritus *ad mensuram*,
Aug.q.8.in Num. & ipse per suos cuncta operatur.

II. Pars Euangelij. Secundum est, quid hic Spiritus acturus sit, & quid eo recepto agere debeant Apostoli. Hoc Dominus manifestat dicens: *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*, q d. Licet vobis iniungam onus graue, vt mundo de me testimonium detis, qui fui crucifixus: cùm vobis illiteratis & infimis de mun-
2. Cor.3. do tanta efficienda sint, idola scilicet euertere, crucem ex-
Christus cur tot testimonia habere voluerit. altare, mundum mutare; nolite hæc pauere: quoniam Spiritus sanctus vobis aderit, qui hæc omnia facilè efficere poterit. & me licet crucifixum clarificare testimonio suo, & vos idiotas *idoneos ministros efficere noui Testamenti*

Actor.10. Sed dubitas, cur Christus tot testimonia habere voluit.
Lucæ 2.3.9. Prophetæ omnes de ipso testati sunt. Stella ei testimoniū
Matth.2.3.17 perhibet, Magi & Angeli, qui eum natum pastoribus an-
Marc.1.9. nuntiant. Simeon & Anna loquebantur de illo omnibus.
Ioan.1. Deinde Ioannes Baptista de eo testificatus est, & tota Tri-
Fides Christiana difficilis creditu. nitas in baptismo, & Transfiguratione: & demum nunc Spiritus s. & Apostoli. quorsum tot testimonia? Res est difficillima creditu, quòd Deus homo factus sit & crucifi-
Homo incredulus & durus. xus; cùm hominem sola voluntate redimere posset. Et homo incredulus est durusque corde, ideò tot necessaria fuere te-

re testimonia, præcipuè in re tanta, à qua salus omnium pendebat. Et nihilominus plures increduli fuerũt & sunt, postquam tot & tam manifesta testimonia viderunt, quæ *credibilia facta sunt nimis.* *Psal.* 118.

Testimonium verò Spiritus sancti & Apostolorum, quod de Christo Domino reddiderunt, quo mundum mutarunt & vicerunt, & ad pedes Christi deiecerunt, credendum nobis est propter Deum reuelantem, qui est prima veritas, quæ decipi aut decipere non potest. *Deus enim verax est, omnis autem homo mendax.* Et qui fide diuina credit huic innititur fundamento, vnde Ioan. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Vt verò sciamus, quæ à Deo reuelata sunt nobis, Ecclesia magistra est, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, quia à Spiritu s. edocta est *omnem veritatem.*

Testimonio Spiritus s. & Apostolorũ cur adhærendum.

Deus prima veritas.

Rom 3.

1. *Ioan* 5.

1. *Tim.* 3.

Ioan. 16.

Victoria autem ista Euangelij contra vniuersum mundum, cùm ministri Euangelij essent numero pauci, infirmi, pauperes, illiterati; contrà verò mundi sectatores innumeri, potentes, sapientes, diuites; manifestè ostendit fidei nostræ veritatem esse adiunctam, quæ omnia vincit, contra quam nec Regis potentia, nec mulierum vis, nec vini fortitudo præualuit.

Victoria Euangelij fidei nostræ veritatẽ probat.

1. *Ioan* 5.

3. *Esd.* 3.

Sed diuersitatem horum exercituum, armorum & pugnæ & tandem exitum certaminis intueamur. Exercitus diuersitatem ostendit Paulus. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi delegit Deus, vt confundat fortia.* En infimam sortem alterius exercitus; cui adde militum paucitatem, quos Dominus dicebat, pusillum gregem. In altero verò exercitu innumeri sunt milites. *Euntes in mundum vniuersum*, Dux ait, *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Innumeri mundi sapientes, nobiles, potentes, diuites, philosophia Græcorum, potentia Romanorum, & omnium Regum terræ. Mira disparitas exercituum: pauci agni contra innumeros lupos, vrsos, leones: & non tantum contra homines, sed vniuersos dæmones, qui duces agunt. Hinc Paulus. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed principes & potestates* &c. Vnde cùm non sit *potestas super terram, quæ comparetur ei*, si superandi sunt, desuper terram necessaria potestas est.

Diuersitas exercitus Dei & mundi.

1. *Cor.* 1.

1. *Cor.* 4.

Luc. 12.

Matth. 28.

Marc 16.

Psalm 18.

Lucæ 10.

Ephes. 6.

Eadem eſt armorum diuerſitas, quibus dimicant. Arma mundi ſunt, ſapiẽtia eius, eloquentia, potẽtia, minæ, terrores, promiſſa vana, tormẽta innumera, deliciæ, diuitiæ, voluptates: his enim omnibus aduerſus Sãctos dimicauit. Exercitus Dei arma ſunt, pati, non reſiſtere malo. Illi dicunt, Occidamus; hi dicunt, Moriamur. Illi, Perſequamur; hi, Perſecutionem patiamur. Ita Paul. Maledicimur & benedicimus; perſecutionẽ patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus. &c. Hinc dicunt: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.*

1 Cor 4. 1. Cor. 11. Rom. 12. Hebr 11. Pſalm 43. Rom 8. Diuerſitas pugnantium pro Euãgelio & mundo.

Reſtat pugna videnda. Super quanam re contendunt? quæ belli cauſa eſt? Infirmi potentiores vincere curant in difficillimis; vt à proauis acceptam religionem deſerant, idola non colant ſed dæmones abominentur: credant in Deum trinũ & vnum, adorẽt crucifixum in ligno: In moribus, vt crucem tollant, ſeipſos abnegent, patiantur libenter: omnem fugiant voluptatem, mundum relinquant, pauperes ſint, lugentes & mites &c. Contrà verò mundus concedit, quæ carnem delectant, quæ appetitui placent & voluntati propriæ conſonant. Promiſſæ etiam retributiones ab vtroq; exercitu variæ admodum ſunt: nam mundus proponit coram oculis mercedem ſuam, diuitias, honores, voluptates. Chriſtus verò ait: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* &c. Viſi non ſunt in mundo exercitus adeò diuerſi in numero, potentia, viribus, armis, mercede, & ratione pugnandi.

Luc 9 & 11. Marc 10. Matt 5 et 12. Retributionum promiſſarum diſcrimen. Aug lib. 22. de ciuit. Dei, ca. 5. 6 7 8. 9 10 & Tract. 27 in Ioan. 14 cap. Exitus certaminis miraculoſus.

Attende nunc miraculum maximum Chriſtianæ Religionis. Pauci, infirmi, ignobiles, ignorãtes, vicerunt plurimos fortes, nobiles, ſapientes atq; potentes. & commiſſo prælio breui tempore Romanum Imperium ſe Chriſto ſubiecit; & exſpoliatus eſt fortis armatus atrio & armis ſuis. *Sancti enim per fidem vicerunt regna* &c *Hæc eſt enim victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Quis dubitabit tam inſignem victoriam non niſi Deo auxiliãte partam eſſe, & veritatem pugnaſſe pro Chriſti fide? Hanc victoriam prædixerant Prophetæ, quam de lupis reportaturi erant Agni. Sic Iſa. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit* &c. Si autem victoriæ Gedeonis, Dauid, Iudith, & ſimiles, Deo tribuuntur, quia ſuprà vires pugnantium erant, multo magis Deo tribuenda eſt Euangelij Victoria, dum tam debilibus inſtrumentis tam illuſtris victoria reportata eſt.

Chryſ aduer. gent in vita Babyl. Matth. 12. Lucæ 11. Hebr 11. 1. Ioan. 5. Victoria Euangelij à Deo & veritate. Iſa. 1 & 65 Damaſc in hiſt Ioſaph. & Barlaam

ta est. Sola ergò veritas & diuina virtus hoc opus perfecit. nam *quod infirmum est Dei, fortiùs est hominibus.* Verè *hæc mutatio dexteræ excelsi est.* Meritò ergò Christus ait: *Spiritus s. testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.*

1. Cor. 1.

Sed Apostoli non verbis solis & miraculis testimoniũ perhibuerunt veritati, sed præcipuè vita perfecta & sanctissima, qua mirabiles mundo effecti, testes redditi sunt omni exceptione maiores. Hoc testimonium à fidelibus Petrus exigit. Et Paulus sanctam vitam discipulorum vocat *epistolam commendatitiam* Christi & sui ipsius, quam ab omnibus sciri & legi affirmat: quia hoc testimonium omnes recipiunt homines, ab omnibus intelligitur. Vis ergò, ô homo, quicunq; sis testimonium Christo dare? vis fidei testis esse fidelis? exemplum præbe bonorum operum domesticis fidei & omnibus reliquis, & eris *sagitta Dei acuta, vt populi sub te cadant.* Miram enim vim exemplum habet.

Vita Apostolorum sanctissima Christo testimonium dedit.

1. *Petr.* 3.

2. *Cor.* 3.

N. B.

Psalm. 44. & 119.

Iam tertium, quod initio proposuimus videamus. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque Synagogis facient vos.* Mirum profectò est, quæ suis Deus in hoc mundo parauit, imò & promisit? Tribulationes, persecutiones. Eas promittit quasi munus maximum. Multa dixerat de persecutionibus, quas passuri erant, ne non præuisa eos turbarent. *Absque synagogis,* inquit, *facient vos.* Synagoga locus erat orationis & concionis; qui ab ea pellebatur, quasi excommunicabatur. *Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Quo manifestè ostenditur, summam futuram persecutionem. Quia cùm prætextu religionis aliquis persecutionem mouet, acerrimam illam præstat.

III. Pars Euangelij.

Marc 10.

Sed cur voluit discipulos suos tanta in hoc opere pati, & in vniuersum de omni fideli cur voluerit, vt *omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiantur?* Et Veteres quidem iustos multis vexatos esse tribulationibus in Abraham, Isaac, Iacob, Dauide & Iob manifestum est. Magis tamen hoc mirandum est, postquam ille de cęlis venit, vt nos redimeret, & à malis liberaret. Sicut enim cùm Dominus descendit in rubũ, vt liberaret Israel, magis oppressi sunt & tribulati: ita postquam Deus homo factus nos redimere venit. fideles eius plus tribulati sunt; & persecutionem pati ac labores sustinere, beatitudinem & donum siue mercedem appellauit. Sed huius rationes exquiramus.

Cur tanta Deus voluit in hoc sanctissimo opere pati discipulos.

2. *Tim.* 3.

1. Tribulatio Dei donum eſt. *Vobis datum eſt, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Sicut enim in magnifici ædificij parte nobiliori nullus lapis collocatur, niſi elaboratus ſit: ſic cùm diuina *Hieruſalem viuis ex lapidibus ædificetur*, antequam illam ingrediaris, hic elaborandus es, vt tanto ædificio dignus habearis. Lapis angularis huius ædificij Chriſtus eſt, elaboratus innumeris preſſuris & tribulationibus. Sic Apoſtoli, & omnes, qui Deo placuerunt *per multas tribulationes* tranſiêrunt. Quid ergò miraris, ſi tu rudis & ineptus lapis elaboreris, vt tanto ædificio dignus ſis? Sicut ergò lapidi, cùm politur, non fit iniuria, imò magnum ei beneficium confertur; ita tibi tribulatio à Deo datur tanquam donum. Regula verò, ad quam elaborandi ſumus, crux eſt Chriſti. Ibi ſuperbus inuenit regulam humilitatis: ibi impatiens regulam patientiæ. &c. Deinde ſi *quem diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi*, ſignum eſt etiam diuinæ filiationis tribulatio. Nec ſolùm diuinæ filiationis ſecundùm præſentem iuſtitiam, ſed etiam diuinæ & æternæ prædeſtinationis: quod ſummam homini ingenerare lætitiam debet. Tribulatus enim ſub Chriſti vexillo eſt. Eccleſia nunc grex eſt ouium & hircorum; Sed Chriſtus oues ſignat ſigno Tau, cruce ſcilicet & tribulatione; dæmon verò ſuos delicijs & omni luxu. Hinc Paul *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt.* Cùm ergò Dominus in te ponit crucis vexillum, tribulationem aliquam, ſignum in te poſuit, quo ſignificat te ſibi ſeruari, nec à dæmonibus diripi velle: ſicut Rahab funiculus coccineus dabatur in ſignum, ne domus ipſius diripiatur. Et ſanguis in AEgypto ponitur in ſuperliminaribus eorum, qui percutiendi non erant. Cùm ergò hoc crucis ſignum in te erigit, te ad ipſum pertinere oſtendit.

Voluit quoque nobis Deus æternam beatitudinem vendere, voluitq; nos negotiatores eſſe, qui emamus agrum, in quo theſaurus eſt, margaritam pretioſam. Sed iuſtum pretium vel gratiæ vel gloriæ homo ex ſeipſo dare non poteſt; quia *omne aurum in comparatione eius arena eſt exigua:* & ideò etiamſi emamus illam, gratis nobis dari dicitur & ſine pretio. Hinc Iſa. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite & emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac.* Cùm

1. Ratio. Dei donũ eſt tribulatio. Philip. 1. Simile *In hym. de dic. Eccleſ.* N. B. *Pſal. 117. Epheſ. 2. 1. Petr. 2. Apoc. 21. Actor. 14.* N. B. Simile. *Poliendi noſtri regula crux eſt Chriſti Pro 3. Hebr. 12. 2. ratio. Signum eſt diuinæ filiationis tribulatio. Aug. in Pſal. 54. & qu. in Matth. 11. & 12. Mat. 13 et 25. Chriſtus oues ſignat tribulatione, dæmon delitijs. Gal. 5.* Ioſ 2. Exemplũ. *Exod 12. Emiſſ. hom. fer. 2. Paſch. 3. ratio*

Vt beatitudinem comparemus æternam. Matth. 13 Sap 7. Iſa 55.

Cùm ergò nullum possimus ex nobis dare iustum pretiū, *quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; voluit Deus, vt summum & maximum eorum, quæ possumus, daremus, vt vniuersa nostra traderemus. Quid est illud, quo dato, vniuersa homo dare dicitur? Certè passio, quia maior est actione. Nūc ergò confer, ô homo, omne illud, quod pateris, cum æterna corona, & videbis nihil esse; attamen *id quod momentaneum & leue est tribulationis nostræ, immensum gloriæ pondus operatur in nobis*: *Rom. 8.* *Homo quomodo vniuersa sua Deo dare dicitur.* *2. Cor. 4.*

Tum postquam Deus pro hominibus passus est, voluit hominem pro illo pati: cùm hoc elegerit Deus. *Passo ergò in carne Christo* confusio homini foret, si delitijs afflueret. Pudeat membrum delicatum sub capite spinato esse. *Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias.* Cùm in hoc mundo Christus saturatus fuerit opprobrijs, quisnam qui eius vult esse, velit delicijs affluere? Ne ergò nobis vitio atque opprobrio daretur, quòd non patimur, cùm ille pro nobis passus sit, nos ille pati voluit Tum quoque vt digni habeamur ea diuina mensa, in qua sedent, qui plura pro Deo passi sunt, vt meritò eorum iungamur consortio, ne dicāt nobis: In labore nobiscum non fuerunt, cur coronæ participes erunt? In cælo mensa illa est, *Vos estis, qui permansistis mecum in tribulationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Si nihil pati vis, qua fronte inter illos numerandus eris? Multa tibi nunc pati videris: sed cùm apparueris in conspectu Christi & sanctorum, & recenseri videas illorum passiones, quid tuæ apparebunt? cùm audieris martyrum triumphos, confessorum asperrimam vitæ rationem, & Sanctorum fortia facta, quæ tua narrabis? Vt ergò aliquid laude dignum esset nobis coram tanto Deo fortissimoque Senatu, passiones aliquas, licet minores reliquit nobis. *4. Ratio.* *Vt cum Christo patiamur.* *N. B.* *1. Petr. 4.* *Bernard.* *Cant. 2.* *5. Ratio.* *Vt mensa electorum digni simus.* *Psal. 72.* *Bernard.* *Lucæ 22.* *Hebr. 11.*

Denique multas nobis adesse voluit tribulationes, præcipuè in lege gratiæ, vt nobis adsit materia plurimarum virtutum, quæ in tribulatione exercētur, scilicet fidei, spei, charitatis, patientiæ humilitatis, quibus precipuè ornatur iustus Cùm Deus Iob paulisper tribulari permisit, eo tempore eius fides spes, charitas, humilitas, patientia enituit, nihilque virtutis est, quod in eo non eluceat. En sanctissi- *6. Ratio.* *Vt adsit plurimarum materia virtutum.* *Iob 29. & 42.*

Genes.37.39. mo Iob data est materia virtutum omnium. Simile vide-
40.41. mus in Iosepho, & Dauide. Hinc Petr *Vos autem curam om-*
2.Reg.15.16. *nem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute*
17.18.19. *autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia*
2.Pet.1. *autem patientiam, in patientia autem pietatem, non vacuos nec si-*
ne fructu vos constituent in Domini nostri Iesu *Christi cognitio-*
Rom 5. *ne* Et Paul. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribula-*
Iacob.1. *tio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio*
verò spem, spes autem non confundit. Ecce innumera tribulationis bona. Vult ergò virtutum omnium tibi materiam præbere, vt humilitatis, patientiæ, fidei, spei, & charitatis opera exerceas.

7.Ratio. Vt ad cælestem gloriam properemus. Postremò, per tribulationes Deus ducit suos, vt viam in cælum celeriùs agant, & à mundi amore arceantur. Si enim dulcis via esset præsentis vitæ, nunquam eam finire vellent, & ad cælestia nequaquam suspirarent homines. Cùm hic tribularis, nihilominùs mundum diligis: si nihil hic tibi mali esset, in eo perpetuò manere velles. Volens ergò Deus nos in cælum properare, mundum contemnere, hic nos tribulari vult.

Mundus cur iustos persequatur. Vidimus cur Deus suos tribulari velit: sed quare eos mundus persecutus est? quid mali ab eis mundus accepit, vt in eos insurgat? *Hæc facièt vobis, quia non nouerunt Patrem*
Exod.5. *neque me.* Sic Pharao dicebat, *Dominum nō cognosco, & Israel*
Iustus Dei filius est. *non dimittam.* Certè si mundus Deum cognosceret, summo in pretio eius filios haberet: sed quia Deum non agnoscit,
Psalm 138. non magnifacit iustos, imò eos persequitur. Iustus Dei fi-
Psal.14. lius est, qui Deum nouit, iustum honorat. Hinc Psal. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et; *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.* Qui verò Deum non agnoscit, nec iustos reueretur.
1.Ioan.3. Hinc Ioan. *Mundus non nouit vos, quia non nouit Deum.* Imò verò cùm mundi factio Deo sit contraria, sicut insurrexit in Christum, ita & in Christos eius armatur. *Sed hæc,* ait, *locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Noli imparatus esse, tibi di-
Actor.14. ctum iam est, *per multas tribulationes oportet intrare regnum Dei.*

& cæt.

IN

IN SANCTISS. PENTECO-STES FESTO.

THEMA: *Factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis; & repleuit totam domum, vbi erant sedentes: & apparuerunt illis dispartita linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt Spiritu sancto.* &c. Actor. 2.

ADVENIENTE tempore illo, quo secula mun- *Mundi aurea*
di aurea incipiebant, quo incepturus annus benig- *secula.*
nitatis & copiæ, de quo Psalm. *Benedices coronæ anni* *Psal. 64.*
benignitatis tuæ, annus placabilis & acceptabilis Domino, vt o- *Isaiæ 61.*
mnis annus legis gratiæ gratia repletus ostendatur, quo *Ioan. 12.*
manifestanda quoque vis grani diuini in terra seminati
in vberrimo fructu, & fructus vberrimus in copia gratiæ,
quo vniuersi regeneratio aduenit, quo *noua facienda omnia,* *2 Cor. 5.*
quia vetera transierunt, vt congruum esset initium abundan *Isaiæ 43.*
tiæ tantæ, mittitur hodiè Spiritus sanctus in igne. Sicut e- *Simile*
nim cùm agrũ pigri, incuria illius spinis plenum, agrico-
la diligens vult excolere, primùm igne illum succendit, vt
facilè possit elaborari: & iactum semen fructum reddat ab-
undantem: sic Christus Dominus, qui mundum hunc, vt *Agri munda-*
pigri illius agrũ, plenum spinis inuenit, mittit hodiè ignẽ *ni repurgatio*
de cælo in Apostolos, vt illi per vniuersum mundũ hunc *per ignem*
deferant ignem, quo mundus ardeat, & omnis spinarum *Spiritus s.*
malitia ab eo auferatur, fructumque multum adferat. Ig- *Lucæ 12.*
nem veni mittere in terram, inquit Christus, *& quid volo, nisi vt ardeat?* O miram vim ignis huius, quo omnis sublata est herba inutilis, omnis error abijt, idola reiecta, vitia eradicata, &, verbo diuino seminato, innumeri orti sunt fideles, lilia Virginum, rosæ Martyrum. Ideoque dies i-
ste lætissimus est Ecclesiæ, quæ gratias agit Patri æterno *Lætitia hodi-*
per *Christum Dominum nostrum, qui ascendens*, inquit, *su-* *e ni est.*
per omnes cælos, sedensque ad dexteram tuam promissum Spiri- *Verba eccle-*
tum sanctum, hodierna die, in filios adoptionis effudit: qui cùm *siæ exultan-*
è mundi huius carcere processisset, non est oblitus no- *tis.*
stri in regia sua, vt pincerna Iosephi, sed promissam *Genes. 40.*

Genes.1. suum paracletum misit. *Quapropter profusis gaudijs totus in*
Apoc. 17. *orbe terrarum mundus exultat* Hodie *Spiritus Domini fertur su-*
Genes. 8. *per aquas*, quæ sunt populi multi, linguæ multæ, in noui
4. Reg. 2. mundi regenerationem. Hodie diluuium peccatorum
Rom. 5. hoc Spiritu terminare voluit. Est enim Spiritus s. ventus v-
rens, siccans mare vitiorum, quem *adduxit Dominus super*
terram, & cœperunt aquæ diluuij minui. Hodie noster Elias as-
cendens mittit nobis Spiritum duplicem: quia *charitas Dei*
diffusa est in cordibus nostris per Spiritum s. qui datus est nobis.
Duplex verò datur Apostolis Spiritus sibi & alijs. Hodie *as-*
3. Reg 18. *cendens nubecula parua* pluuiâ sua irrigat vniuersam terram
Psal. 67. prius siccam, de qua Psalm. *Pluuiam voluntariam segregabis*
Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu verò perfecisti eam. Nec
dare potuit amplius, quã dedit; nec terra amplius deſidera-
re, quã accepit. Hanc pluuiã summa subsecuta est abundan
Isaiæ 9. tia gratiæ. Hodie *magni consilij Angelus*, orans Patrem, in
Apoc 8. terrã mittit ignem, quo terra commouetur, & succeditur.
Huius rei historiã hodiè proponit Ecclesia ex Luca. Act. 2.

Euangelium Spiritus s. Acta sunt Apostolorum. Chrys. hom. 1. in Acta.
Dum complerentur dies Pentecostes Euangelium hodier-
num epistola est. Acta Apostolorum esse Euangelium Spi
ritus sancti, sicut reliqua Euangelia sunt Christi Euange-
lia, Chrys. ait. Dicit ergò Lucas. *Dum complerentur dies Pen-*
tecostes, quod erat Iudæorum factum in memoriam legis
datæ, quando descendit Deus in igne & sonitu super mon
Exod. 19. tem Sinai. Magno verò mysterio Lex & eius consumma-
Figura & veritas. tio eadem die mittitur. Fuit enim Legis datio figura eius,
quod hodie per Spiritum s. factum est. Tũc descendit Deus
in Sina, in igne, & sonitu: nunc in montem Sion, in igne,
Lex Moysis in tabulis lapideis; lex gratiæ in cordibus hominum. & sonitu de cælo. Tunc in tabulis lapideis lex fuit scripta
digito Dei; nunc in cordibus hominum digito suo, id est,
Spiritu suo legem scribit. de qua re Hierem. loquitur *Dabo*
legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam
& ego ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum quod Spi-
ritu s. veniente effectum est, per quem charitatis *Lex in cor-*
Hier 31. *dibus nostris diffusa est.* Horum figura præcessit in lege bis
Exod. 24. Moysi data. Priores tabulas, quæ à Deo effectæ fuerant,
Exod. 32. sicut & scriptura, fregit Moyses. Lex enim illa vetus, prius
data frangẽda erat, & cessare debuit. Deinde præcipit Deus
Moysẽ ieiunare & tabulas præparare, in quibus Deus digi
to suo legem scribat. Certè quia secunda lex scribenda erat
in hominũ cordibus per Spiritum s. corda verò præparãda
erant

erant ab homine. *Hominis enim est præparare cor*: Licet e- *Prou.16.*
nim & hoc opus sit gratiæ, est tamen etiam hominis cor
præparare, & Deo offerre, vt in eo Lex scribatur. Quid
Apostoli sunt nisi viui codices, in quibus legem Dei po *Apostoli viui codices*
teris legere? quorum vita nihil aliud est, quam Euange- *Spiritus S.*
lij Lex, quam homines admirati sunt. Tanta enim fuit *Chrys hom.1.*
in eis doctrinæ grauitas, vitę sanctitas, prodigiorum ma- *in Matth.*
gnitudo, vt *conturbati sint omnes, qui videbant eos, & timue-* Psal.63.
rit omnis homo, cùm annuntiarent opera Dei. Tales omnes fi- *Act.2,3.5.*
deles esse deberent, vt omnes, qui viderint eos, cognos- 14.19 28.
cant illos & dicant: *Hi sunt semen, cui benedixit Dominus.* vt *Isa.61.*
omnes Dei legem in vita fidelium scriptam legant. Nec *N.*
enim Spiritus sanctus solis Apostolis datus est, sed etiam
nobis; Vnde Ioel. *Effundam de Spiritu meo super omnem car-* *Ioel.2.*
nem Si Christi es, libentissimè in te effundet Pater Spiri-
tus sui dona; tantùm suscipe illum, & domum cordis pa-
ra. Addit Luc.

Tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Venit Domi- *Spiritus vehemens quid*
nus in Spiritu vehementi, in commotione, in igne. Qua *significet.*
in re multa signantur. Primùm abundantia diuini Spi
ritus, quæ nunc datur post Christi passionem, cùm antè 1.
parcè daretur, quasi *sibilus auræ tenuis*. Vt verò hic spiri *Abundantia*
tus, qui nobis est *nubes protegẽs ab æstu, inflãmans verò tanquã* *Spiritus.*
gnis, eiusque copia daretur, primùm abluendæ erant, *sor-* 3.*Reg.19.*
des filiarum Sion. id est, animarum *in spiritu ardoris & iudi-* *Isai.4.*
cij. Secundò venit *Spiritus vehemens*, vt ostendat effectum 2.
maximum, quem in mundo efficiet. Venit enim *ad sub-* *Effectus Spiritus*
uertendum mentes, conterendum petras, & immensa alia ope- *sancti.*
ra stupenda. Sicut *spiritus Domini irruit in Sampson*, cùm in- Figura.
terficeret mille viros, rumperet funes ac cathenas, sic *Iudic.15.&*
modò *irruit Spiritus vehemens* in Apostolos, vt nullus 16.
eis resistere valeat, *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non* *Luc.21.*
poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Vt ergò impe-
tu egrediantur, & fortiter in mundum irruant, venit Spi-
ritus vehemens. Fortia nobis hic Spiritus aggredienda
demonstrauit, non timere eos, qui corpus occidunt, ani-
mam autem occidere non possunt. Tertiò, *Tanquam ignis*
venit. Sine igne domus magna esse non potest. Regia *Ignis quid*
Dei domus Ecclesia est. Sine igne domus ista magna es- *significet.*
se non potest. Fuerat Christus eius ignis, *Saluator eius* *Baruch 3.* Simile.

[Isa 62.] *velut Lampas accendetur*. Sed lāpade hoc in cælum sublato, [Apoc.21.] vt cælestem illuminaret Hierusalem, quoniam *lucerna eius est Agnus*; [Spiritus sanctus Ecclesiæ lumen.] ne sine lumine Ecclesia remaneret, mittitur Spiritus sanctus, qui ignis & lumen Ecclesiæ sit. *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo*; [Psalm.17.] exarsit in corde Apostolorum, eos illuminans & inflammans, qui prius viles carbones erant. [Spiritus sancti præsentia quomodo deprehendenda.] Verè ea mutatione ostensum est in eos Spiritum aduenisse. Mutatio ista signum est diuini Spiritus. Vis ergo cognoscere huius Spiritus præsentiam? cognosces illum mutatione cordis, cùm à terreno illud cæleste factum videris, è carneo spirituale. [Bern in Cant.ser.74. N.] Hic enim huius Spiritus effectus est. Si liber à passionibus es, hunc habes Spiritum, quia *vbi Spiritus domini. ibi libertas*. [2.Cor.3.] hic *Spiritus bonus deducet te in terram rectam*. [Psalm.142.]

[Cur in igne Spiritus S. appareat.] Descendens verò in Igne ostendit quis sit, & quæ persona in Trinitate, & quid in nobis efficiat, & quomodo à nobis oporteat conseruari. 1. ostendit se Deum, dum in igne venit. Familiare enim Dei semper fuit in igne apparere. [Exod 3.] In rubo Moysi apparuit in igne. [Deut.4.] *Ostendit tibi Deus in ignem suum maximum, & audisti verba eius de medio ignis*. [Exod.24.] Et in monte Sinai. *Erat autem species gloriæ domini, quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel*. [Deut.4.] Adeoque familiare erat in igne apparere, vt diceret, *Deus noster ignis consumens est*: [Allegoria.] & Dei insigne erat ignis veniens. [3.Reg.18.] Hinc Elias populo proposuit, *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*. Et orante Elia, *cecidit ignis domini, & vorauit holocaustum*, & ignis lambit aquam vniuersam. [Apostoli sacrificium Deo.] Erant Apostoli sacrificium Deo quidem oblatum, sed aqua timoris plenum: descendit de cęlo ignis Spiritus sancti, absumpsit omne sacrificium, omnem aquam timoris lambit. Procedunt, qui delituerant, & loquuntur linguis publicè; & hoc igne cælesti factum est: [Isa.64.] *Verè Dominus ipse est Deus*. iam aquæ igne ardent, vt petijt Isa. [Abd.1.] *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma*. Hinc verò nobis discendum est, vt Deus in corde nostro seruetur, [Simile.] eo modo, quo ignem seruandum esse. [Pro.29.] Sicut *cum defecerit oleum extinguetur lucerna*; sic cùm defecerint in te bona opera, ignis charitatis peribit, quia fomento caret.

Secundò in igne apparens, ostendit non solùm quòd

Deus

Deus est, sed quod persona tertia est Trinitatis, Spiritus sanctus qui amor est, vel procedens per amorem. Amor enim ab omnibus dicitur ignis tertiò ergo Persona Trinitatis meritò igne declaratur, cùm per amorem Patris & Filij procedat. Plura contulit Deus beneficia, huius amoris signa, nunc iam dat amorem ipsum, *inenarrabile donũ.* Dedit Deus homini in corpore duo præcipua, caput & cor: similiter duo præcipua dedit Ecclesię suę Christũ in caput, Spiritum S. in cor. Tanto verò capiti tantũ debebatur cor, vt amaret, scil. Spiritus S. Quia cor hominis calidissimum est, sursum eleuat corpus, vt cælũ conspiciat: reliquorum animantium cor est frigidum, ideò non potest eorum corpora eleuare. Sic diuinus Spiritus hominem, cuius cor est, sursum erigit, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Sicut enim ignis sursum ascendit, sic diuinus amor, Spiritus sanctus, mentem ignit & sursum leuat, vt iam non terrena sapiat sicut Nabuchodonozor, *cui cor feræ datum est.* Mira profectò Dei liberalitas: nõ contentus est, quòd Filium dederit vnigenitum nunc Spiritum S. effundit *super omnem carnem.* Quis talem non miretur amorem? Tertiò, cùm *pluuia* descendit de cælo *voluntaria,* omnem terram irrigans, & *Spiritus domini repleuit orbem terrarum,* num vel guttam accepisti? Totus mundus igne ardet, & tu frigidus es? quid huius rei causa esse potest? Vtiq; quia Spiritum huius mundi habes. *Nos autẽ non Spiritũ huius mundi accepimus, sed Spiritũ qui ex Deo est; qui disciplinæ effugiet fictum &c. quem mundus non potest accipere:* nã *qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Eijce ergò à corde tuo carnem & mundi spiritum, & malignum Spiritum, vt ingrediatur Spiritus S. *Spiritus Christi, Spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Dic ô homo tantum despicis bonum? orastine illum, vt ad te diuertat. Verè desiderari ille vult. *Si quis sitit veniat ad me, & flumina de ventre eius fluent aque viuæ.* Audi miram superabundantiam Spiritus: non iam gutta eius datur, sed *flumina fluent* à bibente. Sed prius sitiendus hic Spiritus. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Prius sitit Israël, quàm ex petra aqua procedat. Audi Ecclesiam sitibundè clamantem, vt tu similiter clames. *Veni sancte Spiritus, Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. O lux beatissima reple cordis intima tuorum fidelium.*

Spiritus sanctus 3. Trinitatis persona.
2. Cor. 9.
Nyssen. lib. de homine.
Christus caput, Spiritus S. cor Ecclesiæ
D. Thom. 1. part. q. 31.
Simile.
Simile.
Dan. 4.
Ioel. 2.
Psal. 67.
Sap. 1.
Spiritus sanctus quid efficiat in nobis.
1 Cor. 2.
Sap. 1.
Ioan. 14.
Rom. 8.
Gal. 4.
Rom. 8.
Spiritus S. vult desiderari.
Ioan. 7.
Isai. 55.
Num. 20.
Ecclesia in Seq. Missæ.

Psal. 142. *Sine tuo numine nihil est homine, nihil est innoxium*. Hoc vento facilè properamus in patriam nostram. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. O beatissimus aër, ô suauissimus ventus, qui in cælum nos ducis. De cælo procedit aura ista, & in cælum ducit. Anima hoc informata Spiritu, omnibus superior rebus est; omni ornatur bono, cùm huic spiritui vnitur. Est enim hæc vnio animæ cum Spiritu S. desponsatio animæ cum Deo: vt sint iam vnum Deus & anima. Sicut enim Verbum diuinum regit humanitatem assumptam; sic Spiritus S. animam, quam inhabitat: est illi pater, magister, dulcedo, consiliarius. *Ille vos docebit omnem veritatem*. quid amplius homo desiderare potest? Inuoca ergò illum cum Sap *Optaui & datus est mihi sensus; inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ*. ora cum Psal. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ*. Aridum facit cor nostrum ignis concupiscentiæ carnis: sed nunc adest alter ignis, qui spiritum adiuuet contra carnis concupiscentias, ne succumbat. Spiritus enim diuinus carnem mortificat, minoremque reddit, spiritum verò nostrum auget, & crescere facit, vt sit carne superior. Mira profectò diuini Spiritus violentia summa cum suauitate; & mira eius suauitas summa cum violentia; redditurque in nobis cum hoc Spiritu fluuius ille Paradisi in 4. diuisus capita. Hic enim Spiritus illuminat intellectum, accendit voluntatem, roborat irascibilem, frænat concupiscibilem: quo facto redditus est nobis paradisus. Et erit nobis *desertum in Charmel, & vt delitiæ paradisi* Si ergò te videas deserto similem, si à passionibus superatum, à carne calcatum; ora vt veniat in te hic diuinus Spiritus, quo præsente omnis vastitas finem accipiet, quo exsiccatur mare rubrum quasi vento vrenti. Illo enim naturæ nostræ infirmitas pellitur, caro superatur, & gratia demùm recuperatur &c.

Marginal notes: *Spiritus S. è cælo venit & in cælũ ducit.* — *Vnio animæ cum Spiritu S. desponsatio est.* — Exemplũ. — *Ioan. 16.* — *1. Ioan. 2.* — *Sap. 7.* — *Spiritus diuini violentia et dulcedo.* — Allegoria. — *Gen 1.* — *Spiritus S. 4. effectus.* — *Isa. 32.* — *Gen. 8.* — *Exod. 14.* — *Ose. 13.*

FERIA

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

THEMA: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* &c. Ioan.3.

AGricola tristari maximè solet, cùm steriles anni sunt: sed cùm adest annus abundans præcipuo gaudio lætatur, quòd annuum tributum soluere. & se alere possit. Præcesserant huc vsque steriles anni, in quibus homo peccati debita soluere non potuit, nec sibi æternum præparare cibum, mirum igitur non est, quòd tristis fuerit: sed nunc adest annus benignitatis, in quo *Valles abundabunt frumento*, & ideo homines *clamabunt* præ lætitia, *etenim hymnum dicent*. Iam enim Christi meritis Deo persoluere possumus vniuersa nostra debita; & adsunt diuina Sacramenta, gratiam continentia, qua viuere possimus, & vitam consequi æternam. Initium huic anno datum est Spiritu sancto descendente. Oremus. &c.

Exordium à simili.

Psal. 64.

Gal. 4.

Accessit sacratum tempus, quo Deus mundo ostendere voluit infinitum suum amorem ac dilectionem (cùm *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*) dono igitur Filij dilectionem ostendit. Deus enim felicissimus est, imò beatitudo ipsa. Hæc verò esse non potest sine dulcedine; dulcedo verò sine amore esse non potest, vnde nec beatitudo. Nam dulcedo oritur ex possessione eius, quod diligimus. Hinc est, quòd Deus sine dilectione esse non potest: imò qui est summa beatitudo summè diligit. Agnosce, ô homo, Dei tui ingenium ac naturam esse, vt in sua substantia amorem contineat, ita vt sine dilectione Deus non esset; & qui dilectionem ab eo auferret, substantiam illius simul tolleret. Mira hæc homini consolatio est, cùm huiusmodi Deo agere, qui est infinita dulcedo, & bonitas. Hanc suam naturam hodie mundo ostendit Dominus, mittens Spiritum S. qui ab infinito Patris & Filij amore procedit, & ideo AMOR à sanctis dici solet. Hic Dei AMOR infinitus, qui est ipsa Dei substantia, quo nos ille diligit, effecit, vt tantum donum nobis concederet, *vt Filium Vnigenitum daret* Hoc

Deus sine dilectione esse non potest, cùm sit summa beatitudo.

Spiritus sanctus amor Patris & Filij.

in Eu

Euãgelio hodierno ostẽditur: Quod licet de solo Vnigeniti Filij dono loqui videatur, tamẽ de dono Spiritus S. etiã loquitur. Vtrũq; ergò donũ explicat, cũ dicit, *Sic Deus dilexit mundũ.* Dator munerũ Pater est; donũ datum Filius est; Amor, quo datur, infinitus, est Spiritus S. En omnia infinita: infinitũ. n. donũ procedere nõ potuit, nisi ab infinito amore, q nobis etiã dari debuit, vt Filius daretur. Amor enim est causa omniũ donorũ. Quidquid Deus cõdidit, bonitate & amore ductus cõdidit. Et in omni gratuita donatione primũ, quod donas amor est, qui est causa reliquorum donorum. Diligis amicũ, & ei beneficia præstas multa, sed primum beneficium est dilectio illa, quam ei gratis præstitisti. Ita planè Deus noster nos diligit, & deinde plura in nos beneficia cõfert: sed primũ, quod cõtulit, Amor est, quo nos gratis dilexit; & ex hoc dono amoris pcessit, vt nobis Filiũ, & reliqua omnia daret. Hic AMOR ergò, qui est primum omnium donorum, est Spiritus S. ęqualis Patri & Filio, & substãtialis Amor; qui Amor appellatur, quia ab amore procedit Et ideò Spiritus *S. donũ Dei altißimi* dicitur. Sic Petr. *Et accipietis donum Spiritus S.* Donũ est gratuita donatio: illud verò, quod omninò gratis & sine vllo debito damus, amor est, & ideo singulariter Spiritus S. donũ dicitur, *Inenarrabile* profectò *donũ* concessum nobis hodiè est, de quo Paul. *Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius.* Verè summũ, & primũ, & inenarrabile donum. Per hoc donũ, quod est Spiritus S. multa propria dona diuidũtur membris Christi. Ex his patet, quantũ nos sibi deuinxerit Deus, cùm dedit nobis Spiritum suũ. Populus Israël propter beneficia illi cõcessa dictus est *dilectus: Dilexit patres tuos, & elegit eos.* &c. Sed multo potiori iure populus Christianus dilectus dici potest, cui data est lex gratiæ, & innumera Spiritus S. dona; & ipse demùm donorũ auctor Spiritus S. datus est, & visus in igne in terra, quasi si amico dares non dona solũ, sed & cor, & animã, & spiritum tuũ. Spiritus ergò diuinus datur, non q gratia & charitas sint ipse spiritus S. (sunt enim habitus ab eo effecti) sed quia ipse Spiritus S. à nobis possidetur fide viua & charitate; & ipse vnitur animę ineffabili quadam vnione: nã *qui adhæret Domino, vnus Spiritus est.* Ex hac vero mirabili & intima Spiritus diuini vnione multa dona & gratiæ in animã redundant, sicut ex vnione animæ ad corpus multi sensus Et sic

Amor omnium donorum causa.
D. Thom. ser. in die Pent.
1. part. q. 20. 38. & 65. art. 2.
Simile.
Amore nos Deus gratis dilexit.
Ecclesia.
Act. 2.
Donũ quid.
2. Cor 9.
August. lib. 15. de Trin. cap. 19.
Comparatio.
Deut 32.
Deut. 4.
Christiani Deo dilecti.
Simile.
Gratia & charitas non sunt ipse spiritus S. sed ipsius dona, quibus nobis vnitur.
1. Cor. 6.
Effectus vnionis spiritus cum anima nostra.

hodie Christus hoc Spiritu dato spõsam ditauit suã miris modis Sicut enim vir nobilis, peregrinam perambulãs regionem, desponsatur alicui fœminæ; & quia à patria lõgè abest, promittit in illam reuersus pretiosissima se missurũ dona. quibus Sponsa ornetur: Sic desponsatus Ecclesiæ Christus, quasi peregrinus hic fuit, sed *ascendẽs in altũ*, quasi patriã suam, *captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: dona, quibus mirè ornauit Ecclesiam suã: dedit enim abũdantem ac copiosam gratiã, gratis datam, prophetiã, donum miraculorũ & linguarum, gratiã sanitatũ. Nec mirum, cùm Spiritum suum nobis dederit; *Effundam*, inquit *de spiritu meo.* Quod si hoc donẽ, quid vobis non donabo? quam gratiam negare potero? Et vide diuitias manifestas. Cùm Spiritũ suum nobis Deus dedit, donauit simul vitã suã; *spiritus enim est, qui viuificat*, & vitam ei donat, cui iungitur. Et sicut corpus sine anima non viuit, sic anima sine hoc Spiritu mortua est: sed hoc spiritu suscepto viuit. Hinc Spiritus sanctus *Viuificator* dicitur. Hinc profitemur, *Credo in Spiritum s. Dominum & viuificantem*. Sicut ergò ex luteo homine inspirando fecit hominem viuum; ita hoc diuino Spiritu dato efficitur diuinus homo. Quàm verò diuinus homo reddatur hoc Spiritu, & quanta in eum bona veniant, colligi facilè potest ex magnitudine, ac excellentia huius Spiritus. Si enim humana anima corpori admota, quòd lutum est ac vile, adeò pulchrum reddit & viuens, quid non faciet diuinus Spiritus, infinitus in bonitate, in anima, cui vnitur? *Tu aspirando das spiritales esse homines.* Quod si deuinctus est homo Deo suo quia ei dedit animam, qua viueret; quæ obsequia ei debet, quia dedit hunc Spiritum diuinum? Rectè Aug. Qui tibi nõ inseruit, ô Deus, pro creationis beneficio, dignus est gehenna: sed qui tibi nõ obsequitur pro beneficio redemptionis & Spiritus diuini ei dati, non vno dignus est inferno, sed multis: nec vlla inferni pæna satis est tantæ ingratitudini.

Hinc colligi potest: Si hunc habeas Spiritum, spiritualis es; opera tua Spiritu plena erunt: si hoc Spiritu careas, caro es, & opera tua nihil sunt. Oratio tua, & eleẽmosyna, & fides ipsa mortua est in semetipsa, si hic Spiritus absit. Hinc Paul. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitet in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Simile.
Ephes. 4.
Ecclesiæ ornamenta.
Ioel 2.
Diuitiæ Spiritus sancti.
Ioan. 6.
Spiritus vitæ.
Simile.
Ecclesia in Seq. Missæ et in Symbol.
Simile.
Gen. 1. & 2.
In seq. Ecclesiæ.
N. B.
Aug. tom. 9. lib. medit. de dil. Deo Soliloq. Manual. lib. 1 de ciuit. c. 3. & 7. lib. 1. c. 12 & lib. 22. c. 24.
Spiritualis opera spiritus facit.
Ioan 3.
Rom. 8.

eius.&c. Carnem appellat Paul non naturam carnis, sed vitam carnalem, quæ Spiritui aduersatur. Ex quibus tandem colligit. *Ergò, fratres, debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus: si enim secundum carnem vixeritis morie-mini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et, *si Spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Sicut homo excedit bruta, ita fidelis, qui Spiritum Christi accepit, reliquos homines excedere debet vita, spiritu, & operibus. Hinc Paul. *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? & secundùm hominem ambulatis?*

Rom. 8. Gal. 5. Simile. N. B. 1. Cor. 3.

Præterea cùm nobis dedit Spiritum suum, dedit nobis sapientiam suam, quia hic est *Spiritus sapientiæ & intellectus*. Hic scrutatur etiam profunda Dei. Hic Prophetas docuit, & locutus est per Prophetas. Hinc Paul. *Loquimur sapientiam inter perfectos, quam nullus Principum huius mundi cognouit, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Hoc & promisit Christus: *Ille vos docebit omnem veritatem.* Et, *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Inspiratio enim omnipotentis dat intelligentiam.* Hinc Christus. *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui contradicere non poterunt omnes aduersarij vestri: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hic Spiritus efficit hominem consiliarium, vt sit Deo à consilijs; cùm scrutetur etiam profunda Dei. Hinc Sap. *Quæcunq; sunt absconsa didici; omnium enim artifex docuit me sapientia.* Hic diuinus magister idiotas Piscatores fecit magistros mundi; docuit vniuersas Scripturas; vim dedit, vt mundum & eius sapientiam superarent; dedit eis ignitas linguas, vt hominum corda ignirent. Felices discipuli, qui tãto magistro digni fuere. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Moyses licet omni sapientia Aegyptiorum eruditus & eloquentia esset incomparabili, cùm Deum loquentem audiuit, dicit se loqui nescire. Sicut enim rusticus, brutis comparatus, sapiens videtur; sed sapientibus collatus, ostendit imperitiam suam: ita omnis humana sapientia coram Deo stultitia est. Ideo Moyses ait: *Eloquens non sum*: sed Dominus, *Quis, ait fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboq; te, quid loquaris.* Sine hoc Spiritu igitur nihil nos scire possumus. Felices nos, ad quos tantus Spiritus missus est, per quem liber apertus est, qui

Spiritus sapientiæ. 1. Cor. 1. Ioan. 14. & 16. Iob. 31. Luc. 21. Matth. 10. Spiritus consilij. Sap. 7. 1 Cor. 12. 1. Ioan. 4. Spiritus fortitudinis. Psal 93. Orig hom. 3. in Exod. Basil. Simile. Exod. 4. Apoc. 5.

7 sigillis claudebatur. Nam *vnctio eius docet nos de omnibus.* Non quidem immediatè per seipsum, licet aliquos sic doceat, sed per alios, quos efficit lucem mundi. Docet verò te illa omnia, dum docet, vt ad illos accedas, à quibus docendus es. sicut Saulum ad Ananiam. Hic etiam spiritus nos docet, vt rectis oculis omnia intueamur, quę in mundo sunt. Hic docet nos sapienter colligere; sicut cõtrà spiritus mendacij docet impios malè colligere. Bonus rectè colligit à Spiritu sancto edoctus: peccator malè arguit spiritu ductus mendacij. Peccator colligit ex diuina bonitate, vt facile in Deum peccet: iusti contrà, diuino spiritu Deo esse obsequendum. Hic etiam Spiritus dat iustis *scientiam Sanctorum*, prudentiam, qua diriguntur in operibus suis, vt recta videant, & opere impleant. Scientia enim sanctorum prudentia est. Hinc iusti prudentes dicuntur, licet scientias naturales non nouerint: contrà peccator stultus dicitur, licet scientijs abundet, quia non nouit quid operati expediat, sicut iustus. Hęc omnia ostendit Spiritus s. dum in igne venit; ignis enim amori simillimus est. Ignis etiam viuax est, & lumen præstat.

1. Ioan. 2. Act. 9. & 10. Spiritus iudicij. Sap. 10. Spiritus scientiæ & prudentiæ.

Et tandem hic diuinus Spiritus tanquam ignis condit & attemperat nobis alimentum, quo pascendi sumus; sicut igne condiuntur cibi hominum, & apti redduntur digestioni & nutritioni. Animæ nostræ cibus verba sunt Christi domini, & eius opera. *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Multa Christus dixerat & fecerat; sed donec Spiritus sanctus adfuit, donec igne suo ea condiret, non erant aptus cibus hominis. Non enim nutrit Christus homines, nisi igne Spiritus s. condiantur. Hinc verba & opera Christi parum Apostolis profuêre, donec Spiritus hic diuinus adesset. Quare ad eos ait. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Condita illis diuinus spiritus dedit, & digestioni apta. Tunc virtus verborum & operum Christi manifesta facta fuit. Et ideò Christus ait: *Ille testimonium perhibebit de me. Ille me clarificabit.* quoniam Spiritus sanctus mundo dedit ponderationem operum & verborum Christi. Hoc Spiritu adueniente mysteria Christi ita ponderata sunt, *vt musto pleni* viderentur. An non musto pleni, qui in contumelijs gaudent? in carceribus, prunis, crucibus, &c. lætantur? O mirabilem musti potentiam

Spiritus s. verba & opera Christi nobis condit. Matth. 4. Ioan. 4. Ioan. 14. 16. Ioan. 15. & 16. Acto. 2. Acto. 5. 2. Cor. 4. & 11.

Marc.2. & feruorem? Calcatus fuit in passione botrus ille, à quo hoc prodijt vinum copiosum, quod implet *vtres nouos &* homines ebrios reddit. Hic ergò diuinus Spiritus exposuit verba & facta Christi; nam ipso indigebant interprete, sicut epistola notis breuioribus scripta indiget, qui eam explanet. *Quoniam verbum abbreuiatum fecerat dominus super terram: Verbum consummans & abbreuians.* Verè verbum Christi consummans est, quia ad perfectum homines duxit; & simul breue est. An non Verbum infinitum abbreuiatum est, cùm in humilitate inclusum est? Quis hoc explicabit? Spiritus sanctus qui ipsum *clarificabit*. An non breue verbum Euangelica lex, & fides nostra? Quis eam explicabit? Spiritus sanctus qui per Apostolos eam mundo vniuerso prædicauit. & hoc verbum nobis omnibus condiuit, vt nutriamur, & crescamus *in virum perfectum*.

Isa. 10. *Rom. 9.* *Eph. 4.*

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

THEMA: *Ego veni, vt vitam habeant, & vt abundantius habeant* Ioan. 10.

Pietas redẽptoris ineffabilis in Spiritus s. missione.

POST insignem victoriam, qua Christus de morte triumphans in dextera Dei sedet, mittit hodie Spiritum sanctum. Quàm ineffabilis pietas Redemptoris? hominem portauit ad cælum, & Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ? Ecce iterum infirmos suos per seipsam Maiestas visitare dignatur; vt beneficia, quæ Saluator inchoauit, Spiritus sanctus consummet; & quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisiuit, iste custodiat. Adfuit ergò hodiè non solùm per gratiam operationis, sed per præsentiam Maiestatis: atq; in vasa non iam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit vnguenti, vt ex eius fragrantia totus orbis impleretur Hoc verò facto Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis misericordiam commendauit suam.

Aug. serm. 185. de temp. qui est serm. 1. fer. 2. Pen.

Exponenda primũ nobis est Euãgelij litera difficilis. Eiecerant Pharisæi è Synagoga cæcum, cui Christus visũ restituit, dicentes Christũ seductorem esse, & ideò illos, qui Christũ sequebãtur, à Synagoga & à fideliũ numero separan

Ioan. 9. Francisc. Tolet. in Ioan. 10.

separandos censebant. Vult nunc Christus oppositũ ostẽdere, & duas veritates opponere falsitatibus Iudęorum. Prior est, se non solùm seductorẽ nõ esse, imò omnes illos seductores esse, qui per ipsũ non intrant; illos verò legitimos esse pastores & Prophetas, qui per ipsum intrãt. Secunda est: Eos, qui in eum credũt, non solũ non esse extra numerum fidelium, imò nullum posse esse fidelẽ, nisi qui in eum credit, & per eũ intrat. Ait ergò: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliũdè, ille fur est & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* quasi dicat. Hoc differt pastor à latrone, quòd pastor intrat in ouile per ostium, nihil timens, nec volens latere: sed fur septa & maceriam transilit, quia latere vult. Hinc pastori *Ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Ostiarius* aperit pastori non latroni; *oues vocem eius agnoscunt*, & ille eas ad pascua ducit. Christus ergò *ostium* est, per quod legitimi pastores intrare debent. *Ostiarius* verò, per hoc ostium intranti aperiens, Spiritus s. est, qui dona sua concedit ei, qui per Christum intrat, in eum credens. Hic ostiarius aperit scripturas veris Pastoribus; dat authoritatem gubernãdi, efficiẽs pastores & doctores: & veri *pastoris vocem* audiunt, & ille eas educit ad pascua. Præcedit etiam oues ipse, *Et ante eas vadit, et oues illum sequũtur; quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequuntur.* Pastor præcedit gregem, vt viam doceat ad pascua: solet etiam sequi gregem, ne aliqua ouis recedat à grege, aut pereat. Christus præcedit nos tanquã Dux, verbo & exemplo nos docens: subsequitur verò, dũ gregi prospicit, & deuiantes reducit. Vtrumque quoque Prælatus præstare tenetur.

Christum nõ esse seductorem.

Pastoris & latronis differentia.

Aug. tract. 45. & 46 in Ioan. 10.

Ostium Christus

Ostiarius Spiritus s. & eius officium.

Pastor præcedit & sequitur gregem.

Hoc prouerbium dixit illis Iesus. Illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis Prouerbium parabolam vocat, cuius reconditum sensum non perceperunt Iudæi. Et ideò dominus explicans subiunxit, *Ego sum ostium ouium*. Nullus Dei ouis dici potest, nisi per me intret, in me credat, mihiq; adhęreat. Et ideò cæcus, quẽ eiecistis, quoniam per me intrauit, ouis est, maleq; eiectus. Vos verò Dei oues nõ estis, quia per me non intratis. Sicut autẽ *ostium sum* pastorum, ita & ouiũ. *Omnes quotquot venerunt fures sũt & latrones*, id est, omnes qui venerunt ante me, dicentes se Christos esse, fures fuerũt: quod dicit propter Theodam

Christus ostium est Pastorum & ouium.

Act. 5.

& Iudam, & alios Pſeudochriſtos. Prophetæ autem & veri paſtores hoc verbo, *venerunt*, excluduntur: quia veri Prophetæ non veniunt, ſed miſſi ſunt: Pſeudoprophetæ veniunt à ſeipſis. *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Venire igitur dicuntur, qui à ſeipſis, non à Deo, miſſi ſunt: vel qui venerunt, & non per Chriſtum, vt oſtium, intrauerunt.

Sed non audierunt eos oues, quia veri paſtores non erant. Et licet aliqui eos audierunt, tamen ſtatim euanuerunt omnes, & perierunt, nec oues erant, qui eos ſecuti ſunt; vel citò ab eis receſſerunt. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* quaſi dicat Impoſtores oſtium ſunt ſed macelli, per quod oues iugulantur: *ego ſum oſtium* ouilis. Et ſicut in ouili tutæ ſunt oues à lupis; ita ſi quis per me introierit, ſaluus erit, quia in ouili erunt, non in macello. *Et ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* 1. In ouili vel extra ouile inuenient paſcua oues meæ. 2. vel in omni ſua actione & opere interiore & exteriori dirigetur, & proſperabitur ouis. *Omnia quæcunque faciet proſperabuntur.* Ingreſſum & egreſſum appellat omnia negotia & opera hominis. Hinc Pſal. *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*, id eſt, vniuerſa tua opera dirigat. Et. 3. Reg. 3. *Ego ſum puer paruulus, ignorans ingreſſum & exitum meum* 1. quid agere debeam, ſiue in his quæ ad me, ſiue quæ ad regni adminiſtrationem pertinent. 3. vel introitum in Eccleſiam militantem, & egreſſum per mortem, per quam in cælum ouis Chriſti ingreditur, & vtrobique *paſcua inueniet*. *Fur venit, vt mactet & perdat: ego veni vt vitam habeant, & vt abundantius habeant*, vitam gratiæ, & hanc abundantem & perfectam, & vitam demùm gloriæ. Vita verò iſta gratię data eſt nobis per Spiritum ſ. ſicut vita naturalis per ſpiritum, quo corpus informatur. Abundans etiam gratia data eſt in aduentu Spiritus ſ. Huic enim tempori reſeruata à Deo erat abundans & præcipua gratia.

Sed meritò dubitari poteſt, cùm *Chriſtus mortuus ſit, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, & *vt vitam habeamus, & abundantius habeamus*, quid neceſſe fuit vt Spiritus ſanctus mitteretur? 1. experientia manifeſta oſtendit, neceſſarium fuiſſe Spiritus diuini aduentum. Prius enim

Ioſeph. lib. 30. antiq. c. 4. & 5.
Aug. lib 5. cõtra aduerſ. leg et Prop. c. 4.
Hieron. ſuper oſe. 7.
Clem. Alexand. lib. 1. Stromat.
Ierem. 23.
Oues ſeductores non audiunt.
Impoſtores oſtium macelli ſunt, non ouilis.
Paſcua inuenire quid ſit.
Aug tract. 45. in Ioan. 10.
Ingreſſus & egreſſus hominis quid ſit
Pſal. 1.
Pſalm. 120.
3. Reg. 3.
Vita abundans.
A Simili.
Spiritus ſanctus cur miſſus ſit.
Rom. 4.
Neceſſitas.
Aug ſerm 185. de temp.

enim, quàm ille veniret, discipuli infirmi erant in fide, timidi, & rudes. Prius Petrus ad vocem ancillæ negauit Christum, postea adeò constans, vt flagellis cæsus, iussusque non prædicare Christum, vniuerso Concilio responderit: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. Et denique ebrij vino illo cælesti, *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*: & vniuersa caduca relinquunt, *omnia arbitrantes vt stercora*; quod ante Spiritus sanctus aduentum non erat in mundo visum: quo necessitas aduentus illius efficitur manifesta. Sed num ad hæc omnia Christus erat satis? maximè cùm ille dixerit, *Consummatum est*: quibus verbis ostendit hominis reparationem omninò esse perfectam. Resp. Non ideò venit Spiritus sanctus quasi in Christo non fuerit *copiosa redemptio*; aut quia ipse non potuerit discipulos omninò perficere: sed ea de caussa missus est Spiritus sanctus vt suauitas diuinæ prouidentiæ magis eluceret, & dilectio in homines magis ostenderetur. Et vt nos maximè sibi deuinciret, decuit, vt tres personæ diuinæ nostram operarentur salutem. Pater misit Filium suum: Filius carnem suscepit, & salutem nostram atque vniuersa bona meruit: Spiritus sanctus omnia bona in nobis operatur, & efficit. In omni negotio est initium, medium, & finis. Pater æternus initium dedit hominum saluti, mittens Filium: Filius medium operatus est nos redimens: consummationem dedit Spiritus sanctus nos sanctificans. Deuincti ergò sumus beatissimæ Trinitati, dum illa saluti nostræ incumbit. Patri tribuitur potentia; hac vsus est in salutem nostram mittens Filium: Filio tribuitur Sapientia; hac vsus est ille duas naturas coniungens, & nos redimens: Spiritui sancto tribuitur bonitas; hanc ostendit, efficiens in nobis vniuersa bona, quæ Christus meruit. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult.* Sicut ergò Medicus medicamenta ordinat, pharmacopola ea efficit, infirmarius ea applicat: ita Pater salutem ordinauit nostram, Christus eam perfecit, Spiritus sanctus medicamenta adhibuit nobis. Cùm autem Christus dixit, *Consummatum est*, intellexit perfectam esse redemptionem nostram; sed deest adhuc illius applicatio. Vni-

qui est serm. 1. fer. 2. Pent

Ioan. 18.

Act. 5.

Phil 3.

Ioan. 19.

Psalm. 129.

Diuinæ prouidentiæ suauitas in aduentu Spiritus sancti.

Trinitas tota quomodo nostram salutem operata.

N. B.

1. Cor. 12.

Simile.

Christi redemptio copiosa, sed eius applicatio necessaria.

uersam gratiam, quam Spiritus sanctus dedit, Christus meruit; sed illam Spiritus sanctus operatur. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Nec satis est nobis Christi redemptio, si nobis non applicatur. Ideò qui fidelis est & de Christi redemptione gloriatur, debet vt viuum membrum Christo vniri. hoc verò Spiritus sanctus efficit; qui nos palmites viti vnit, vt ab ea vim participare possimus. *Si quis* autem *Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Nihil* certè *damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, sed qui non secundùm carnem ambulant,* quod à Spiritu sancto efficitur. Christus est triclinium Assueri, in quo infinitæ gratiæ, merita, & denique vniuersa bona sunt. Ab eo vt à capite accipere nos oportet omnia; quia *de plenitudine eius omnes accepimus.* Sed præpositus huius domus Regiæ, qui singulis distribuit dona, Spiritus sanctus est. Ipse *ostiarius* est, qui ianuam domus huius Regiæ aperit. Ipse clauem habet infiniti thesauri, & *diuidit singulis prout vult.* Est ergò Christus author bonorum omnium nobis, est etiam Spiritus sanctus Christus tanquam is, qui meruit: Spiritus sanctus tanquam qui illa applicat nobis, nam sicut Spiritus sanctus est nexus & vinculum Patris & Filij; ita est nexus Christi & membrorum ipsius. & ideò necessarius eius aduentus fuit.

Rom 5. — Ioan. 15. — Rom. 8. — Hest. 2. — Spiritus s. distribuit dona quæ Christus meruit. — Spiritus s. nexus Patris et Filij, & Christi ac mẽbrorum eius.

Sed ais: Vellem animam meam ornari præcipuis donis Spiritus sancti, qua arte id assequi potero? Respondetur: Si præparueris animam tuam, recipies Spiritus sancti dona; sicut hodiè Apostoli, non quidem ad æqualitatem, sed proportionem. Illi enim acceperunt primitias huius Spiritus. Videamus ergò, quæ receperint Apostoli ab hoc diuino Spiritu; illa nanque nos recipiemus pro captu nostro. Ante huius Spiritus aduentum

Anima quomodo Spiritui s. præparanda. — Rom 8. — 1. Cor. 13.

erant Apostoli sapientia & fortitudine pueri. Timidi, & infirmi, ac debiles erant: sed hoc diuino spiritu suscepto, viri sapientissimi facti sunt, omnium loquentes linguis magnalia Dei: fortissimi facti sunt, quia iam non delitescunt, sed palam procedunt, & vniuersum aggrediuntur mundum.

Veniat ergò, Domine, Spiritus tuus, vt nos viros efficiat, qui pueri sumus, & *trepidamus timore, vbi non est timor*, nullum periculum. *O lux beatissima reple cordis intima tuorum fidelium*. Cùm lux diuini Spiritus affulserit, tenebræ pellũntur, fides rutilat, sapientia clarescit, terrena nihil ducendo & magnifaciendo æterna: & qui priùs Deo rebellis erat & inobediens, nunc audiat Dominum suum: & vir factus fortitudinem accipit ad vniuersa bona peragenda. Sic *Spiritus Domini induit Gedeonem*, & Madianitas paucis militibus fudit. Sic *irruit Spiritus Domini Sampsonem, & diripuit leonem*. Sic *factus est Spiritus Domini super Iephte, & vniuersos Dei hostes profligauit*. Hoc eodem Spiritu induti sunt Apostoli, vt in vniuersum mundum pugnarent. Ideò ad eos Christus ait, *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*. Ora tu similiter Dominum, vt mittat ad te Spiritum hunc fortem, vt hostes tuos superare valeas: hoc enim Spiritu vniuersa facilè perficere poteris, secundùm diuitias gratiæ eius. & cæt.

Ecclesia. *Iudic. 6.* *Iud. 14.* *Iudic. 7.* *Lucæ 24.* *Ephes. 1.*

Est etiam proprius effectus Spiritus sancti, & donorum ipsius animam facilem reddere diuinis inspirationibus, vt facilè præstet, quæ Deus voluerit: redditurque anima his donis tenera, blanda, ac tractabilis, vt à Deo dirigatur in operibus suis. Pessima animæ dispositio est, cùm dura est diuinæ voluntati, eique repugnans. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*

Spiritus sanctus animam facilem reddit diuinis inspirationibus. *N.* *1. Reg. 15.*

Rom. 2. *escere.* Hanc duritiem execratur Deus, & *tu secundum duritiam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in Die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Petit multa à te Deus, & tu rebellis es Deo tuo, iram Dei prouocas eo facto. Audis conciones plures, & nihil opere præstas: audis delicias fugiendas & superfluas vestes, audis honorem vanum contemnendum, & similis efficeris dæmoni obstinato. Annon rectè ad te dicitur? *Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus. vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri.* Duri cordis proprium est de peccatis non dolere, inspirationibus diuinis non moueri, nimis Dei non terreri, aduersitatibus & reprehensione in peius proficere. Initium ergò omnis boni nostri est, facilitas acquiescendi diuinæ voluntati. Hinc orat Ecclesia. *Flecte quod est rigidum.* Hanc in animam facilitatem efficit diuinus Spiritus donis suis, sed præcipuè charitate, quam *cordibus nostris infundit.* Sicut enim ignis ceram liquefacit, imò & ipsum ferrum, vt in diuersas possit mutari formas: sic Amor animam blandam reddit, dulcem, mollem ac tractabilem. Hoc sponsa testatur, dicens. *Anima mea liquefacta est, vt delectus locutus est.* Liquefacta verò anima dilectione 4. habet omninò aduersa ijs, proprijs sunt duri cordis. 1. dolet maximè si in peccatum etiam leue prolabitur: reprehendit se, castigat se, proponit vniuersa vitare peccata. 2. facilè suscipit diuinas inspirationes, quasi cera blanda sigilli effigiem, dicitque cum Paulo, *Domine, quid me vis facere.* Et cum Psal. *Paratum cor meum Deus.* & impletur promissio diuina, *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* 3. tremit ad Dei minas, & *dono timoris* repletur. 4. tribulatione & reprehensione proficit diuina. Liquefiat ergò spiritus noster hoc diuino igne, & eius charitate. Amen. &c.

[Margin notes: *N. B.* — *Durities hominis.* — *Act. 7.* — *Duri cordis proprium.* — *Initium boni nostri.* — Simile. — *Cant. 5.* — *Mollis cordis signa.* 1. *Bern. serm. 2. in 40.* 2. *Act. 9.* *Psal. 56. & 107.* *Ezech. 36.* *Ioan. 4.* 3. *Isa. 11. 66.* 4.]

IN FES-

IN FESTO SANCTISSIMAE TRINITATIS.

THEMA: *Euntes docete omnes gentes; Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. &c.* Matth. 28.

SICVT lumen solis dulce & proficuum est oculis: sed si illum fixis immotisque oculis aspicere velis, in discrimen maximum venient: ita de Deo agere, dulce & proficuum homini est; sed si diuina mysteria comprehendere voluerit, periculo plenum est. quia *sicut qui mel multũ comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria.* Hinc Sap. monet: *Altiora te ne quæsieris*. Ideo diuinorum scientia cum timore tradenda & audienda est. Sicut enim mel dulce & salubre est, sed si eo satieris, euomes illud: ita Deus noster dulcis est & rectus, sed tentandũ non est illum comprehendere, quod nobis discrimen adferet maximum. Hinc Sap. *Mel inuenisti: comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.* Mel hodie inuenimus, dum Dei scientia nobis proponitur, quam Christus Ecclesiam docuit. Huius enim mysterij cognitio propria est Ecclesię, eique à Deo reseruata. Nam licet aliqui Patres antiqui mysterium hoc cognouerint. quod summum est secretum, & secretum secretorum dici potest; sed pauci. Christo enim Domino reseruatum erat, plura mysteria Ecclesiæ suæ reuelare. Hinc Christus ait: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis; ac repleta est terra scientia Domini.* Cùm enim hoc sit gratiæ & amicitiæ tempus, nunc mysteria omnia & secreta reuelanda erant. Sed vt dignis oculis tantùm valeamus mysterium intueri, gratia nos illuminari oportet, quam Mariæ intercessione impetrabimus.

Exordium à simili. *Tertull. init. lib. de Trinit.* *Mysteria cũ timore docenda & audienda.* *Prou. 25.* *Eccl. 3.* *Simile.* *Prou. 25.* *Trinitatis cognitio propria est Ecclesiæ.* *Galat. libr. 2. de arcan. fid.* *Ioan. 15.* *Isaiæ 11.*

Breuis quidem Euangelij litera est, sed mysterijs abundans, summam enim continet totius nostræ Religionis. 1. enim ostendit Christi Domini dignitatem, & excellentiæ potestatem, dum ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et hac potestate mittit discipulos in vniuersum mundum, vt eum sibi subijciant. vnde ait, *Euntes ergò, docete omnes gentes*; vt impleatur illud, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem terminos terræ.* 2. ostendit primum

Euangelij declaratio, summa nostræ religionis. 1. *Psalm. 2.* 2.

3. Sacramentum, quod ianua eſt reliquorum, dicens, *Baptizantes eos.*:. myſterium Trinitatis explicitè tradit, in cuius inuocatione baptiſmus perficitur, dicens, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Hoc autem myſterium baſis ac fundamentum eſt noſtræ Religionis ac fidei. Quia verò *fides ſine operibus mortua eſt*, addit, *docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis*. *Omnia* dicit, quia *qui offendit in vno, factus eſt omnium reus*. Sed quia hæc mandatorum obſeruatio ſine Chriſti gratia eſſe non poteſt, & opus conuerſionis mundi ſine excellentiæ Chriſti auxilio effici non poterat, addit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus*. &c. q. d. In diuino Euchariſtæ ſacramento vobis præſens ero, & iterùm auxilium meum perpetuò vobis aderit, vt mundum expugnare poſſitis, & mandata implere mea. Ecce literam Euangelij, & ſummam totius Chriſtianæ Religionis.

Nũc de Deo noſtro trino & vno agendum nobis eſt, qui eſt theſaurus deſiderabilis; eſt enim infinitus, eſt omne bonum, & tantus, vt explicari non poſſit; hinc ait, *Quid quæris nomen meum, quod eſt mirabile*. Tantus hic theſaurus eſt, vt *magnitudinis eius non ſit finis*. Hoc ſolo theſauro iuſtus ditiſſimus eſt, etiãſi omnibus alijs careat. hinc Pſal. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*. Verè totus deſiderabilis Deus noſter eſt, tanquam infinitus theſaurus: cui nomẽ deriuatur à nomine ſignificãte amorem & reuerentiam: quia ſtatim cum auditur Deus, dilectione, deſiderio ac reuerentia nos affici oportet. Hinc naturale hominum deſiderium cognoſcẽdi Deum ſuum, principium, cauſam, atq; omnium finem, fuit maximum; vt experientia docet in tot Philoſophorũ laboribus ſuper hac acquirenda cognitione. Et ratio idẽ manifeſtat deſiderium. Si enim homo naturaliter ſcire deſiderat minora, quid maiora? quid artificẽ ſuũ? quid illum, cuius ipſe imago eſt? Sed eſt theſaurus abſcõditus, *qui lucem habitat inacceſſibilem*. Proprius Deo titulus eſt, *Ignotus Deus*. Hinc Iſa. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*. Vt ergò eum inueniamus fidei lumen nobis conceſſit, quo dirigimur, vt Deum inuenire poſſimus, & aſſequamur ea, quæ de Deo naturale lumen oſtendit ſine errorum admixtione, & omnes, etiam indocti, ea aſſequi valeant: ſimul etiam vt ea attingamus, quæ natura aſſequi non valet de Deo, vt myſterium Trinitatis. Licet enim Deum eſſe naturaliter ſit notum, ſed modus eſſendi illius,

Iacob. 2.
Mãdatorum obſeruatio ſine Chriſti gratia eſſe nõ poteſt.
Rupert. lib. 1. de glorif. Trin.
Deus theſaurus deſiderabilis, & omne bonum.
Gen 32.
Exod. 33.
Iſa. 9.
Pſal 144.
Iudic. 13.
Pſal. 143.
Θεὸς Deus. Θεὸς à θέειν .i. currere & diſponere vniuerſa. Vel ab αἴθειν .i. vrere. vel à θεᾶσαι. i. intueri omnia.
Damaſ. lib. 1. cap. 12.
Deus theſaurus abſconditus.
1. Tim 6.
Act. 17.
Iſa. 45. & 6.
Ad Deum inueniẽdum fidei lumen neceſſarium.
Lactant. lib. 3. c. 20. Dion. Areop lib. de diu. nõ. c. 1. de Eccl. hier. c. 1.

illius, & Trinitatis personarũ difficillimus cognitu est no stro intellectui. Nã sicut oculus noctuę ad lumẽ Solis, sic intellectus noster ad manifestissima naturę; quo magis ad Dei entitatẽ & perfectionem? Hinc Simonides Philosophus interrogatus, quid Deus esset, petijt triduũ; deinde sex dierum, postea 12. dierum spatium, rationem redddidit, Quo magis Deum cogito, eò incõprehensibilior mihi apparet. At cum in lege gratiæ præcipuam dilectionẽ Christus in Ecclesiam declarare voluerit abscondita mysteria vniuersis reuelauit. Vnde omnibus loquitur, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos; quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*: Etiam altissimum eorum, quæ Deus nouit, Trinitatis scil. mysterium. *Noße enim te consummata iustitia est; & scire iustitiam ac virtutem tuam, radix est immortalitatis*. Et, *Omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum*. Sed vbi est hic thesaurus absconditus? In agro: Mirabilis profectò absconsio; non in cubiculo, vbi solebant homines thesauros in thecis abscondere; sed in agro, in propatulo: Quomodo autem absconditum dicitur, quod in manifesto est? Absconditus est; quia in creaturis latet, nec videtur; sed manifestus, quia in omni creatura illum inuenire possumus. Est ergò ignoranti abscõditus, sed consideranti in propatulo. Sicut virga Moysis iã virga est, iam coluber; ita res fidei faciles, & difficiles, manifestæ, & occultę sunt. Durũ est odium sui; sed suaue est, si attendas, sic magis teipsum diligere. Dura est mors: sed facilis, si attendatur laborum finis. Durus videtur sermo de Eucharistia; sed facilis, si attendatur diuina potentia: & difficilè Trinitatis mysterium; sed facile, si testimonia illius attendas. Vnde *ager* iste, in quo *thesaurus* hic infinitus est *absconditus* & manifestus. Primò, mundus est, in quo, si legere noueris, Deum poteris legere, & inuenire. Hinc Psal. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiant firmamentum*. In his ipsis ergò creaturis Deum inuenies commorantem; ipse fons est, à quo omnia bona creaturarum fluunt; ipse intra eas latens, eis præstat esse, & consistere: & omnis creaturæ perfectio gutta est vel mica ex Dei mensa procedens. Secundò *ager* dicitur diuina Scriptura: quia in publico est & in manifesto, & cunctis hominibus facilis lectu. Sed ĩn qua parte huius agri? In vniuersa Scriptura, ab initio vsque ad finem. Mirabilis

Basil. lib. de Spir. Sanc. c. 27.
Simile.
Arist. lib. 2. Meta.
Aug. lib. 3. de doctr. Christ.
Cicero De nat. de or. lib 1.
Apophthegma.
Ecclesiæ mysteria reuelata per Christũ.
Ioan. 15.
Sixt Senens. lib. 2 bibl. sanc. §.
Esdras.
Pic. Mir. Apol. q. 5. de Kabal.
Sap. 15.
Orig hom. 5. in Nũ. ho. 12. in Exod. in Rom. 3.
In agro huius mundi Deus abscònditus.
Hilar in. Psalm. 2.
Deus in omni creatura manifestus.
Exod. 4.
Exemplum typicum.

Psal. 18. Ager est diuina Scriptura.

profectò

Trinitatis veritas ex Scriptura, eiusdemque vnitas.

profectò absconsio, dum in vniuerso agro reperitur, quod absconsum est. Diuinam hanc esse veritatē ostendit, quòd eam dixerint diuersi Scriptores, diuersis temporibus, & locis. Quàm diuersis temporibus & locis, Abel, Moyses, Dauid, Isaias, Ioannes, Paulus, & multi alij mundo luxerunt? sed nullus ab altero diuersum sensit. Nam Abel Christi passionem significans Agnum in sacrificium obtulit, de quo loquens Isa. ait: *Sicut Agnus coram tondente se obmutescet.* De quo etiam Ioannes dicit, *Ecce agnus Dei.* Ecce diuersis temporibus missi, sed non diuersi luce & prædicatione de innocentia Christi. Sic Moyses initio Genesis Trinitatem ostendit, cùm dicit, *In principio creauit Deus cælum & terram: & Spiritus Domini ferebatur super aquas*: quia Pater per Verbum omnia fecit, & Spiritus S. super omnia facta ferebatur. Et Dauid ait, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Ter Deum nominat propter tres personas; dicit verò, *Metuant eum*, propter essentiæ vnitatem. Et Isaias idem mysterium edoctus ait, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, addit verò, *Dominus Deus*, propter essentiæ vnitatem. Et Ioannes. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt.* Et Paulus: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* & vt vnitatem ostendat, addit, *Ipsi gloria in secula.* Et iterum Isaias: *Non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam terra fieret ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.* &c. quibus verbis Deus mittens, Deus missus, & Spiritus eius ostenditur. Quid hoc firmiùs verbo, in cuius prædicatione, veteris & noui Testamenti concinit turba, & cum Euãgelica doctrina antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? Diuina ergò Scriptura nobis tradit Deum nostrum vnum essentia, trinum personis.

Genes. 3. Isaiæ 53. Ioan. 1. Apoc. 13. Genes. 1. Psal. 66. Isaiæ 6. 1. Ioan 5. Rom. 11. Isaiæ 48. D. Leo in ser. de transfigur.

Trinitatis veritas ex ratione, eiusdemque vnitas.

Et manifesta ratione ostenditur, vnicum esse Deum. Deus enim infinitè perfectus est, ergò vnus duntaxat est; quia si plures essent, aliquis eorum aliquid haberet, quo alij carerent, & ideò infinitè perfecti non essent. Idem colligitur ex vnitate & ordine vniuersi: quæ enim diuersa sunt, in vnum ordinem non conuenirent, nisi ab aliquo vno ordinarentur; Deus ergò, qui ea connectit, vnus est. Pauci profectò fuêre, qui Deum esse negauerunt: sed multi æstimârunt, plures oportere esse Deos, vt vnus vni attenderet rei, alter alteri; vnus cælis, alius terræ, alius mari, alius aëri.

1. Cor. 8.

&c.

&c. Sed recta ratio naturalis, & fides præcipuè, dicit vnum Deum esse. *Audi ergò Israel Dominus Deus noster, Deus vnus est.* Vnus Deus est, & summè vnus, sed multiplex apparet. Hinc Sap. *Omnium artifex docuit me Sapientia: est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, omnem habens virtutem, & qui capiat omnes spiritus.* En multiplex est diuinitas sed vnica. Multiplex in virtute, sed vnus in natura, potentia, & quia omnia, quæ in illo sunt, vnum sunt. *Deut. 6.* *Sap. 7.*

Ex hac Dei vnitate colligendum est, vt ei placeamus. Si enim eum irritamus, non relinquitur nobis Deus alius, cui adhærere possimus. Hinc ille: *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciã; & non est, qui de manu mea poßit eruere.* 2. Simul etiam præclarè nobiscũ actum est, dum vnicus Deus nobis est: quia vnus est, cui placere debemus. *Nemo* enim *potest duobus Dominis seruire*, multò minùs pluribus dijs: ideò illi *soli seruies*; cui si placeas, nihil desiderandum restat. 3. Hanc quoque diuinam vnitatem nos Christus imitari voluit, cùm Patrem orans ait; *Oro vt sint vnum; sicut ego & tu vnum sumus, vt credat mundus, quia tu me misisti.* Summum Ecclesiæ miraculum est vnitas credentium. Sic Lucas testatur de fidelibus: *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* 4. Simul etiam hanc vnitatem in seipso habere curet, vt iustus sit & misericors; terribilis & humilis; magnanimus & benignus. Licet enim hæc virtutum officia contraria appareant; vtrunque tamen agere per discretionem valemus, vt & diligamus proximos, & quos aduersarios in Dei via patimur fugiendo, & odiendo nesciamus. Humilia de nobis sentire debemus, sed dicere cum Paulo, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Benigni proximis simus, Deum verò cõtemnentibus terribiles. Pro diuersitate ergò personarum & negotiorum diuersos nos exhibeamus, cùm tamen vnum semper simus. *In charitate* enim *radicati & fundati*, quę vnica est, plures ramos diuersarum virtutum germinamus: qui multi & vnum sunt: multi inter se, sed in charitatis radice vnum. *Doctrina ex vnitate Dei.* *Deut. 32.* *Matth. 6.* *Deut. 6.* *Ioan. 17.* *Actor. 4.* *Gregor. hom. 37 in Euan.* *Lucæ 14.* *N.B.* *Philip. 4.* *Ephes. 3.* *Greg. hõ. 27 in Ioan. 15.*

Sed Deus noster trinus est etiam in personis. Hæc distinctio necessaria in Deo erat, vt sit in Deo amicitia; sine qua beatitudo constare non potest. Nullius siquidem rei sine consortio iucunda est possessio. Cuius rei integra cognitio à natura esse non potest; sola fides diuina hoc mysterium *Trinitatis personarum demõstratio.* *Boeth.* *Lactant. lib.*

Iust. diuin. cap.6. sterium docet: non quòd contra rationem hæc sint, sed quia illam superent. Plures antiqui Philosophi hoc mysterium attigisse videntur; quòd mysterium hoc ab his didicerunt, quibus Deus reuelauit. Id verò Deus voluit ab Ethnicis dici, vt cum Apostoli hoc mysterium prædicarent, non adeò difficile appareret. Hinc Tule Rex Aegypti, cùm Serapim interrogasset, Quid Deus esset, responsum tulit; Est Deus, cui additur Verbum & Spiritus, qui ęternũ sunt, & vnum in essentia. Et Trismegistus dixit celebre illud. Monas genuit Monadem, & in se suum reflectit amorem. Plato in Epimenide de Trinitate loqui videtur, & Plotinus eius discipulus in lib. de 3 hypostasibus, & Numenius lib. de bono. Amilius Platonius ait, Initium Euangelij Ioannis literis aureis scribendum esse. Hoc etiam mysterium agnouerunt antiquissimi Doctores Hebræi, & dixerunt significari in nomine ineffabili Iehoua, quod 4 constat literis: & in nomine 12. literarum, quod erat, Pater & Filius & Spiritus sanctus: & in nomine 42 literarum, quod erat, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, & non tres Dij, sed vnus Deus. Huius mysterij figura fuit, quod Iacob memoratur tres supposuisse lapides capiti nocte, & mane vnicum lapidem inuenit.

Clem. Alex. lib.5. strom.

Mysterium Trinitatis ab Ethnicis agnitum, & quare.

Serapis.

Trismegist⁹.

Plato.

Plotinus.

Numenius.

Hebræis antiquis Trinitatis mysterium cognitum.

Genes. 28.

In homine, tanquam Dei imagine, vestigium huius mysterij habemus. Homo nanque intelligens verbum producit, quod est similitudo rei intellectę, & per amorem efficit in se inclinationem in rem amatam: & ideò solus homo inter inferiores creaturas Dei imago dicitur; quia Dei repræsentat faciem. Deus ergò se intelligens Verbum producit; Pater & Filius se mutuò diligentes spirant Spiritum sanctum. Altissimus certè hic modus essendi Dei & incomprehensibilis est; sed non ideò non credendus, imò hac ratione credibilis magis: quia de altissimo altissima credi oportet, & quæ superent intellectum nostrum. Et quia Veritas ista huiusmodi est, ideò credenda magis. Nec præcipimur hęc intelligere, sed credere: aliquando ista videbimus, & dicemus, *Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum*. nunc adeò magnus est, vt à nobis comprehendi non possit. Si enim tanta lux Solis est, vt superet vires oculorum nostrorum, nec fixis oculis eam aspicere valemus, quid mirandum est de Deo, *qui lucem habitat inaccessibilem*? Si Deum vis comprehendere, perdet te sicut arca Phili-

Mysterium Trinitatis in homine deprehenditur.

Homo cur sit Dei imago dictus.

Altissimum Trinitatis mysterium cur sit credendum.

Psalm. 47.

Simile.

1. Tim. 6.

1. Reg. 6.

stæos

stræos eam curiosè intuentes. Magis nos opottet *captiuare intellectum nostrum in obsequium Christi.* Nam vt Sap. ait: *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* Et ratio huius est, quia cognitio quam de Deo nunc habemus, non est in ipso Deo (hæc enim patriæ cognitio est) sed in creaturis. In his verò apparet Deum esse, bonum esse, sapientem esse, atque potentem; non tamen quod trinus sit; quia non vt trinus hæc fecit sed vt vnus, ideò creaturæ Trinitatem non ostendunt; hoc enim sola Dei reuelatione cognoscere possumus. *2. Cor. 12. Eccli. 3.*

Sed iam processiones paucis explicemus. Natura & scientia in Patre est à seipso, nec enim ab alio recipit: in Filio eadem est, sed à Patre per intellectum accepta: in Patre & Filio per amorem: & hac ratione tres sunt Personæ, Pater & Filius & Spiritus s. sed non tres dij, non tres Domini: quia vna singularissima natura, scientia, potentia, & bonitas est in tribus personis, ideò vnus Deus, vnus Dominus, vnus sapiens, &c. Pater est in diuinis & Filius, ergò generatio sed non carnis, sed Spiritus. Generat enim & Spiritus. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus: si ego qui generationem alijs tribuo sterilis ero?* Filius Deo patri est, cui ait, *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Et, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ratio est manifesta. Omnis perfectio est in Deo ponenda. Est autem naturalissimum omni viuenti perfecto generare sibi simile, ergò hoc in Deo ponendum est. Angelis dedit Deus incorruptionem, negauit generationem: Viuenti verò sensibili, cui non dedit incorruptionem, concessit generationem. Deus verò, vt omnium rerum summa, vtrunque habet & incorruptionem & generationem. 2. id erat necessarium infinitæ diuinæ bonitati, cuius proprium est se effundere. Infinitæ verò bonitatis est infinitè se communicare; quod cum creaturis non fiat, ad intra se debuit effundere in Filium. Diuersæ ergò personæ sunt Pater & Filius, *qui est splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Cumque Deus generans sit infinitè perfectus, generat Filium sibi infinitè similem & vnum. Generatur hic Filius à Patre, quòd cùm Deus intellectũ habet infinitum, quo se omninò cognoscit, se cognoscens generat Filium sibi omninò similem. Cognoscit itaq; Pater Filium, & Filius Patrem;

Processio personarum in Trinitate. *Isaiæ 66.* *Psal. 109.* *Psal. 2.* *Actor. 2.* *Ratio processionis in Trinitate.* *Angelus non habet generationem, sed incorruptionem.* *Deus incorruptionem et generationẽ habet* *2. Ratio processionis in Trinitate.* *Hebr 1.* *D. Thom. 1. p. q. 37.*

Matth. 11. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, nec Filium quis nouit nisi Pater:* videt quisque in altero infinitam bonitatem, diligunt se mutuò amore infinito, ex hoc amore procedit Spiritus s. qui dicitur vinculum vtriusque. *Amor in Deo tantus, quantus ipse De⁹.* Tantus est amor, quantus est Deus. *Simile.* Cùm mutuò se diligunt duo amici, duo producuntur amores: at hic vnus Spiritus s procedit, quia vnica est voluntas Patris & Filij. Sed ais, non omninò hæc penetro, quæ dixisti; nec ego vellem te omninò hæc penetrare. *Epicteti elegans dictum.* Epictetus enim ait. Si omninò declarassem Deũ, vel ego Deus essem; vel quem declaraui, Deus non foret. *Simile.* Cùm plenè hoc intellexeris mysterium beatus eris. *August. epist. 3. ad Volusiã.* Sicut ergò vas paruum non capit mare vniuersum, sic nec intellectus Deum, vt ostendit Angelus Augustino, curanti hoc penetrare mysterium, exemplo pueri in paruam foueam curantis vniuersum mittere mare.

Qualis quantusque sit Deus. Vis autem nosse qualis, quantusque est Deus tuus? Est Deus abyssus essendi. Interroga omnem creaturam, & illę tibi ostendent Deum tuum, & dicent qualis sit, non omninò, sed ex parte: *Nazian orat. 2. de Theol. quæ est 24. inter orat.* quia omnis creatura beneficium Dei est; & omnis similiter ostendit aliquid diuinæ bonitatis. Est enim Deus lux super omnẽ lucem, sapor super omnẽ saporem, bonitas super omnem bonitatem, & deniq; fons perennis, à quo vniuersa bona, quæ in creaturis sunt, promanant. *Aug. epist. 57 ad Dardan. In Psal. 100.* Est Deus noster pelagus bonitatis, & pulchritudinis infinitæ: intra creaturas ille est; in illis verò solùm guttas conspicimus, ex hoc pelago prodeuntes, quas degustãtes aliquo modo reficimur: sed si concederetur nobis pelagus ipsum degustare, ibi plenè sitim extingueremus. *Psalm. 16. Psalm 35.* *Satiabor cùm apparuerit gloria tua;* quia *torrente voluptatis potabis eos.* *N. B. Paradigma.* Quid diligitis igitur ô mortales? Hic dicet diuitias; ille, honores; ille, voluptates. Sed quare? quisque dicet, quia in eo inuenio, nescio quid, bonitatis, pulchritudinis, & excellentiæ, quod me trahit, vt illud diligam. *Auxesis.* Sed si res, quas diligis, duplum, centies, aut millies tantùm pulchritudinis haberet, nunquid duplum, centies, aut millies eam diligeres? *Climax.* Quid si infinitum huius perfectionis possideret, an non infinitè diligeres, si posses? Sed ô stulte, ecce qualis est Deus tuus, quem non diligis. Vide quicquid boni in creatura est, & illi adde infinitum, & Deum dixisti. Pulchritudo te allicit? pulchritudo infinita Deus tuus est. Thesaurus te delectat? *N.* Thesaurus infinitus Deus tuus est. Delectatio te

tio te

tio te trahit? delectatio infinita Deus tuus est. Honor tibi placet? honor infinitus Deus tuus est. Potentia, Sapientia, Fortitudo? hæc, & omnia bona in Deo infinita sunt. Quomodo ei cor totum non tribuis? quomodo eum obliuisceris? Hoc conqueritur per Prophetam: *Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* Quæris igitur, Qualis est Deus meus? Certè is, in quo viua sunt omnia, quæ in creaturis depicta sunt. Deus sic ea, quæ in ipso viua sunt, quasi eximius pictor, in creaturis efformauit, vt viua illa appareant: sed certè figuræ sunt, non rei veritas. *Præterit* enim *figura huius mundi.* Sicut igitur auis, quæ nō inueniens cibū in depicta florum imagine, veram escam quærit; sic tu attendens quòd non inuenis cibum in honoribus, voluptatibus, diuitijs, sicut nec filius prodigus in porcorum siliquis, ad Deum tuum euola, qui est verum bonum, solidus cibus, satietas perfecta. Tanta enim eius est pulchritudo, tanta bonitas, vt omnium hominum, & Angelorum; imò ipsius Dei gloria sit, diuinam illam & infinitam Dei pulchritudinem intueri. Hæc Dei nostri pulchritudo est, vt impossibile sit non diligi ab eo, qui eum viderit. Nec ab eius dilectione ad punctum cessare potest, qui eum videt; sic illa diuina bonitas & pulchritudo eos trahit & rapit.

Ierem. 2. *1. Cor. 7.* Simile. *N. B.* *Lucæ 15.* *Pulchritudo Dei infinita.*

Vis item nosse, quis, qualis, quantusque est Deus tuus? Tantus est, *vt qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non obseruat, mendax sit.* Adeò bonus Deus noster est, vt impossibile sit perfectè eum agnosci & non diligi. Vis ergò nosse Deum? ne fueris hac in re curiosus nimium, sed eum dilige; mandata eius obserua. Fidem simplicem tene, mandata Dei instanter operare.

Deus agnosci non potest, quin simul diligatur.

Vis iterum nosse, ô homo, quantus sit Deus tuus? Tantus ille est, vt minimum peccatum admitti non debeat, etiam pro immenso bono omnium creaturarum: tantus Deus noster est, vt leuissima & minima offensa in eum facienda non sit, etiamsi intersit bonum omnium creaturarum: quia omnia alia nihil coram illo sunt. Quid ad hæc dicet, qui non leuia solum, sed ingentia crimina admittit, facili de causa? An hic Deum nouit?

Deus propter magnitudinē non est offendendus.

Vis adhuc nosse, quis sit Deus tuus? Tantus est Deus tuus, vt si te perfectè diligere velis, oporteat, vt Deum plus diligas, quàm te: tunc enim verè diligis teipsum, cùm Deū diligis plus quàm te: quia sine illo tu nihil esse potes. Ille

Deum plus diligere debemus quàm nos.

Psalm 35. enim est fons vitæ. Hinc Psal. *Quoniam apud te est fons vitæ,*
N. B. *& in lumine tuo videbimus lumen.* Vis ergo ô homo bonum
tibi? vis tibi cuncta prospera? Dilige Deum tuum: quoni-
Rom. 8. am *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si verò
volueris plus te diligere, quàm Deum perdes te, & bonum
Eccl. 8. tibi non erit. *Non est bonum impio.* Hinc etiam agnosces,
Summũ Dei quis sit Deus tuus: non potes in eum peccare, quin magis
supplicium. te lædas, quàm ipsum. Et summum Dei supplicium in ho-
Psalm. 68. minem est, permittere, vt in Deum peccet. Hinc Psal. *Ap-*
Psal. 108. *pone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Et, *Fiant contra Do-*
minum semper. Nam summum malum culpa est, qua ho-
mo efficitur contrarius Deo. Tantus Deus est, vt summũ
malum hominis sit, quòd sit contrarius Deo suo.

Eccl. 43. Hinc colligitur illud Sap. *Glorificantes Deum, quantum-*
Deus summè *cunque potueritis, superualebit adhuc. Benedicentes Dominum,*
glorificãdus. *exaltate illum, quantum potestis: maior est enim omni laude.*
Psal. 138. Comprehendere Deum, impossibile est: laudare & efferre
Eccl. 8. Deum, vt ille dignus est, nec homo, nec supremus Seraphi-
Eccl. 5. nus potest. Quis hanc tam sublimem naturam diuinæ
Prou. 30. maiestatis non miretur? quis tantæ maiestati non seruiat?
Quod est no- Hinc Psal. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.* Nã
men eius, & *non est adijcere, nec minuere ad opera eius, nec inuestigare est*
quod nomen *magnalia eius.* Cùm ergò amici sit lætari de bonis amati
Filij eius, si tanquam de suis, si Deum diligis, ô homo, hanc Dei tui
nosti? gloriam considerans lætare, ei congaude & congratulare:
Plotinus in & quo plus Deum dilexeris, eò plus congaudebis. Sed qui
lib. de pulch. diuinæ felicitatis particeps esse vult, diuinam puritatem,
Psal. 80. diuinos mores imitetur, vt Deiformis efficiatur. Nam
Deiformes *non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum: ego enim*
esse debemus. *sum Dominus Deus tuus.* Quorundam Deus *venter est,* aliorũ
Phil. 3. verò honor, aliorum diuitiæ: *sunt dij multi & domini multi:*
1. Cor. 8. *sed nobis vnus est Deus;* quia hic solus sanctus, hic solus al-
Psal. 40. 92. tissimus. *A seculo & vsque in seculum tu es Deus; in quo viui-*
Actor. 17. *mus, mouemur, & sumus vt sit Deus omnia in omnibus.*
1 Cor. 15. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magni-*
Psal. 47. 144. *tudinis eius non est finis. Magnus Deus*
Iob 36. *vincens scientiam nostram.*

&cæt.

IN CELEBERRIMO FESTO CORPORIS CHRISTI.

THEMA: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ioan. 6.

DEI donum eximium esse hoc diuinissimum Sacramentum, & ex infinito profectum amore, Ecclesia agnoscit; ideò læta & laudans in manibus hodie defert, omnibusque ostendit tantum à Christo munus acceptum; sicut *Rebecca inaures & armillas quas ei dederat procurator Abrahæ*, ostentabat. Et sicut Ruth spicarum *tres modios in agro Booz* colligens portat, & *ostendit socrui suæ*: sic hodie ostendit Ecclesia, quòd in agro dominico collegerit tres modios, corpus, animam, & diuinitatem Christi, quæ sunt *tria sata farinæ*, quæ Maria commiscuit. Quare si interrogas, *quis est clamor ciuitatis*? (sicut Adonias Rege Salomone iussu Dauidis inuncto quæsiuit) quid sibi volunt Ecclesiæ tot festiua gaudia? tot tripudia? Certè Christum Regem constituit Pater, vultque, *vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*; & præcepit, vt omnes ei genu flectant; & adducitur huius rei causa per vias publicas. Si enim Ioseph, quod frumentum côdiderit in tempus sterilitatis, adoratur in Aegypto; quid non in Ecclesia adoretur Christus, dans nobis panem de cælo verum, & hunc in magna copia? Verè *hæc dies boni nuntij est, væ nobis, si tacuerimus*; summam frumenti copiam post magnam famem adesse, famelico mũdo panem de cælis copiosum aduenisse. Sed de re tanta dignè vt loquamur, necessaria nobis gratia est. &c

S. Eucharistia summum Dei donum. Typus. *Genes. 24.* *Ruth. 2.* Typus. *3. Reg. 1.* *Conc Trid. sess. 13. c. 5.* *Ioan 5.* *Genes. 41.* Typus. *4. Reg. 7.*

Nullum non mouit lapidem Deus noster, vt à nobis diligeretur, & ad hoc immensa in nos contulit beneficia, quæ quasi vi nos traherent ad sui amorem. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Et Paul. *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Postquam igitur se Christ[9] dedit nobis, nihil restabat ei; quod daret, nec nobis, quod petere possemus: nihilominus tamẽ adinuenit modos diuersos, quib. se nobis exhiberet, & ex seipso diuersos conficit cibos, vt diuersa fercula suijpsius nobis proponat. Factus est nobis *via, veritas, et vita*; fit *Pastor*, *sacer-*

Deus à nobis diligi summè curat. *Ephes. 5.* *Galat. 2.* *Ioan. 14. 10.*

Heb.5.7.8.9. *sacerdos, sacrificium, pater, rex. frater, medicus, doctor, dux*; factus
Matth.21.23. est nobis *iustitia, sanctificatio, & redemptio.* O diuina boni-
1.Cor.2. tas, quot vteris adinuentionibus, vt nobis sis omnia, vt te
N.B. diligamus? *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Nunc
Isaiæ 12. ergò, Domine, tù qui manna es, habens omnis saporis sua-
Exod.16. uitatem, fac de te ferculum dulcissimum, ostende amorē
Sap.16. tuum maximè, vt nullo modo tibi cor resistat. Faciam, in-
Deus hominis esca. quit, libenter: *Caro mea verè est cibus*: quo ostendit summam & ardentissimam charitatem suam, dum mirabilem nobiscum efficit vnionem, qualem facit cibus cum comedente.

Sed quomodo Deus tantus potest esse hominis esca? & infinitæ substantiæ cibus, quomodo aptus esse potest homini infirmo? Deus noster infinitus cibus, vt cibus hominum conueniens esse posset, *exinaniuit se factus homo*; & amplius exinaniuit se sub speciebus huius Sacramēti positus.

Deus quomodo hominis cibus. Phil.2. Aug.conc.1. in Psal.33.

Edis ergò Deum in speciebus panis, sub quibus est Deus, veluti succinum sub saccari torta: sed continuò sacramento recepto sentis intus diuinam virtutem te confirmantē; continuò redoles Deum tua conuersatione & colloquio.
Ioel.2. de qua re Ioel. *Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Fortitudo mea magna, quam misi in vos. Et comedetis vescentes, & saturabimi, & laudabitis nomen Do-*
1.Cor.2. *mini.* Præcesserat legis sterilitas; sed venit iam *fortitudo magna* Patris *ad nos missa*. Filius eius, hic factus est cibus noster, accommodatus nobis sub speciebus panis & vini: & *comedetis vescentes*, id est, epulantes, quia *caro mea verè est ci-*
Typus. *bus*. Comeditis vescentes, id est, *caput cum pedibus vorabitis*
Exod 12. *festinanter*, id est, exteriora illa, quæ fides profitetur, mirabi-
Quid festinanter comedendum. lia, quòd accidentia sine subiecto sunt, quòd magnus sub paruis speciebus, hæc festinanter voranda & deglutienda sunt. Quod verò in hoc Sacramēto Christus est latens: hoc *comedetis vescentes*, id est, considerantes interiora, Maiestatem Christi, quem recipitis, dijudicantes hunc panem à vulgari pane: quia *caro mea verè est cibus* animarum vestra-
1.Cor.11. rum: ideò cum magna reuerentia percipite.

Sed veritatem istam, *Caro mea verè est cibus*, tribus pro-
Vnio cū Christo per Sacramentum. bat rationibus: quibus expositis series vniuersa Euangelij perspicua erit. Prior est: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sicut cibus vnir
Simile debet cibato, & cibatum cibo, vt vnum in alio sit: sic qu
me

me manducat, in me est, & ego in eo. Datus quidem nobis est Christus in natiuitate, & passione, cùm pro nobis operatus est redemptionem: sed hæc donatio consummatur perficiturque in Eucharistiæ Sacramento; cùm cuilibet fidelium totus Christus tribuitur in cibum: quia tunc in te manet, & tu in illo. Licet enim per alia Sacramenta & bona opera Christus noster efficiatur; sed completè fit noster hoc Sacramento quod ideò dicitur COMMVNIO, & Sacramentum VNITATIS; quia per illud maximè Christo vnimur. Hæc verò vnio potissimum explicatur, dum cibus dicitur. Dicere enim Christum se cibum, est dicere summam cum homine vnionem, quã hoc Sacramento perficit. Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera totam commiscet: sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum eo ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Et sicut *parum fermenti totam massam fermentat*, sic paruula benedictio totum hominem in seipsam attrahit, & sua gratia replet. Quod vt nobis Ecclesia significet, aquam in calicem mittit, quæ intimè vino coniuncta in illud vertitur; vt sic nos in Christum conuerti designet. & impletur illud *Erũt duo in carne vna: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Et hæc vnio naturalis ab Hilar. dicitur; quia verè & realiter caro Christi nobis coniungitur. Vnde duo nobis colligenda.

σύναξις.

Vnionis ratio.

Cyrill. Alex. lib. 4. c. 17. in Ioan. 6.

Simile.

1 Cor. 5.

Iusti. apol. 2.

Rup. l. 2. ded. off. c 2.

Alex. 1. ep 1. ad om. ortho. cap. 4

Iren libr. 5. cont hær.

1. Sicut in cibo corporali, quia omnia replet, omnia penetrat, habet homo omnia: sic in Christo, recepto hoc Sacramento, habet homo omnia: vt sit *Deus omnia in omnibus.* Omnem ergò interiorem hominem pascit, auget fidem, accendit charitatem roborat spem, omnem denique interiorem hominem confirmat. Nam licet hoc Sacramentum habeat suum peculiarem effectum, vitam scil. conseruare & augere, vt cibus: sed quia fons omnium bonorum Christus hic realiter est, & cibus efficitur, ad omnia deseruit, & omnem in se habens virtutem, omnia nobis cõfert bona.

Ephes. 5.

Conc. Trid. sess 22. c. 7.

Hil. lib. 8. de Trin.

Simile.

Ephes. 5.

Conc. Trid. sess. 22. c. 7.

2. verò ex hac intima vnione cibi sequitur, quàm graue sit piaculum in Christum peccare, & ab eo separari vnquam per peccatum, postquam illum suscepisti in Eucharistia. Attende, ô homo, quàm fecisti cum Deo vnionem, cùm hoc Sacramentum VNITATIS recepisti. Ille cibus tuus in te versus quodammodo est; & tu ab eo etiam in ipsum conuersus es. Nec tu ipsum in te mutabis, sed tu mutaris in ipsum.

N. B.

Aug lib. 7. Conf. c. 10.

ipſum. Vna eſtis caro ambo, quomodo nunc à Chriſto ſeparandus? Si ſeparas à te Chriſtum, quaſi ſeparas partem totius corporis tui; quia tu *caro es de carne eius & os ex oßibus eius*. An non hæc deteſtanda crudelitas? Quando ergò dignus corpore Chriſti factus es, caue peccatum. *Tollens Chriſti membra, faciam membra meretricis? Abſit.* Membrum Chriſti factus es, dum communicâſti; hîc vt palmes viti Chriſto coniunctus es & inſitus, caue ſeparationem.

Epheſ. 5. *Geneſ. 3.* *1. Cor. 6.* *Ioan. 15.*

2 Secunda ratio eſt, qua Chriſtus oſtendit ſe verè cibum, *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* q. d. Veri cibi eſt, vitam dare illum ſumenti; ego verò dabo vitam, non qualemcunque, ſed ſimilem vitæ meæ, qua viuo propter patrem, verè ergo cibus ſum. Quidã Patres hæc verba de vita Chriſti diuina exponũt q. d. Ego viuo vt Deus, eadem vita, qua Pater viuit; ſed illa viuit Pater à ſe, ego eam à Patre æterna generatione accepi: ad hoc ergò ego in mundum veni, & corpus meum vobis in cibum trado; vt ſicut ego vitam diuinam habeo à Patre, ita vos vitam gratiæ & gloriæ à me habeatis. Vt ſicut anima corpus viuificat, cui vnitur; ita caro mea vos viuificet vobis vnita. Mirabilis planè vita gratiæ his verbis exprimitur, & mirabilis huius Sacramenti effectus, quo Dij efficimur. *Ego dixi dij eſtis.* Si quis nunc nunciaret vobis, cibum in terra eſſe, quo veſcentes in Reges verterentur, qua auiditate currerent homines vt eo veſcerentur? En homo cibum, quo in Regem, quo in Deum conuertendus es. curre, feſtina, frequenta. En ergò quod dixit Iacobus, *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras*: in nobis enim inſeritur, cùm eum in Euchariſtia ſuſcipimus. 2. Quidam Patres hæc verba, *Ego viuo propter Patrem* referũt ad vitam, qua humanitas Chriſti viuit vita diuina propter vnionem hypoſtaticam, & propter infinitam gratiã & gloriam, quàm ſuſcepit à Patre. ſic ait, *qui manducat me, viuet propter me.* Vt homo viuat, Deus factus eſt homo; vt homo viuat, Chriſtus factus eſt cibus, vt homo ſit Deus: Verbum carnem aſſumpſit, vt tu ſis filius Dei, *caro mea verè eſt cibus.* Vt ſicut illa viuit propter Deum, nos viuamus propter illam aſſumptam humanitatem, qua omnibus hominibus coniungitur, eiſque diuinam ſuam communicat vitam. Et hoc efficitur diuino hoc Sacramento, vt iã non vita tua viuas, ſed vita Chriſti.

Vita Chriſti noſtra eſt vita per Sacramentum — *Cyrill. lib. 4. cap. 15.* *Hilar. lib 8. de Trin.* *Chryſ hom. 46 in Ioã 6.* Simile. — *Pſalm 81.* Simile. *N.* — *Iac. 1.* — *Ambr. lib 4. de fide. c. 5* *Baſil. lib. 4. contra Eun.* — *N.B.* — *Per Euchariſtiam homo Deo inſeritur.*

Eras

Eras quidem in te, cùm secundùm carnē viuebas, sed hoc Sacramento factus es extra te & in Deum translatus. *In me*, inquit, *manet, & ego in ea* iam tunc non reperiris in carne, in ludo, in comessationibus, sed in spiritualibus exercitijs: vt dicas, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* *Galat. 2.* *In me manet & ego in eo.* Habitauit in te antè dæmon, nūc Christus habitat; habitabas prius in carne, nunc in Christo. 3 Ex textu Græco quidā explicant: *Ego viuo propter Patrem* i. sicut ego viuo Patri; sic qui manducat me, viuet mihi. Misit me Pater in mūdum, & ego viuo Patri, quia eius gloriā in omnibus quæro, in nullo mihi viuo; sic qui mãducat me, viuet mihi, non sibi; in omnibus me quæret, & gloriam meam, non suam. O indigni, qui vobis viuitis, & ideò celebratis, non vt Christū manducetis, sed vt temporalia habeatis, quibus vobis indulgeatis. Qui ergo manducas Christum, illi viue, non tibi; omnia in Dei gloriā facito: talis enim vita tua esse debet, qualis est cibus, quo vteris. Verè *adipe frumenti* satias nos Deus, Deo scil ipso. Sed tali tantoque cibo digni effecti, viuamus soli Deo, vitamq; instituamus cęlestem. *Hic est* enim *Panis, qui de cælo descendit*, de cælesti mensa ad terrenam, vt hoc cibo enutriti, in cęlis perpetuò coram Deo simus. Et per singulos dies hunc tribuit cibum, quia *panis quotidianus est*, non annuus. ideoq; optat Ecclesia, vt singuli fideles Missę astantes cōmunicarent non solùm spirituali affectu, sed etiam sacramentali perceptione, quo ad eos sacrificij huius vberior fructus perueniret. Si tanti fecit Miphibosetli Dauidis Regis mensam, vt adorans eum diceret, *Quis ego sum seruus tuus*: quanti facienda Dei mensa est? En ergò diuina nobis vita viuendum, qui diuino pascimur pane.

Ad sacerdotes exclamatio.

N.

Cypr ser. 6 de orat Dom.
Amb li 4 de Sacr c. 6. & lib 5 c 4.
Aug ep. 121. ad Prob. c 11. & 118 ad Ianuar cap 3. libr. 2. de ser. Dom in mōt: lib 12.
Conc. Trid. sess. 22. c. 6.
2. Reg. 9.

Tertia demū ratio est, qua Euangeliū concluditur: *Hic est panis, qui de cælo descendit non sicut mãducauerunt patres vestri manna & mortui sunt; qui mãducat hunc panē, viuet in æternū* Optima ratio, qua Christus ꝓbat, carnē suam verè cibū esse: cū. n. cibi effectus sit vitā dare, ille verissimus cibus est, qui hanc dat in æternū ꝙ Manna nullo modò fecit: mortui. n sunt omnes, qui illud manducauerūt, nec eius vi aut virtute vnquā resurgent; at caro Christi vitā dat ęternam, & *resuscitabit mortalia corpora nostra*. Sicut ergò illa est vera medicina quæ morbum radicitus tollens, salutem stabilem dat: sic caro Christi vere cibus est, qui famem in æter-

Vita æterna per Sacramentum datur.
1. Cor. 15.
Ioan. 5. & 6.
Simile.

Exhortatio ad frequentē communionē. num tollit, vitamque dat in æternum Licet enim ad tempus moriatur, qui illum cibum susceperit; tamen postea vi illius resuscitandus est in vitam æternam. Ex quibus colligendum est, auidè & frequenter ad hoc accedere Sacramentum. *Col. 2* Simile. Ille enim sumitur, cuius pretium immensum est, in quo sunt *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi.* Omnis thesaurus cælestis in hoc Sacramento est. *Chrys homil. 60 ad pop et 83. in Matth.* Attende qua auiditate pueri vbera matrum sugunt; vide qua deuotione latus tu Christi sugeres, hac accedere debes ad hoc Sacramentum. *Damasc.li 4. orth.fid.c.14.* Sicut ergo Dauid timore perculsus arcam Dei primùm repulit, & in domum suam, videns supplicium Oza, adducere timuit, postea verò cùm benedixisset Dominus Obededom propter arcam, amore ad se reuocauit: *2.Reg. 6. Chrys.homil. 28 in 1.Cor. 11.et orat. de B.Philogon.* sic cum hoc Sacramentum, *mors sit malis, vita bonis,* bonus quidem timor est, sed melior est charitas. Vnde accedere frequenter melius est simpliciter; quia hoc ex amore procedit; sed accede timoratè & reuerenter, sicut accessit Moyses ad Deum, vocatus ad spinas sine calceamentis, vt pauidè accederet. *Hom 6. ad pop. Ser.3.ad Eph.1.* Timendum valdè, si non accedis, ne forte deficias in via: quia alimento sublato homini vires deficiunt; si verò accedis, vt debes, innumera tibi bona promittuntur. *Hom 5.in 1. Tim 1. Theoph.in 1. Cor.11.* Quid enim est communicare, nisi effici Christi membrum, ei adhærere, omnia bona illius participare, ea tibi omnia applicari, quæ Christi sunt, & in cruce meruit *D.Tho 3.par. summæ. Serm.de sacr. alt.per ca.32.* Si sæpè communicâsti, nec tot bona in te expertus es, ratio est, quòd non dignè accedas ad hoc Sacramentum. Si inde surgens terrena tibi sapiunt, quid mirum, quòd non tibi proficiat cælestis cibus? *N. B. Cur vim Eucharistiæ cōmunicantes nō sentiant?* Dijudica ergò corpus Domini, præparate in occursum Dei tui; digere cibum calore charitatis, & à terrenis cibis abstine, qui te perdunt: & tunc vim experieris cælestis huius panis, qui verè *cor hominis confirmat*, qui dat delitias regibus, qui est frumenti adeps, qui est pinguis & supersubstantialis panis, dans vitam æternam. &c. *Psal. 103. Genes. 49. Psal. 80. Matth. 6.*

Sed inter omnes huius diuini Sacramenti figuras præcipua fuit Manna, quod longè superatum à veritate ostendit Dominus, dicens: *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt.* *Ioan.6, Figura Eucharistiæ Mā na quomodo differat à veritate. Aug tract.26. in Ioan 6.* Magna est inter Manna & hoc Sacramentum diuersitas. Manna vitam spiritualem animæ non præbebat, quā dat caro Christi, & hæc vita æterna est. Manna non dabat corpori vitā ęternam, caro verò Christi

cam præbet;quia ratione Christi corporis à nobis suscepti resuscitanda sunt corpora nostra in vitam immortalē. Ita Christus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinē, habet vitam æternā, & ego resuscitabo eum in nouißimo die.* Vidimus diuersitatem nunc attendamus conuenientiam. 1. Manna panis fuit quotidianus;ita Eucharistia.quē præcipuè petimus dari,cùm oramus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Certè quantum est ex parte panis,quotidianus est,& quotidiè sumendus,sed dispositio nostra nō patitur, vt quotidiè nobis detur.Sicut ergò qui manna colligebant,ante lucem prodibant;nam ab exiguo solis radio calefactum tabescebat; *vt notum esset omnibus, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam:*sic ille quotidie communicare potest, qui de manè vigilat ad Deum. Quare multis Sacerdotibus crediderim expedire abstinētiam ab hoc cibo,qui nulla adhibita præparatione, nulla facta gratiarū actione quotidiè ad altare accedunt.de quibus Malach. *Ad vos ô sacerdotes,qui despicitis nomen meū. Et dixistis In quo polluimus nomen tuum? Offertis super altare meū panem pollutum.* Panis viuus in se pollui non potest;sed illum despicit,& mensam despectā dicit, qui ad altare accedit tanquā ad vulgarem mensam, qui Christum irreuerēter sumit. 2. Deinde mānna omnem cōtinebat saporem,& ideò omnis cibus erat:ita Christus in Eucharistia ad quod quisq; vult conuertitur. 3 Illud præterea manna salutiferum erat: *non enim erat in tribubus eorum infirmus*: ita Christi caro non solum pascit, sed sanat, & medicamen est salutis. 4. Deniq; manna frangebatur mola,siue terebatur in mortario, & coquebatur in olla, & fiebat ex eo tortula saporis,quasi panis oleati:sic Christus, vt nobis panis fieret, confractus est in passione doloribus,& igne charitatis decoctus & sic facta est nobis hæc tortula,quam in manibus Sacerdotū cernimus,de qua Psal. *Et erit firmamentum in terra,in summis montiū.* vbi habetur in translatione Chaldaica: Et erit placentula tritici in capitibus Sacerdotū.nec dissonat vulgata editio: cùm enim ait, *in summis montium*, per montes sanctos viros & Sacerdotes accipe; *firmamentum* verò ad panem pertinet,iuxta illud, *Et omne firmamentum panis contriuit,* eò quòd *panis cor hominis confirmet.*

Mirabilis planè diuina adinuentio,plena miraculis;cuius vestigium ratio inuenire non potest. Rectè Psal *Mira-*

Chrys. hom. 44.45.46. in Ioan. 6.

Manna quomodo conueniat cum Eucharistia.

Matth. 6.

Simile typicum,

Sap. 16.

ἐπ' εὐχαριστίαν σοῦ.

N.

Mal. 1.

Leuit. 10. 20. 21.

Cypr. serm. 5. de lapf.

Panis viuus quomodo polluatur.

Sap. 16.

Psal. 104.

Num. 11.

Psal. 71.

Petr. Galat. lib. 30. de arca. cath. vera ca 4.

Paul. Burgēs.

Titelman.

Psal. 104.

Psal. 103.

II pars Concionis. — Psal 138. — Mirabile mysterium in Eucharistia. — Psalm 110.

bilia opera tua, & anima cognoscet nimis. In minimo Dei opere, vel formica quidem, sunt mirabilia tanta, vt vniuersa Philosophia ea non fuerit assequuta, quæ, obsecrò, erunt in summo Dei opere, in memoriali omnium mirabilium. *Memoriam enim fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se.* De quibus duo dicamus. Primùm quòd Christus hoc dato Sacramento sibi satisfacere voluerit in duobus; nobis item in alijs duobus. Sibi in honore carnis suæ, & in desiderio se effundendi: nobis in desiderio cordis nostri, & in omni necessitate.

Quomodo Christus honori carnis suæ satisfecerit. — Gen 40. — Typus. — Psal 21. — Isa. 53.

Primùm quidem in hoc Sacramento satisfecit sibi, reddito eo honore carni suæ, quem reddi oportebat. Voluit meritò corpus suum maximè honorare, quod ignominijs suæ passionis fuerat summè depressum. In passione per publicas vias summa cum ignominia ductus est: nunc verò ei restituitur honos, dum Christus adorandus publicè ducitur festiuis gaudijs. Sic quondam restitutus est honor Ioseph in AEgypto. Mirabilis profectò carnis exinanitio in passione, cùm *vermis reputata est non homo*, imò *nouissimus virorum habitus*: Sed multo mirabilior est exaltatio, dum non solùm super omnes cælos hanc collocat; sed & ipsa etiam diuinitas in hoc Sacramento concomitatur carnem, vt pedissequa, cùm sit carne superior eiusque domina. Sibi ergò plenè abundeque satisfecit in honore carnis suæ hoc exhibito Sacramento, dum in eo carnem suam adorari facit ab vniuerso mundo. Secundò suo quoque satisfecit amori, petenti pro nobis *gemitibus inenarrabilibus*. Amor Dei Deus est, infinitus est: non quiescit, donec seipsum homini amato daret. Reliqua enim omnia æqualia amori non erant, ipse æqualis est amori suo. En, ò homo, infinitum Dei in te amorem, quem ex dono colligere potes, quod infinitum est. Filius quidem datus est in Incarnatione vniuerso mundo, nunc verò in hoc sanctissimo Sacramento datur idem Filius cuilibet hominum. Quo facto infinitam ostendit dilectionem, non solùm in vniuersum mũdum, sed etiã in singulos homines. Ideo *panes propositionis*, hunc figurantes diuinum panem, calidi semper erant, vt ardentem amorem in hoc Sacramento nobis significatum ostenderent.

Diuinitas carnem Christi comitatur licet eius sit domina. — Quomodo Christus suo amori satisfecerit. — Rom 8. — Amor Dei infinitus in nos dato Sacramento manifestatus. — N. — 1 Reg 21. — Typus.

derent. Quanta gloria nostra, ô fideles, cùm ad hoc conuiuium omnes & singuli vocemur, vt panem cæli manducemus; *Panem enim Angelorum manducauit homo.* In hoc ergò diuino Sacramento nobis Deus contulit omne bonum, quod habebat, & sic immensum suum in nos effudit amorem, cui plenè satisfecit dono tanto.

Secundò satisfecit votis ac desiderijs nostris, simul etiam omni nostræ necessitati & desiderio nostro, dum se exhibet amantissimum & clementissimum Regem, seque donans, vt desiderium omne compleat. 1. in eo quòd Deus velit cum hominibus conuersari. Iam enim *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*, qui non solùm Ecclesiæ suæ adesse voluit in vno loco, sed in omni oppido vel minimo Ecclesiæ suæ, in omni domo, & in omni fideli suo habitaret intra corpus eius, adhærens cordi & visceribus eius. O amoris excessus nimius. Verè nunc ciuitas Ecclesiæ gloriosissima est tali ciue, tali habitatore, tali rege. Propter hoc de Ecclesia meritò dici potest *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Sed tali ac tam benigno Principe agnito, quid desiderare amplius possumus? vtiq; illi vniri, & vnum cum eo esse. Vnde Christus dixit: *Hoc est enim* (licet eam particulam non memorent Euangelistæ Ecclesia tamen habet ex traditione Apostolica) *corpus meum*, quod summè desiderare debetis, si me agnoscitis, quia totus sum desiderabilis. Si Christum nosses, ô homo, hoc sæpè diceres, *Quis det de carnibus eius vt saturemur*: sicut de Iob dixerunt. Si ergò Christum desideras, si ei vniri optas, si eius carnibus saturari cupis, audi quid dicat, *Accipite & comedite*, *HOC EST CORPVS MEVM.* En desiderium nostrum impletum. Anxius es ô homo; sitis Deum tuum, esuris eum? iam hoc tibi dato Sacramẽto, *pignus futuræ gloriæ* tibi *datur.* Quomodo verò Sacramentũ hoc pignus sit gloriæ æternæ, audi Proph. *Super vestimẽtis pignoratis accubuerunt iuxta altare.* Christus nudus sine vestimentis crucem ascẽdit, quia sua opera nobis reliquit, quæ illi necessaria non erant. Quia verò officia iusti in hac vita futura erant, & præmia in alia, voluit nobis illarum pignus relinquere, donec in cælo se nobis præberet, opera videlicet sua, quibus iustus indiget, & Eucharistiæ Sacramentum. Super hoc pignus oportet nos inniti. 2. Subuen-

Psal. 77.
Quomodo nostris votis Christus satisfecerit.
Dan 2.
2. Par. 6.
Ergóne credibile est, quod Deus habitet cum hominibus super terram?
Tit. 3.
Deut. 4.
N. B.
Innoc. 3. li. 4. myst. Mis. c. 5. c. cũ Mart. §. distinguendum de celebr. Missar.
Thom. 3. p. q. 78. a. 2.
Iob 31.
Greg. lib. 22. mor c. 7. & Thom. in Iob. 31.
Amb. li. 5. de sac. c. 1.
Psal. 41.
Amos 2.
Apoc. 16.
Cyrill lib. 12. c. 28. 29. 32. in Ioan. 219.
Chrys. hom. 2. ad pop.

tum autem est & omni necessitati nostræ, dū arma nobis dedit præclara ac fortissima, hoc instituto Sacramento, quod est inter spiritalia pręcipuū, quibus cū hoste possimus cō-tendere. Triumphauerat olim de mundo dæmon, sed quo gladio? Vtiq; carne nostra, quæ gladius est Dæmoni, quo vniuersum mundum superauit, *cū omnis caro corruperat viā suam.* Venit Christus decertare cū dęmone; sed quo gladio eum iugulat? vtiq; assumpta carne nostra, in qua ipsum superauit. & caput eius contriuit. Sicut olim in figura Dauid superbum Goliath gladio suo iugulauerat. &c. Nūc ergò bellū ingrederis cum dæmone, inermis es? vis pręclara arma? En gladium Goliath, en carnē Christi, qua victus & superatus est dæmon. *Non est huic similis gladius* ad vincēdam tentationem ad expellēdam in aduersis tristitiam, accede ad Eucharistiam, nō est huic remedium simile. Imbecillis es, vt inimicos insequeris? accede, manduca; cape mel hoc cum Ionatha, quo aperti sunt oculi eius, & vires accepit. Sed Christus *panis* est vitæ, quomodo ergò gladius? Vide panem alium multo inferiorem, qui & panis & gladius fuit. *Videbam,* ait quidam, *panem subcinericium volui in castra Madian, & ea penitus delere* ait alter: *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis.* Panis ille subcineritius etiam gladius fuit, delens castra Madian. Noli ergo mirari si hoc diuinum Sacramentum & panis sit vitæ animæ tuæ, & gladius cōtra inimicos tuos. *En arma militiæ nostræ potentia Deo ad destructionem omnium munitionum;* de quo Psal. *Parasti in conspectu meo mensā, aduersus omnes, qui tribulāt me.* Accedamus ergò ad hanc mensam, ex qua prodimus ignem spirantes, dæmonibus terribiles facti. Agnoscunt enim arma, quibus victi superatiq; sunt. &c. Nunc ergò illud tibi dico, quod Angelus Eliæ. *Surge, comede, grandis tibi restat via.* Angelus est, qui comedere & communicare suadet. Si sic comederis, ne timeas Iezabel, quia hęc mensa contra omnes inimicos tibi est auxilium & arma. Nullus nobis formidādus hostis præcedente nos duce nostro. Præcedit nos Christus, sicut populum Israëlis, *in columna ignis & nubis:* ignis ipse est, nubes verò accidentia sunt, ne opprimamur à gloria eius. Deo nos præcedente quis paueat? Mirabilis defensio: sed mirabilior Dei in nos charitas, qua trahēdi sumus, vt tantum cibum dignè gustemus. &c.

Quomodo nostræ necessitati sit subuentum à Christo in hoc Sacramento.
Gen. 6. & 19.
Gen. 3.
1. Reg 17. & 21.
Typus.
1 Reg 17.
Concil. Trid. sess. 25. de regular. & monial c. 10
1. Reg, 14.
Typus.
Iudi. 7.
Cyril. Alex. lib. 3. c. 37. & li. 4. c. 17. in Ioan. 6.
2. Cor. 10.
Psal. 22,
Chrys. hom. 61. ad pop. & 45. in Ioan.
3. Reg. 19.
Hieron.
Psal. 22.
Cypr. ser. de cæn. dom.
Exod. 14. & 33.
Num 9.

DOMINICA PRIMA POST TRINITATEM, INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI,

Ad lectorem.

Scies, beneuole Lector, secundùm Coloniensem, & alias quasdam Diœceses, in hac Dominica 1. post Trinitatem, quæ est infrà Octauam Corporis Christi, fideli populo proponi Euangelium de diuite Epulone, ex 16. cap. Luc. Homo quidam erat diues. &c. Hoc inuenies suprà Fer. V. post Domin. 11. Quadrages. Quia verò Author Romanæ Ecclesiæ sequutus est consuetudinem, nos ab eo non discedimus in hac Epitome.

THEMA: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Lucæ 14.

MAGNA his diebus cœna ac conuiuium proponitur, & vndiq; magnum; tum ex parte Dei, qui conuiuium parat, *Parasti in dulcedine tua pauperi. Deus*; tum ex parte eius, quod paratur in cibum, Cæna est adeò magna, vt explicari non possit. Est etiam magna ex parte eorum, qui ad eam inuitantur; quia iusti omnes inuitati sunt, qui Principes & Reges terræ sũt. Hinc Ecclesia: *Verè panis filiorum; non mittendus canibus*. Vt hanc contemplari possimus, necessaria est lux cælestis; non enim naturali lumine videri potest. Hanc gratiam obtinebit Maria, ad eam ergò accedamus. &c. *Magnitudo cœnæ diuinæ. Psalm. 67. Psalm. 44.*

Solum Deum nostrum magnum esse, ratio & diuina Scriptura testatur. Hinc Psal. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Et, *Quis Deus magnus sicut Deus noster, qui in altis habitat.* Reliqua omnia parua sunt. Vnde Cœna illa magna aliud esse non potest, quàm Deus; si enim alius esset cibus *Solus Deus magnus. Psal 47 & 76. & 112.*

praua

Panis & cibus in cælo qualis.

parua cœna esset, nec satiare posset comedentes. Deus ergò cibus huius cœnæ est. Hinc ipse ait. *Hic est panis, qui de cælo descẽdit.* Sed ais: Ergo in cælo panis est? Est certè, quia in cęlo vita est, & hoc alimẽto suscepto cõseruatur. Deus cũ viuat vita diuina, cibus illius aliquomodo ipse est, dũ agnoscit & diligit seipsum: propriè tamen loquẽdo Deus cibo non vtitur; cùm cibus sit extrinsecus sumptum alimentum. Omnis verò creatura cibo eget, quia exterius alimentum quęrit. Vnde ipsi etiã Angeli, qui vita diuina viuunt, Deũ suscipiunt, vt alimentum, & cibũ, quo reficiuntur vsq; ad satietatem: hos enim in cœnam magnã vocauit, & sedere fecit secum fecit in eadem mensa, & eodẽ vti cibo: de quo Raphael *Ego inuisibili cibo et potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.*

Homo exclusus à cœna diuina.

Exclusus ab hac mensa homo fuit per 5000 annos; & quia cibum mortis gustare voluit, cibum vitę amisit. Clausa ianua illa cęlestis homini est, solùm Angelicos spiritus inuitauit Deus vt hanc cœnam magnam gustarent.

Tẽpore gratiæ inuitatus homo.
Tit. 2. & 3.
Typus.

Sed adfuit mundo gratiæ & misericordiæ tempus, & aperta est homini ianua, vt in hanc cœnam magnam ingredi posset. Et sicut Assuerus 3. anno regni sui fecit grande conuiuium cunctis principibus & pueris suis: ita postquam pręcessit primus annus legis naturæ, & secundus legis scriptæ, adfuit tertius legis Euangelicæ, in quo venit Christus, vt ad hanc Cœnam magnam vocaret nos.

Luc. 22.

Vnde ait, *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Typus.
Genes. 42.
Psalm. 127.

Ad hoc conuiuium nos fratres suos perducere desiderat: sicut Ioseph fratribus exhibuit grande conuiuium: Sic Christus nobis; & summo desiderio cupit nos in hac videre mensa; vt simus *sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ eius.* En quod hodie dicitur, *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ecce vocationem nostram, fratres, quis hanc spernat? quis mundi mensam adibit spreta Dei mẽsa? An non sub hac mensa dissipator ille filius erat, qui cupiebat saturari de siliquis porcorum, & nemo illi dabat?

Luc. 15.

An non peccator sub mundi mẽsa est, dum colligit fęces terrę & animalium? Quid enim aurum & argentum sunt nisi fæces terræ?

Psal. 74.

Quid serica vniuersa, nisi excrementa vermiũ? His verò *fex calicis* diuini furoris seruata est, *quæ non est exinanita; bibent omnes peccatores terræ.*

2. Est

2. Est verò in terra *cœna* alia *magna*, ad quàm inuitamur, diuina scilicet Eucharistia. Pro vitæ diuersitate diuersi sunt cibi; alius est cibus spiritualium, alius corporalium. Cùm ergò diuinam vitam suis conferre voluerit dominus, diuinum ijs parauit cibum, seipsum. Verè *Cœna magna* illa est, in qua Dei caro nobis proponitur; *magna* quidem non quantitate, sed virtute. Est autem *Cœna* hæc *magna* pluribus de causis 1 quia Deus, qui maximus est, nobis in cibum datur. *Cœna* illa *magna* esset, in qua daretur margarita vnica pretiosissima, quæ in mundo esset, sicut Antonio Cleopatra dedit, cuius pretium erat immensum. *Magna* ergò *Cœna* nostra, in qua datur nobis in cibum Deus ille homo factus, qui vnicus & singularis, qui solus habet immortalitatem, qui est illa pretiosa margarita, quam vt haberet prudens mercator, *vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eam*. 2. *Cœna* ista *magna* dicitur, quia cibus, qui in ea proponitur, omnẽ continet saporem, & ideo in vnico cibo omnes cibi proponuntur. Magnum plane conuiuium præstitit Deus Israëli, cùm manna dedit, in quo omnem cibum dedit, dum omnium escarum saporem continebat. Hinc Sap. *Paratum panem de cælo præstitisti eis sine labore, habentem in se omne delectamentum & omnem saporis suauitatem* &c. Eucharistiæ figura expressa est in manna: ita enim Christus dominus omnis cibus est, quia omnem continet saporem; & factus est nobis omnia in hoc diuiniss. Sacramento. 3. *Cœna magna* dicitur, quia verus cibus proponitur, non pictus, non vmbraticus, vt olim. Imperator Heliogabalus principes Romanos inuitauit & cibos eis proposuit depictos; quibus refici nõ potuerũt. Patribus antiquis olim Deus dedit figuras verorum, vmbras futurorum: nobis verò rerum veritatem, cibum verum; Vnde ait, *Caro mea verè est cibus*. quasi dicat non vmbra, non figura, sed rei veritas præsens. Sicut sponsus sponsæ effigiem suam absens mittit; at cùm præsens est, eius effigies necessaria non est: sic antequam Deus in mundum descenderet, dedit Synagogæ sibi desponsatæ, vmbram sui. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*: & ideò Cœna illa magna non erat, in qua Manna vel agnus Paschalis proponebatur:

Cœna diuina in terris & magna.

Magna cœna à magnitudine Dei in cibum dati.

Plin lib 9. cap 35.

Psal. 140.

Matth. 13.

A magnitudine suauitatis cibi.

Typus.

Sap. 16.

Psalm. 77.

A magnitudine veritatis cibi.

Aelius lãpr. de Heliog.

Ioan 6.

Simile.

Heb 10. et. 11.

nebatur: nobis verò cœna magna proponitur, quia verus solidusque cibus nobis datur, gratiam continens, vitam donans. 4. Hæc *Cæna magna* dicitur, quia vitam præstat æternam cùm enim cibo & potu hoc quærant homines, vt viuant; illa magna est cœna, quæ vitam æternam præstat cibus magnus arbor vitæ dici potuit, quia vitam prestabat æternam; præcipuè verò caro Christi magnus cibus est, qui hanc prestat in gloria. Hinc Christus. *Qui manducat hunc panem viuit in æternum*. Cibi omnes corporei non plenè cibi sunt; quoniam cibus ordinatur in restaurationem eius quod deperditur actione caloris naturalis. illi autem non restaurant quid æquale ei, quod deperditum est, sed quod minùs natiuum, vnde per extranei admixtionem paulatim deficit & senescit homo. Hoc erat Ligno vitæ singulare, vt æquale restauraret, & ideò vitam conseruabat perpetuò. Hoc verò Christi caro in anima perficit, restaurat enim, quod, calore concupiscentiæ nobis deperditur. Verè ergò cibus est, magna cæna 5. Demùm hæc *Cæna magna* est, quia vt Ecclesia ait, *sumit vnus, sumunt mille, nec sumptus absumitur*. An non magna Cœna illa. ille cibus, quem in millibus annorum vniuersa Ecclesia comedit, & comedit, comedetque vsque in diem iudicij? Ex his tandem admirari possumus diuinam sapientiam in hominis reparatione. In hominis perditione 4 interfuerunt, homo inobediens, mulier superba, lignū vetitum, fructus mortis. Contra illa 4. alia 4. Deus proposuit: hominem obediētem, mulierem humilem, lignum Crucis, & cibum vitę. Si vis ergò cibi huius bona cognoscere, considera cibi prioris mala innumera; & scito, potentiorem esse cibum istum in bonum, quàm illum in malum; quia hic medicina illius est. Medicina autem, quę venenum pellit, potentior esse veneno debet: quia ab æquali non fit actio. Duo dixit mendaciter Dæmon de cibo vetito, *Non moriemini; & Eritis sicut Dij*: in vtroq; mentitus fuit. Christus verò veraciter duo affirmat de carne sua. *Qui manducat hūc panem viuet in æternum*. Et, *In me manet, & ego in eo. & ipse viuet propter me*, vita scilicet diuina.

Hac ergò Cœnâ magna parata, *vocauit multos*. Si ad cælestem beatitudinem hanc cœnam referamus, *multos vocauit; quia vult omnes homines saluos fieri*. Cùm verò ad gloriam inuitauit omnes homines, ad cænam inuitasse dici-

A magnitudine durationis.
Aug. tract. 26 in Ioan. 16.
Veri cibi qualitas est restauratio sui.
Gen. 3.
A magnitudine consumptionis.
Sapientia Dei in hominis reparatione.
Gen 3.
Ioan. 6.
1. Tim. 2.
Cur ad Cænā inuitārit Deus.

dicitur, non ad prandium. Sicut enim cœna datur in fine laboris, cùm iam quiescendum est: ita in morte iusti vocantur in requiem. Hinc Ioan. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis*. Et, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Sicut igitur laborantibus prandium datur; sed post cœnam labor nullus restat: ita omnis diuina consolatio in hac vita, prandium est, cui labor succedit; in cælesti verò patria labor finitus est. *Multi* ergò *vocantur*, quia Angeli & homines ad eam cœnam vocati sunt. *Apoc. 14. & 19.*

Sed quia Eucharistiæ conuiuium etiam cœnam maximam diximus esse, & pignus æternæ cœnæ, dici etiam cœna potest, cùm quiescendum nobis sit, dicendumq́; *In pace in idipsum, dormiam & requiescam: quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me*. Eucharistiam suscepisti? quiesce statim; considera Dei in te largissimam bonitatem; vnionem, quam tecum efficit, & *singulariter in spe* quiesce. Accepisti enim pignus æternæ hereditatis; & pignus quod tantùm valet, ac ipsa hæreditas. Dulcis profectò laborantibus hæc quies. Ab omnibus ergò, quæ mundi sunt, abstrahendus es, & in Christum transferendus, in quo manes eius suscepto corpore. Ad hanc verò cœnam *vocauit multos*, quia omnes homines vocat, omnibus se tradit, vt ab omnibus suscipi possit: *Psalm 4. & 90.*

Et misit seruum suum hora Cœnæ dicere inuitatis, vt venirent. Huius serui nomine intellige omnes prædicatores, qui homines inuitant ad cæleste conuiuium, & ad Eucharistiam suscipiendam. Sed notandum verbum, & omni acceptione dignum. *Quia parata sunt omnia.* Priusquam Christus veniret, non erant omnia parata, quia ianua cœli clausa erat; & licet alij proponerentur hominibus cibi, sed vmbræ erant. Nunc verò quia parata nobis æterna beatitudo est, paratum Christi corpus, meritò dicitur, *Parata sunt omnia*. nihil enim nobis desiderandum restat. *Serui sunt prædicatores omnes.* *Omnia parata per Christum.*

Sed audi prauum cor hominis. *Cœperunt omnes se excusare*. Omnes, inquit: quia *omnes quærunt, quæ sua sunt*. *A minimo vsque ad maximum omnes student auaritiæ*. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*. quia vt plurimum homines à recto deuiant. Hic verò hominum stultitia manifeste apparet Si homo vocaretur à Deo ad supplicia, vt quondam Adam, vanum illi esset fugere, quia effugere non poterit: *Prauitas hominum.* *Ierem. 17.* *Phil. 2.* *Ierem 8.* *Psal. 13.* *Psal. 52.* *Stultitia hominum.* *N. B.* *Genes 3.*

Psalm.138. *quo à facie tua fugiam?* Sed cùm homo vocetur ad regiam cœnam, extremæ dementiæ est fugere velle. Deum iratum fugere, non adeò mirum est; sed misericordem fugere, quis nisi amens auersetur? Vasthi se excusans, *Esth.1.* ab Assuero reijcitur.

Sed excusationes videamus. *Alius dixit, Villam emi.* In omnibus excusationibus horum illud attendendum est, nullum se excusare re prohibita, & quæ manifestè mala sit; vt furta, homicidia, adulteria, & similia sunt: sed ijs se excusant, quæ ex se licita sunt, vt matrimonium contrahere, rem familiarem administrare, & quibus demùm nunc se homines excusant, ne animæ suæ singularem curam gerant. Vnde colligemus, non solum mala manifesta vitanda esse, sed periculum etiam nobis imminere, ex his, quæ primo aspectu bona videntur, & si parcè eis non vtimur, nos à cælesti mensa auocare. Primus ergò ait, *Villam emi, & necesse habeo videre illam*: & ideò vitam æternam curare non possum, ad Eucharistiam accedere nequeo. *Villa* res parua cùm sit, significat temporalia bona, quæ parua sunt: illis verò detinetur homo ne salutis suæ curam gerat, ne capiat æterna bona; quod summæ stultitiæ est. Quis enim regnum pro villa relinquat? tu verò regnum æternum deseris, vt villam perituram emas? Vult verò sub specie prudentiæ se excusare, dicens; *Rogo te, habe me excusatum.* Ad quem Ierem. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam?* &c. Sed alias huius, qui Villam emit, stultitias attendamus: *Necesse*, ait, *habeo videre illam*. Non se excusat dic. Volo frui illa; sed, *Videre illam*. & solùm vt illam videat, detrectat Cœnam. Audi auari stultitiam, *qui non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis*. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? solo visu detinetur, similis factus Tantalo, qui aquas videt, sed non gustat. Quæ mundi sunt, vana sunt, visui deseruiunt; nec enim satiant. Sed & aliam huius inscitiam attende: ait enim; *Villam emi, & necesse habeo videre illam*. Prius emit, quàm videret. An non prius oporteret videre illam, quàm emeretur? Hoc peccatoris stultitiam arguit, qui prius res emit, quàm consideret. In mundi oblectamenta ruit, non attendens, quid faciat. Prius ergò rem vide, & considera, quàm e ma-

Vitanda sũt omnia, quæ nos à cœl sti cœna auocãt, non solùm mala, sed & primo aspectu bona.

Villa temporalia bona significat.

Simile.

N. B.

Stultitiæ excusantis.

Ierem.2.

1.

2.

3.

Eccl.5.

Simile.

Seneca in Thyest.

Virg. lib.6. Aeneid.

Ouid.lib.4. Metam.

N. B.

4.

emas, sicut prudens illa *mulier considerauit agrum, & emit eum*, ne decepta pœniteret. Cùm dæmon, caro, & mundus tibi merces proponunt, interroga quanti diuendantur: & cùm audieris æternis pœnis eas exoluendas esse relinque merces, quæ tam caro sunt pretio, & dic, NON EMO TANTI, POENITERE.

Prou.31.
N. B.
Demosthenes.

Alter dixit: *Iuga boum emi quinq;* Hi sunt, qui solliciti sunt in his quæ mundi sunt; nimium intenti secularibus negotijs, qui non contenti iugo vno, *quinq;* emunt. Vnum offertur homini *iugum Christi*, & gratis offertur, & magna portanti permittitur remuneratio: stultus verò, hoc iugo reiecto, *iuga quinque* subit, & *iuga boum*, non hominis; & *iuga* dura, non suauia; & illa *emit*; quod extremæ dementiæ est, cùm gratis habere possit vnum. Quinque verò *iuga* dicit, quia vt quinque sensibus homo seruiat, mirè torquetur. *Boum* dicit: quia similes pecudibus efficiuntur homines, qui hæc portant. *Emere* dicitur, & carissimo pretio; quia Deum amittit & eius gratiam, vitamque æternam, vt voluptati & mundi negotijs inseruiat. *Emi*, ait, *quinque iuga boum*. Morbus hic natiuus est mundanis, vt ab emptionibus, & temporalium coaceruatione non cessent: *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis: nunquid vos soli habitabitis in medio terræ?* non ait, qui furto aut vsuris acquiritis, sed qui nimia cupiditate peritura congregatis. Hæc verò nimia terrenorum cupiditas maximo est impedimento, ne cœlestia assequi homo valeat. 1. quia nisi desideres & sitias iustitiam, & cælestia bona, illa non assequeris. Sicut enim qui ad cœnam regiam vocatus, vilibus dapibus moræ impatiens ventrem explet, comedendi appetitu amisso posteà comedere non potest, ita omnis res terrena bonorum spiritualium fastidium generat. 2. quia sollicitudine temporalium animi quies & pax turbatur, vnde Deo vacare homo non potest. *Hi sunt, qui à diuitijs & sollicitudinibus huius seculi suffocantur.* 3. quia nimia cupiditas efficere solet, vt malè & cum peccato temporalia acquirantur. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum cupiditas.*

Iuga boum sollicitudo temporaliũ.
Bernard. in declam. super illud Matth.19. Ecce nos reliquimus omnia.
Matth.11.
Stultitia sollicitorum.
Isa.5.
Sollicitudo quomodo impediat desiderium cælestium.
Simile.
Greg. hom. 36. in Euang.
Luc.14
Hom.38 in Matth.22.
Luc.8.
1.Tim.6.

Carnis appetitus impedit spiritū.

Sic Adam se excusat: Mulier, quam dedisti mihi sociā, dedit mihi de ligno,& comedi. *Gen. 3.*

Rom. 5. *Num. 21.* *Ioan. 3.*

Alter dixit: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire*. Non hic matrimonium damnatur, vt Tatianus putauit. Institutum à Deo est in mūdi propagationem,& humanę fragilitatis subsidium. Sed hoc humana malitia præstat, vt quod Deus in eius remedium condidit, vertat in perniciem. Hinc plurimi à spiritualibus exercitijs se auocant, dicentes, *Vxorem duxi*, non possum spiritualibus intendere. Carnis appetitus impedimento est spiritui. Caro in Adā vitiata fuit, quā generatione participamus. Sed quod carnis antidotum? Conceditur nobis caro Christi, qui ex Adam descendit, qui carnem infectam purgat, morsos à serpentibus sanat. Carne ergò Christi in Eucharistia susceptā vitia carnis purgātur. Et ideò hodie caro nostra facilè spiritum superat, quia carne Christi nō armamur. hic enim cibus homines diuinos efficit,& mutat carnem nostram.

Dei ira nos remoratur, ne ad Eucharistiam accedas.

Comparatio. *Esth. 5.* *3 Reg. 2.*

Tunc iratus Paterfamilias dixit etc. Dico autem vobis; *Quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam.* His verbis ostendit Deus, non à voluntate nostra procedere, sed ab ira ipsius, ne ad Eucharistiam venias,& ad cœlestem patriam. Ait enim; *Iratus dixit: Nemo virorum illorū gustabit cœnam meam.* Sicut enim summam misericordiā eis Christus exhibet, quibus Sacramenta frequentare cōcedit; ita summā in eos iram exercet, quibus id non præstat. Aman summè gloriatur, quod inuitatus sit, vt cum Rege comedat: & filijs Berzelai hanc maximam gratiam reddendam iubet Dauid, vt in mensa Salomonis comedant: ita cui Deus maximam gratiam præstare vult, ad mensam suam vocat: cui iratus est, ait: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Accedamus ergò ad hanc magnam cœnam. Sicut enim esca hominem non reficit, nisi manducetur; ita Christus nobis non proderit, nisi à nobis suscipiatur. Caue ergò ne te relinquat,& ad alios diuertat, quos ad conuiuium vocet. Si enim tu venire renueris, alios vocabit, siue *cæcos*, siue *claudos* &c. sicut Gētes vocauit; quia synagoga inuitata venire renuit, &c.

Simile.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA POST TRINITATEM: QVAE EST III. POST PENTECOST.

THEMA: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis &c.* Luc.15.

OSTENDITVR hodiè summa Dei misericordia in peccatores: de hac verò audire & loqui dulcissimũ est. Quid enim dulciùs misero, quàm misericordia? In lege naturæ, & scripta cum hominibus conuersatus est Deus; sed multa Maiestate ostẽsa: sub cortina sumi latens velamine, eũ videre non licebat, sed nec ad illum appropinquare. Cùm dominus descenderet in mõtem legem laturus, ait, *Cauete, ne ascendatis mõtem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte moriatur.* Arca illa Testamenti tantę erat maiestatis, vt Iosue dixerit: *Cauete, ne appropinquetis ad arcam:* & solus summus sacerdos semel tantùm in anno ad eam appropinquaret. Sic ad Asserum & Holofernem nullus audebat intrare. Si hanc seueritatem ac grauitatem Deus seruaret, omnes deficerent ab eo. Nunc igitur in mũdum veniens longè diuersa ratione se cum hominibus habuit. *Apparuit enim benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei: & misericordia eius plena est terra.* Iam non recedere iubemur sed accedere. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.* Et Iacob. *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Et Paul. *Nunc autem in Christo Iesu vos, qui eratis longè, facti estis propè in sanguine ipsius.* Iã *erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores.* Quid mirum, cùm in eo inueniant, quicquid volunt. Si mortui sunt, ille vita est; si errantes, ipse via; si lassi, ipse requies; si cæci, ipse lux. Quis non accederet ad fontem, vnde manarent vniuersa ad vitam necessaria? An non magnificiendus fõs Christus, ex quo omne animi nostri bonum oritur, gratia, remissio peccatorum, dona, virtutes, & vniuersa denią; bona? *Quoniam apud te est fons vitæ.* Hanc in peccatores misericordiam agnoscentes, *erant appropinquantes ad Iesum.* Omnis creatura in peccatorem sæuit & armatur. Vnde Sap. *Omnis creatura, tibi deseruiens*

Misericordia Dei in peccatores. Exod.30. *Maiestas Deĩ in veteri lege.* Exod.19. Iof.3. Leuit.16. Heb.9. Esth.4. Iudith.14. Tit.3. Matth.11. Iac.4. Eph.2. A Simili. Psal.41. & 35. Zach.13. Sap.16. et 5.

Christus peccatorum refugium. *Thre.3.* *Sap.11.*

creatori, excandescit in tormentum aduersus iniustos. Et ipsi etiam Angeli viam paradisi custodiunt, ne homo eo potiatur. Quid ergò facies miser peccator? nullus est, qui te recipiat, nisi solus IESVS. Ipse creaturas detinet, ne te interimant. *Misericordia Domini quod non sumus consumpti.* Hinc Sap. *Misereris omnium, domine, quia omnia potes, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam: parcis autem omnibus, quia tua sunt Domine, qui amas animas.*

Peccator hericio & lepori similis. *1.Cor.10.* *Chrys. in Psalm. 90.* *Aug. in Psal 103 & lib. 50 hom. hom.23.* *N.*

Petra refugium herinacijs. Peccator hericius est, spinis peccatorum plenus: & lepus est timidus; quia mala conscientia semper timida est. Si tonitru fit, timet; si domus minatur ruinam, &c. Quod ergò refugium? *Christus Petra.* Et ideò latus eius, manus & pedes fossa sunt, *vbi abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum* vbi abscondamur à Dei ira. Si ibi abscondi noueris tutus eris. Licet enim peccata contra te clament; magis tamen clamat Christus pro te: & licet tu ingratus sis, ipse tamen gratissimus est: ille loquitur pro te: Me cum illo odio habe, vel illum mecum dilige. Pater Filium odisse non potest, diliget igitur nos cum illo.

1.Ioan.3.

Mirabile profectò est, quòd tanta cura Christus dominus peccatoris negotia gerat, vt peccato dimisso ad se redeat. Sed huius rei caussa è cælis in terram venit, & hac in re totam vitam & sanguinem posuit. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Et huic operi perpetuò insistit, quærens ouem, quæ perijt; & mundum vniuersum euertit, vt drachmam perditam inueniat. Sed quibus rationibus Christus ducitur, vt huic operi totis viribus incumbet? dulcissimum erit hoc inuestigare, & nobis proficua doctrina: ijsdem enim rationibus nos ducemur, vt ad Christum accedamus.

Cur Christus peccatores tanta cura quærat.

1. Mandatum patris. *Ioan 6.* *Matth.18.*

2. Desiderium Christi.

Quædam sunt motiua ex parte Christi, quędam ex parte nostra, quædam ex parte dæmonis. Ex parte Christi præcipuè eum mouet voluntas ac præceptum Patris, qui illum in hoc opus misit. Hinc ait: *Descendi de cælo, non vt faciam volũtatem meam, sed eius, qui misit me. Hæc est autẽ voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam.* Et: *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, vt pereat vnum de pusillis istis.* Duplex est in Christo voluntas, diuina & humana. diuina vna est cùm patre: humana semper diuinæ conformis est. *Hæc est autem volũ*

tas Dei sanctificatio vestra, & vult omnes homines saluos fieri: 1. Thess. 4.
in hoc semper Christus incumbit, vt *perficiat opus* eius. 2. 1. Tim. 2.
ex parte Christi desideriuum maximum, quo Patrem glo- Ioan. 4.
rificari desiderat. præcipuè verò glorificatur saluatione 3.
hominum, potiùs quàm in eorum damnatione. Gloria *Gloria Dei*
Deo redundat ex damnatis, cùm puniuntur, qui in eum *conuersio &*
peccârunt, sed hæc accipitur ab eis inuitis, exercita in eos *salus pecca-*
diuina iustitia: gloria verò & laus beatorum multo ma- *toris.*
ior est; quia procedit ex amore & iubilo perpetuo. Qui er-
gò Patris gloriam zelat, curat in cęlum animas ducere,
quia inde maior gloria ei resultat. Et ideò Christo dul-
cissimum est, animas videre Deum laudantes ac dili-
gentes sine fine. 3. Accedit gaudium cælestis patriæ, quod 4.
humano ingenio est inexcogitabile propter summam *Gaudium*
charitatem beatorum. Charitas beatorum erga nos im- *cælestis pa-*
mensa est, intercessio eorum pro nobis iugis est. Cum- *triæ.*
que impleri vident vota sua, exauditas orationes, & ve- Aug li. 1. cōf.
nientem conciuem suum summa ornatum gloria, *lætan-* c. 11. l. 2. c. 3. l.
tur in cubilibus suis, & exultant in gloria. Cùm hoc gaudium 3. c. 11. 12. li. 5.
Christus nouerit, omnem adhibet diligentiam, vt gau- c. 9. li. 9. c. 6.
dens in aulam cælestem ducat. 3. quòd anima factura 10. l. 8. c. 2. 3.
Christi est, opus manuum illius; & quod eam emerit tam 4.
caro prætio. sanguine & vita. *Non enim corruptibilibus auro* Psal. 149.
& argento redempti estis de vana vestra conuersatione, sed pre- 5.
tioso sanguine Agni immaculati. Et ideò non vult animam *Anima Chri-*
perdi & nimiùm curat, vt errantem reuocet. Sicut de Ni- *sti factura,*
niuitis manifestum est. 4 quia videt, quàm ei deuincta sit *& ab eo ca-*
anima, vt eum laudet in perpetuas æternitates; cùm ab eo *rè redempta.*
fuerit liberata à peccatis, & à dæmonis potestate. Si Israë- 1. Petr. 1.
litæ pro parua libertate per Iudith parta tot festa habue- 1. Cor. 6.
runt, tot gratiarum actiones; quæ obsecrò vox laudis in Apoc. 1.
cælo erit in æternum? Hæc vidit Ioan. cùm audiuit beatos 6.
dicentes. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem,* *Animæ de-*
& diuinitatem, & honorem, & gloriam. Redemisti n. nos Domi *uinctio erga*
ne Deus in sanguine tuo. &c. Hæc præuidēs Christus, huic o- *Christum.*
peri incūbit totis viribus. Hęc sunt motiua ex parte Christi. Exēplum.
II. Ex parte nostra 1. Deum mouet malū infinitū, quod Iudith.
peccatorē manet, nisi resipiscat. Videt inferni pœnas ęter- Apoc. 4.
nas, quas solus ille cōprehendit: & cū illas videat homini 7.
paratas, emollitur dulcissimū illius cor, & in misericordiā *Malū, quod*
flectitur. Hanc ostendit, cùm dixit. *Filius quidem hominis* *peccatorem*

 vadit: *manet.*

Matth.26. *vadit: veruntamen væ homini illi per quem tradetur.* Si mala
Luc.19. temporalia à Romanis Iudæis inferenda sic eius cor cō-
Exemplū. mouerunt, vt *fleret super Hierusalem*; quid non commoue-
ant æterna mala, quæ animam expectant, cùm dæmoni-
Simile. bus est tradenda? Homo duro est corde, nihilominus mo-
2.Cor.11. uetur cùm videt hominem cum ignominia ad supplici-
Ose.11. um duci. Quomodo ergò Christi viscera, misericordiâ
8. plena non commoueantur, cùm videat animam duci à
Ignorantia nostra in peccato. dæmone in æternam mortem, & æternos cruciatos? 2.
quia licet in peccato propriâ culpa sit, eaque grauissima,
& digna æterno supplicio; tamen aliquid in nobis est ig-
norantiæ atq; passionis, qua abstracti & illecti peccamus.
Psal.102. In peccato Angeli neutrum horum est; ideò in eum con-
9. tinuò lata sententia est. At in hominis peccato remedi-
Dæmonis arrogantia & tyrannis. um est, & *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est domi-
nus timentibus se. quia ipse cognouit figmentum nostrum; recor-
datus est, quoniam puluis sumus, spiritus vadens & non rediens.*
Ansel. duob. lib. cur Deus homo & dial. de casu diab. & in Elucid. III. Ex parte verò dæmonis, qui hominem decipit,
alia ratione Christus ducitur, vt eum non sinat homines
perdere. Licet enim Deus iustè hominem tradat dæmonis
seruituti; quia eum homo eligit in principem: dæmon ta-
men iniustè hominem vsurpat; fallit, & perdit: tyrannus
est, & raptor animarum, nullo iusto titulo eas possidet, &
Sic Dauid arrogantem Philisthæū. 1.Reg.17. è domo Dei deceptas educit: superbus & arrogans est in
Deum. Hæc dæmonis iniustitia, tyrannis, & arrogantia
in Deum, Christum mouet, vt homines eruat ex eius pote
state. Hinc Psal. *Surge Deus, iudica causam tuam.* &c. His om-
Psal.45. nibus titulis & motiuis Christus peccatores recepturus
Cur Christus vi dæmonē non pellat ex anima. maximo quærit studio, & reuocat in salutis viam. Sed si
tanta bona procedunt ex peccatoris cōuersione, cur Chri-
stus vi sua ex anima non pellit, cùm dæmon rapina & vi
homini dominetur? Duplici titulo dæmō hominem pos-
1. sidet. 1. propter Dei sententiam, qua propter peccatum dia-
Dei sententia. boli potestati homo traditus est, donec Dei iustitiæ fieret
satis. Sed Christi morte hic titulus à dæmone ablatus est,
Ioan.17. & *princeps huius mundi eiectus foras.* Manet autem dæmoni
2. alter titulus, voluntaria hominis subiectio. Liberauit nos
Voluntaria hominis subiectio. Christus passione sua: sed si adhuc serui esse volumus, ser-
ui erimus, non necessitate, sed voluntate nostra. Christus
redemit te; si tamen tu seruus dæmonis esse velis, non est
N. B. **Christo conueniens, quòd vi tecum agat; & cùm nolis ei**

adhærere, per vim te trahat: satis sit, quòd redêmit, quòd *Peccatum de*
recipit, quòd rogat. *serere et Deo*

Tu verò rationibus omnibus suprà expositis Deo ad- *adhærere te-*
hærere teneris, & peccatum deserere. 1. quia hæc est volun- *nemur.*
tas Dei; 2 hoc eius desiderium; quæ tu maximè attendere 1. 2. 3.
debes 3. vt diem festum cælesti curiæ præbeas; 4 vt Christo 4.
Domino obsequaris; 5. Tum propter te ipsum *miserere ani-* *Eccli.30.*
mæ tuæ, placens Deo; ne in æternum pereas: 6 denique prop- 5.
ter dæmonis in te tyrannidem, iniustitiam & arrogantiã, 6.
vt eũ superes, vt à potestate inimici eruaris, ne dicat Chri- 7. 8. 9.
stus: *In vacuum laboraui; vanè fortitudinem meam consumpsi.* Si *Isa.49.*
cut ergò nũc *erãt appropinquantes ad Iesum*, sic accede & tu. *Verba Chri-*
Sed ad quid appropinquabant? *Vt audirent illum.* Verba *sti trahunt.*
Christi trahebant eò; quia dulcissima erant; *mel & lac sub* *Cant. 4.*
lingua eius; verba eius *verba vitæ æternæ, diffusa est gratia in la-* *Ioan.6.*
bijs eius, nunquam sic homo loquutus est. Fac me audire vocem *Psal.44.*
tuam, Domine; Vox enim tua dulcis. Qui appropinquant pedibus *Ioan. 7.*
eius, accipient de doctrina illius. Si enim à finibus terræ veni- *Cant.2.*
ebant plurimi, vt Salomonis audirent sapientiam; quid *Deut. 33.*
mirum, si ad Christum accederent? *3 Reg.10.*

Tanta hæc Christi misericordia est in peccatores, tan-
ta benignitate eos suscipiebat ad se accedentes, vt de ea ipsi
peccatores Scribæ & Pharisæi murmurent. *Et murmurabãt*
Scribæ & Pharisæi dicentes; Quia hic peccatores recipit. Sic locu- *Num. 18.*
ta est Maria & Aaron contra Moysen propter vxorem, eius Ae- Typus.
thiopissam. Indignum videbatur Mariæ & Aaron, quod
Aethiopissam Moyses duceret vxorem: ita incongruum
videbatur Pharisæis, quòd peccatores nigros & fœdos
Christus susciperet. Sed quia Maria & Aaron Moysi de-
traxerunt, correpti sunt; & Maria lepra inficitur per heb-
domadam. Maximè ergò cauenda est detractio, ex qua *Detractionis*
multa oriuntur mala, rixæ & radix amaritudinis, multo *multa mala.*
rum bonorum, & itineris in cælum obstaculum. Tanta
autem Christi est in peccatores misericordia, vt non so-
lùm Pharisæi, sed & ipsi sancti, Dei amici, de hac murmu-
rare videantur. An non murmur videtur illud. *Indulsisti* *Isaiæ 26.*
genti Domine, indulsisti genti; nunquid glorificatus es? An non *Lucæ 15.*
murmurat filius senior, ꝙ tanta cũ lætitia excipiatur pro *Vide fer.4.*
digus? Sed quid dicunt? *Hic peccatores recipit, & manducat* *post Dom.1.*
cum illis. Illi hoc tanquam vitium & notam Christo inu- *Quadrag.*
rũt; sed planè verba hæc titulus Dei sunt, encomium eius,

Psal.144. & insigne. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Et, *Homi-*
Psalm.35. *nes & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti*
Vnaquæque *misericordiam tuam Deus.*
Respubl. sin- Vniuersæ insignes Respublicæ in aliqua re excellue-
gulare ali- runt,& aliquid insigne habere curauerũt, in quo reliquas
quid habuit. superarent. Romana Resp. in armis & gubernatione excel
Verg. Aen.6. luit: & eius insigne illud erat; PARCERE SVBIE-
1.Cor.1. CTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS. Græci
Num.12. sapientiam iactabant Illustres etiam viri aliqua singulari
Psal.131. virtute ornati fuerunt, quæ eos insignes reddebat. Com-
3.Reg 3.10. mendabat Moysen & Dauidem mansuetudo. Salomonẽ
4.Reg.22.23. sapientia, Iosiam religio, Alexandrum Mag. animi mag-
Reipublicæ nitudo, Cæsarem clementia. &c. Sed quodnam est Rei-
Christianæ publicæ Christianæ encomium? quod Christi insigne?
symbolum, et quis titulus? egregia enim illius facta titulo digna sunt.
insigne. Certè Christi insigne est, HIC PECCATORES RE-
Ecclesia Xe- CIPIT. Et hoc voluit insigne esse Ecclesiæ suæ, vt pec-
nodochiũ pec- catores reciperet, curaret, atque sanaret. Voluit eam esse
catorum. XENODOCHIVM OMNIVM PECCATORVM,
Rom.1. in quo vniuersis animi morbis mederetur. Et in hoc opus
Num.21. Euangelium condidit, *quod virtus Dei est in salutem omni*
Ioan.3. *credenti*; & vniuersa Sacramẽta instituit, quæ medicamina
Murmur dia- peccatorum sunt: & ad hoc ipse exaltatus est in cruce, vt
boli in Chri- medeatur omnibus, qui à serpente antiquo morsi sunt.
stum. Intelligens verò dæmon, Ecclesiam à Christo institui,
Lucæ 7.19. in qua sanarentur omnes, quos ipse vulnerabat, summo
Matth.9. odio in Christum exarsit, qui nullum conuertebat pecca-
Exod 5.6.7. torem ad sanam mentem, cuius causa dæmon non statim
8 9. murmur excitaret. Sic murmurat Pharisæus, quòd Mag-
Lucæ 7. dalena excipiatur; & nunc murmurat Pharisæus, *quia hic*
Natiua Dei *peccatores recipit*. Nollet ille peccatores saluti restitui, & à
conditio. potestate Sathanæ in lucẽ prodire: Christus verò peccato-
Tertul.lib.de res recipit. Sũma diuinæ bonitatis laus est, peccatoris mi-
pat. Dei. sereri, eiq; parcere. Si ingeniũ & natiuam Dei conditionẽ
1.Tim.1. nosse vis, scito, esse ignoscere & misereri: & qui misericor-
Lucæ 4. diam Dei nostri nõ nouit, Deum penitus ignorat: & quid
Isaiæ 61. Christus sit, & ad quid in mundum venerit, nescit. De se-
Iesus non est ipso explicuit illud. *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit*
vt Moyses et *me, ad annuntiandum pauperibus misit me, vt mederer contritis*
alij. *corde, & prædicarem captiuis indulgentiam.* Nec enim IESVS
Exod.14. est vt Moyses, qui extendens manum super Aegyptios,

suffo

suffocauit eos;& videns idola colentes,occidit eos:nec est *Exod. 32.*
vt Iosue,qui populos interemit,& Achan confitentẽ pec- *Iof. 7.*
catum lapidibus obruit;sed Saluator est hominum,eis in- *N.B.*
dulgens,& peccata condonãs. Nullus peccator adeò mul- *ô peccator.*
ta patrare crimina potest,cui remissio & remediũ non sit, *Psal. 129.*
si ad Christum veniat. Et hic summus honor Christi est, *Psal. 118.*
vt nullus sit adeò desperatus, qui in eò facilè remediũ non *Amb. ser. 19.*
inueniat. Hinc Psal. *Quia apud Dominum misericordia, & co-* *in Psal 118.*
piosa apud eum redemptio. Sperãdum ergò nobis in Christo ἐπήλπισα.
semper. Hinc Psal. *In verba tua supersperaui:* nõ solũ speraui,
sed supersperaui.q.d. Erit mihi spes super spem; quia in o-
mni peccatò,in omni miseria,in supremo discrimine spe-
rabo semper. Et hoc est verbum illud melle dulciùs: *Omne,*
quod venit ad me , non eijciam foras. quod idem est cum eo, *Ioan. 6.*
Hic peccatores recipit; omnes indiscriminatim, nullum ex- *Matth. 11.*
cipit.omnem curat ac sanat,si ad eum accedere velit. 1. *Tim. 1.*

Quid tibi,ô peccator, dæmon dicit: *Non est salus ipsi in* *Dæmonis na-*
Deo eius. Sed Deus ait, *Si fuerint peccata vestra,vt coccinũ,qua-* *tura ergà pec-*
si nix dealbabuntur. Non es persuasus exẽplo? vel affirmanti *catorem.*
Deo & iuranti crede. *Viuo ego dicit Dominus;Nolo mortẽ pec-* *Basil. hom.*
catoris,sed magis vt cõuertatur,et viuat. Qui viuit,viuere vult 29. *de pœn.*
peccatorẽ.Si verbo,exemplo,& iuramento non credis, o- *Ezech. 18.*
peribus crede. Non est subuersa Niniue, quia pœnitentiã & 33.
egit. Humiliatus Achab est;& dicit Deus, *Non inducã in die-* *Ion. 3. 4.*
bus eius malũ. Peccauit Dauid contra tria præcepta; Dicit, 3 *Reg. 21.*
Peccaui, & statim audit, *Dominus transtulit peccatũ tuum.* Idẽ 2. *Reg. 12.*
Manasse accidit. Videamus quid Christus dicat,& quid fa- 2. *Par 33.*
ciat: *Nõ veni,inquit,vocare iustos,sed peccatores. Peccatores re-* *Luc. 13. 7. 22.*
cipit, ouem portat super humeros;ficus expectatur licet in- *Lucæ 7.*
frugifera,spe futuri fructus Magdalenã recipit,Petrũ,Pau- *Encomium*
lum:quomodo te non recipiet?quid dubitas? Certè maxi- *bonitatis*
ma est ista bonitas & misericordia,omnem vincens mali- *Dei infinitæ.*
tiã,& nulli peccato non parcens. Et ideò tanquã arcanum *Ecclesia.*
fidei nostræ mysteriũ pro articulo Fidei in Symbolo A- *Malus quan-*
post. proponitur. *Credo remissionẽ peccatorũ.* Nec potes tu ad- *tuscunq; Dei*
eò malus esse,vt Dei bonitatẽ superes aut ęques;maior lõ- *bonitatem*
gè est Dei bonitas omni malitia, & eius misericordia quã *superare non*
miseria nostra. Imò tãta,vt necesse fuerit,Dei seruos ostẽ- *potest.*
dere,Dei dissimulationẽ in peccatores,non defectum esse *N.B.*
iustitiæ,sed diuinã misericordiã id decere. Hinc Petr. *Non* *ô peccator.*
tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimãt;sed 2. *Petr. 3.*
patienter agit propter vos, nolẽs aliquos perire,sed oẽs ad pœnitẽ-

Rom.2. *tiam reuerti*, Et, *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis*? Quòd stupenda tibi hæc misericordia apparet, propterea magis suscipienda est. Quod difficiliùs mundo ab Apostolis persuasum est, nō id fuit, quod de Dei sapientia & magnitudine prædicabant, sed quod de misericordia, amore, ac bonitate eius. Hæc mundo incredibilia apparuerunt, quòd Deus homo factus, & 1. Tim. 1. crucifixus peccatores reciperet. Hinc Paul. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia venit Iesus peccatores saluos facere* Talis Deus nobis erat desiderandus, qui non solùm esset potens, magnus, sapiens; sed & qui bonus, misericors, & amantissimus hominum esset.

Deus ob murmur opus non deserit. Mal. 3. Exemplū imitandū. Sed, ô Domine, quia Pharisæi murmurant, hoc opus relinques? Absit. *Non est Deus vt homo, vt propterea mutetur.* Tu aliquando Dei viam ingressus, audis murmurantes, & sustinere non potes: Si tu indignè tractatus sustinere non vales? si tibi debitus honor non deferatur, dolore afficeris: qua ratione Deus id sustineat? Sicut ergò Christus, vt peccatores recipiat, omnia sustinuit, etiam mortem: ita vt tu Deum suscipias, omnia sustine, nihil tibi sit difficilè aut arduum.

Parabolæ explicatio de oue perdita. Sed audiamus nunc Christum, quid huic murmurationi respondeat. Exemplo Pastoris quærentes ouem perditam hanc explicat Dei misericordiam. Videturné vobis misericordiæ excessus, quòd peccatores recipiam? Aliam maiorem misericordiam in eos vobis ostendam. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues.* &c. Ouis perdita genus humanum est, quod in primo parente errauit: *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis* Et Isa *Omnes nos quasi oues errauimus; vnusquisque in viam suam declinauit.* Omnes viam cæli dereliquimus, nec ad illam redire possumus viribus nostris: est enim *homo spiritus vadens, & non rediens.* Ouis per seipsam viuere nequit; maximè indiget pastoris cura & industria, vt eam ducat, & reducat in pascua & in caulam. Si fortè errat, nescit in domum vel caulam redire; cùm alia animalia id nôrint. Cætera animantia habent arma, quibus se tueri valeāt, ouis verò secus: si pastor eam non reducit, tueturque, perditam puta. Huiusmodi per omnia homo est. Clamandum ergò nobis est ad Deū, qui nos quærat, & in viam reducat. Sic Dauid. *Errauì sicut ouis, quæ perijt, require seruum tuum: quia mandata tua non sum obli-*

Ezech. 34. Isaiæ 53. Psal. 77. *Ouis natura, & defectus.* Psal. 118.

oblitus:meritò.qui enim clamat, agnoſcit ſe in via erraſſe: ſed qui errorem ſuum non agnoſcit, in via procedit, nec clamat, ſed in peius proficit, & hunc *parauit Deus ad romphæam*, id eſt, ad æternam mortem. Qui ergò errorem agnoſcit ſuum, & clamat, auditur à Deo facilè, qui *venit vt quæreret, & ſaluum faceret, quod perierat*. Et huius rei cauſa reliquit 99. oues in deſerto, id eſt, Angelos: non eos reliquit ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm humanitatem quam induit. Clamoribus verò humani generis commotus venit. Vnde ait. *Propter miſeriam inopum, & gemitū pauperum nunc exurgam dicit Dominus*. Venit verò, vt errantem ouem quærat, ſicut promiſerat: *Ecce ego ipſe requiram oues meas, quæ diſperſæ fuerunt*. Sed quomodo Domine venies? num in Maieſtate? Fugient oues, ſi ſic deſcenderis. Non ita veniam, ſed *viſitabo oues meas, ſicut paſtor viſitat gregem ſuum*. Induam humanā naturam, & ſic me non timebunt oues; non fugient, ſed accedent.

Eccli.26. *Lucæ 19.* *Matth. 9.* *Chriſtus venit miſerijs hominum commotus.* *Pſal. 11.* *Ezech.34.* *Geneſ. 3.* *Exod.19.*

1. Dignum hoc conſideratione & ſtupore eſt, quòd Deus animam quærat tanto ſtudio, vt ad ſe trahat. Mirum eſſet & mundo inauditum, ſi Rex aut Imperator potētiſſimus & ſapientiſſimus abiectiſſimam puellam per 30. annos quæreret: ſed omnem proportionem excedit, quòd Deus quærat vilem & contemptibilem animam, per annos plures eam inſequatur, vt blanditijs in ſui dilectionem trahat. Hinc Iob: *Quid eſt homo quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quid quòd à ſe auerſos ac reſilientes amatoriè ſequitur, ac deprecatur, ne ſe deſerant ij, quos tanta vi amoris inquirit? Quid quod redire differentes benigniſſimus tolerat, blanditijſque demulcet: cumque adhuc procul ſint, qui redeunt, lætus occurrit, & totus totos complexus oſculatur; nec prioris auerſionis culpat, verùm præſenti conuerſione contentus eſt, & diem feſtum agit. Si id cum vili homine feciſſes, non te quæreret: ſed Deus non ſic. verùm ſequitur, rogans, ne ſe deſeras.

Studiū Chriſti in quærendo peccatore. Simile elegantiſſimū. *Iob 7.* *N. ô homo. O dulciſſimè Ieſu quid agis?* *Lucæ 15.* Simile.

2. Sed attende, quanto labore hanc ouem quæſierit perditam per peccatum. Eſt peccatum labyrinthus, in quem ſemel quis ingreſſus, exire ſua induſtria non poteſt; imò amplius & amplius perditur, quò ampliùs in eo procedit niſi à Deo iuuetur. ſicut ouis errans, quo plus ambulat, eò plus aberrat. Niſi igitur à paſtore ouis requiratur redire non poteſt in caulam; ideò vt ouem errantem quærat per

Labor Chriſti in quærendo peccatore. Simile. *Peccatum inextricabilis labyrinthus.*

Simile. vestigia ouis deperditæ graditur; sic per vestigia hominis
Vestigia hominis pœnæ peccatorum. aberrantis Christus hominem quæsiuit. Certè vestigia hominis peccatoris innumeræ pœnæ fuerũt, in quas per peccatum incidit. Per hæc vestigia venit Christus, *qui animam suam dat pro ouibus suis, & pro grege suo mori dignatus est.* Et sicut pastor inueniens ouem inter vepres, illuc ingreditur
Ioan. 10. & 14. 15.
Simile. per spinas & tribulos: sic vt nos eriperet pastor bonus, in spinas se dat tribulationum nostrarum & tribulos miseriarũ, vt nos ab ijs eripiat. En viscera pietatis Christi in nos. Erat vita nostra inferno appropinquans, in mortem venerat ouis: inuenit eam *in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis* è cælo descendens, dedit se in mortẽ, vt nos eriperet. O diuine pastor, quisnam esset pastor, qui ouem errantem sic quæreret?
Deut. 32.

3. *Onus Christi in assumendo peccatore.* Sed quid fecit Pastor noster, postquam inuenit ouem? Assumpsit eam, & portauit in humeris suis: sic Christus ait. *Cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Sed attende Domine; quantum sit onus quod super te tollis! *Arenam, & salem, & massam ferri faciliùs est ferre, quàm hominem imprudentem & fatuum.* Quanta enim Christus toleret nos sustinens, dictu difficilè est. quot negligentias, quot peccata? quis numeret? Mira Dei dignatio.
Eccl. 22.
N. B ô peccator.

4. *Fiducia maxima nobis data.* Deinde cùm ait: *Imponit in humeros suos:* summam nobis fiduciam præstat, vt nihil timeamus, si in humeris Christi deportemur. Pauet Israël videns post tergum Aegyptios, ante se mare, sed eum roborat Moyses, dicens: *Dominus pugnabit pro vobis:* sic peccator terreri solet ac dicere; quomodo iustus esse potero? video post tergum innumera, quæ perpetraui facinora, & coram innumeras viæ Dei difficultates? quis stare poterit, cùm tot sint peccati occasiones, tot praui habitus? Sed si hæc dicens desperas, non agnoscis pastorẽ tuum. An opus hoc tuum est duntaxat, & non potiùs Christi? Christus pugnat pro te: ipse in humeris suis te defert; quid paues? Omnia facilia tibi erunt, Christo tibi auxiliante. Hinc Psal. *Ipse Deus meus, salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.* Fortissima profectò ouis est, quæ in humeris & manibus Christi est; quia *nemo eas rapiet de manu eius* Securus ergò in humeris pastoris tui esse poteris, noli pauere, tantummodò *viriliter age.* Accede ergò, ô peccator, ad Christum, appropinqua ouis perdita. Iam non sunt ei manus duræ vt Mosis, sed lenes
Exemplũ.
Exod 14.
Peccatoris tergiuersatio refellitur.
N. B.
Deut. 32.
Psalm. 61.
Ouis quando fortissima.
Ioan. 10.
2. Tim. 2
Exod. 4. & 17.

& cla-

& clauis transfixæ, non te auersionis præteritæ culpabit, sed excusabit. vt Ioseph cum fratribus fecit. *Genes. 45. 5.*

Sed, Domine, quid quæris amissam ouem? quid tu amisisti? ille amisisse dicitur, cuius est damnum: peccatoris verò damnum est, ille te amisit. Mirus Dei hic amor est, nos sumus qui amisimus, & ille se amisisse dicit; Deus nos quęrit, cùm nos quærere deberemus; & cùm nos inuenerit, diē festum agit, dicens; *Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quam perdideram.* Non dicit, Congratulamini oui, quod manifesta ratione patet; sed, *Congratulamini mihi*. Adeò enim ei curæ sumus, ita negotia nostra sua putat, vt ipsi potiùs congratulandum sit, quàm nobis. Sicut cùm Rex maximum regnum debellauit, dies celebris agitur ob partam victoriam: ita in peccatoris conuersione dies festus in cælis agitur, & Christo congratulantur cælestes ciues. Mira hominis dignitas, quem tanto in pretio Deus habet. *Nos amisimus, et Deus quærit.* *Beda in hoc Euang.* Simile.

Aut quæ mulier habens drachmas 10. si perdiderit drachmam vnam, nónne euertit domum. &c. Hac parabola idem significatur, quod priori. Drachma perdita anima est, quam diuina Sapientia quæsiuit lucerna accensa doctrinæ suæ. Et vt hanc inueniret drachmam, domum euertit. Vis hanc euersionem oculis tuis subijci? Attende signa passionis Christi, vbi commota sunt cælum & terra. Attende deinde cælos commotos lætitia in Christi natiuitate. Mota etiam terra est descriptione totius orbis. Venit Christus in mundum, humiliauit superbos, exaltauit humiles; deiecit Iudæos, erexit Gentes; se humiliauit, exaltauit crucem; idola deiecit, mores hominum mutauit. an non euersum mundum dices? Maximo profectò in pretio coram Deo drachma ista est; pro qua inuenienda, tanta Deū fecisse nouimus. 2. Simul verò ostendit, qua arte nos inuenire poterimus hanc drachmam amissam. Si in peccato es, animam perdidisti. Quærēda ergò à nobis est drachma. Euerte domum. i. Vniuersum hoc, & attende innumera dona ac beneficia, quæ tibi Deus contulit: omnia, quæ in mundo vides Dei in te beneficia sunt. Euerte etiam domum conscientiæ tuæ, considerans vniuersa tua peccata, cum Ezechia dicens, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Alij legunt. *Euerrit domum*, sic enim drachma inueniri solet, euerrendo domum: sic etiam vt *Explicatio parabolæ de drachma perdita.* *Psal. 118.* *Prou. 16.* 1. *Euersio domus qualiter facienda.* *Agg. 2.* *Lucæ 2.* 2. N. B. 3. *Domus quomodo euerrenda.* καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν.

inue-

inuenias animam tuam, euerre domum conscientiæ tuę, cum Psal. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Quid enim est confessio? nisi quædam emundatio domus, qua omnes immunditias colligis, & extra domum mittis. Sicut ergò nunc *erant appropinquantes peccatores*, ita tu accede ad illum Malum peccatoris hoc est, quòd à Deo recessit; bonum illius est, si ad eum accedat. Peccatum est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Conuersio peccatoris efficitur, cùm faciem in Deum conuertit. Vertamus ergò facies nostras in Deum, si ab eo auersæ sunt. Iesu in terra posito, asylum nobis est, & terra refugij, ad quem confugiamus: & ideò *ad eum appropinquabant peccatores.* Sed ais. Ego peccata reliqui, & iustitiæ operibus vaco, nescio tamen, an inuẽtus sim à Christo. Sed hac coniectura id assequi poteris. Si nunc tu Christum quæris, signum est te à Christo quæsitum & inuentum esse.

Psalm. 76.
Confeßio domus conscientiæ emundatio est.
Peccatum est auersio à Deo.
Prou. 18.
Psal. 60.
Signũ quòd à Christo es inuentus.

Ita gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agente, quã super 99 iustis, qui non indigent pœnitentia. Dubium est, cur magis gaudium sit de peccatore conuerso, quàm de iusto. Resp 1. Loquitur Christus non de iustis simpliciter, sed de iniustis Pharisæis, qui sibi iusti videbantur, & *volentes suã iustitiam statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Plus verò gaudij in cælo est de vno peccatore pœnitentiam agente, qui verè iustus iam est, quàm de multis simulatè iustis. 2. si de verè iustis accipiantur hæc verba, maius de peccatore conuerso est gaudium in cælo, quàm de stante iusto: quia plerumque hi, qui se nullis peccatorum molibus oppressos sciunt, stant quidem in via iustitiæ, sed tamen ad cælestem patriam non anhelant; tantoque sibi in rebus licitis vsum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt; & plerunque pigri remanent ad bona præcipua exercenda; quia valdè sibi securi sunt, quòd nulla commiserint mala grauiora. At contra nonnunquam ij, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Sicut Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit Sic agricola plus illam terram diligit, quæ

Gaudiũ cur sit magis de conuerso quã iusto.
1.
Rom. 1.
2.
Greg hom. 34. in Euang.
Luc. 15.
Simile.

quæ post spinas vberes fruges profert; quã eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem produxit. 3. Maius gaudium de peccatore conuerso esse, quia de iustis stantibus non est noua ratio gaudendi; est verò de peccatore, qui ad gratiam redit. Sicut pater de filij desperata salute gaudet plus, quam de aliorum salute, qui infirmati non fuerunt. Simile. 3. Simile.

Sed non est hoc gaudium in solis Angelis, quibus vinum sunt lachrymæ pœnitentis, sed & in Deo ipso. Trinitas enim beatissima lætatur in peccatoris conuersione Lætatur Pater, quia nouum acquirit filium: Filius, quia nouum membrum, in quo transfundat merita sua: Spiritus S. nouum membrum, quod viuificet; nouum templũ quod inhabitet. Deus quidem gaudere non dicitur, quia gaudio illius aliquid addatur: sed gaudere dicitur in peccatoris conuersione, quia hîc summam ostendit bonitatem, vnde hic summè glorificatur. Nam nec in mundi creatione, nec in iusti conseruatione, nec in eius glorificatione ita diuina bonitas ostenditur, vt in peccatoris conuersione; & ideò hoc opus eum lætificare dicitur. Hinc Paul. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quia cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quando mihi dedit vitam, diuinam in me ostendit bonitatem; sed quòd me, postquam in eum peccaui, insequatur, vt ad se ducat, quòd cùm ego proditiones in eum machinor & operor, ille vicissim innumera bona faciat & gratiam conferre velit, hoc planè diuinæ bonitatis est, & summè Deum glorificat. Hinc Psalm. hoc primùm proposuit. *Benedic anima mea Domino &c. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. &c. Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.* Ex parte ergò eius, cui beneficium confertur, summum Dei opus est conuersio peccatoris, in quo bonitas eius præcipuè elucet: & ideo ille de hoc gaudere dicitur præcipuo gaudio. Licet enim maius donum sit innocentia, quàm pœnitentia; maioris tamen bonitatis indicium est peccatori inimico conferre gratiam, quàm amico perseuerantiam in gratia, & ipsam etiam gloriam. Hinc Paulus pluris ducit iustificare peccatorem, quàm glorificare iustum. quia plus est conferre inimico gratiam, quàm amico gloriam. Ideò sic arguit, *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus*

Lachrymæ pœnitentis vinum Angelorum. *Gaudiũ Dei in cõuersione peccatoris.* *Deus quomodo gaudere dicatur.* Rom. 5. *N B quæ sit bonitas Dei in peccatores* *Summũ Dei opus conuersio peccatoris* *Pœnitentia maioris bonitatis indicium, quàm innocentia.* Rom. 5. Rom. 5.

Deo per mortem Filij eius; multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Hinc est, quod beneficentia Dei in peccatores
Psal. 16. maximis encomijs in Scriptura celebratur. Sic Psalm. *Mi-*
Psal. 106. *rifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.* Et ite-
Psal. 102. rum. *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. & suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Ecce
Psal. 35. mirabilia. Et, *Miserator & misericors Dominus, longanimis,*
Ioel. 1. *& multum misericors.* Et iterum: *Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicâsti misericordiam tuam Deus.* Per iumenta eos accipe, qui *computruerunt vt iumenta in stercore suo.*

Difficultas conuersionis in peccatore. Secundò in hoc opere ostenditur præcipuè diuina bonitas propter operis difficultatem. In conuersione verò peccatoris opera interueniunt difficillima, quæ sola diuina bonitas præstare poterat, tum ex parte gratiæ, tum ex parte dispositionis necessariæ ad illam suscipiendam. 1.
Gratiæ impetrandæ difficultas. Ex parte quidem gratiæ; quia vt ea concederetur, necessaria fuit Christi passio & meritum, *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Vbi ne-
Rom 2. cessarius Christi sanguis est, an non opus difficile? Gratia
Gratia peccatori data empta est sanguine Christi. enim, quæ tibi nunc gratis datur, à Christo empta est pretio sanguinis sui. Cùm ergò gratia confertur, manifestatur in cælo Christi meritum & passio, ostenditur medicina peccati: & ideò bonitas Dei infinita ob oculos posita, gaudium nouum cumulat beatis. 2. Ex parte disposi-
Dispositionis necessariæ difficultas. tionis necessariæ peccatoris, vt gratiam suscipiat, difficultas huius operis apparet, quod nullus peccator suis viribus disponi potest ad gratiam, sed à Deo disponendus est.
Ioan 15. quia *nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Non er-
Matth. 11. gò Deo solùm gratiam debemus, sed etiam dispositionem ad illam. Et cùm ad hanc sit necessarius liber consensus, hunc Deus curat: & nos sæpè per annos & tempo-
N. B. ra negamus. Et Deus vnico verbo mundum condidit:
ô dure peccator. multis autem verbis non obtinuit à nobis consensum: sed ei resistim⁹, & morosos nos ei ac difficiles exhibemus.
Prou. 1. Vnde ait, *Vocaui & renuistis.* &c. Et, *Laboraui rogans.* An
Ierem. 15. non tibi durum est, si cum homine vili & agresti ac mo-
Simile. roso agis, qui rationi non assentitur? huiusmodi est pec-
Deut. 32. cator, cum quo Deus agit. *Gens absque consilio & sine prudentia. Generatio incredula.* Deinde dolore afficitur homo, si in
Marc 9.
Simile. puncto amittat, quæ longo tempore lucratus est: multis labo-

laboribus à te obtinuit Deus conuersionem, & acceptâ gratiâ facili occasione omnia proijcis quasi in profundū maris, an non hoc Deo dolorem incuteret, si dolere posset? Nihilominus pro sua infinita bonitate iterum Deus operatur salutem tuam, te sollicitat, ac rogat: an non hæc immensa bonitas?

Angeli verò sancti lætantur etiam, tum propter ea, quæ diximus, tum quia patroni nostri sunt in bello spirituali. Et vt militis patronus gaudet, cùm miles ipsi demādatus reportat victoriā; ita Angeli, cùm nos victores euadimus. *Angelorum gaudium.* Simile.

Lætifica ergò ô peccator Deum & beatos conuersione tua. Deo offer hoc gratissimum, conuersionem tuam. Ingrata multa fecisti Deo tuo sæpiùs; hoc rursus ei exhibe gratū & id facilè præstabis, in corde tuo id perages. Maximos viros nō commouet nisi res magna. Maximum malum planè est peccatum, quod Deum aliquo modo contristare dicitur: maximum verò bonum conuersio tua, quæ Deum & Angelos lætificat. &c. Adhortatio. *Peccatū maximum malum: Conuersio maximū peccatoris bonum.*

DOMINICA III. POST TRINIT. QVAE EST IV. POST PENTECOST.

Ad lectorem.

IN hac Dominica legitur & proponitur, optime Lector, secundùm Colonienſ. & alias diœceses, Euangelium ex cap. 6. Luc. Estote misericordes. quod Ecclesia Romana habet Domin. 1. post Pentec. in Octaua Pentec. seu Dom. Trinit. Hoc author noster non habet Euangelium in suis Concionibus explicatum. Damus autem tibi ex Granatensi & Promptuario Stapletoni, ne Germanis nostris quid deesse videatur.

THEMA: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Luc. 6.

INTER præclara beneficia, quæ liberalissimus Dominus generi humano largitus est, principem *Christus datus in redem-*

ptorē & doctorem iustitiæ. locum obtinet, quòd vnigenitum Filium suum non modò in Redemptorem sed etiam in Doctorem nobis donauit. Hinc Paulus *Nouissimè locutus est nobis in Filio suo.* Mu-
Hebr. 1. nus autem hoc doctoris Saluator noster cumulatè præsti-
Isaiæ 30. tit, sicut ipse ait, *Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna.*
Psalm. 39. Quid enim aliud sacra Euangelia, nisi iustitiam Dei an-
Iustitiæ nomine omnis virtus significatur. nuntiant? Iustitiæ autem nomine virtus omnis & sanctitas more Hebræo significatur. Quia enim ad iustitiam pertinet, vnicuique reddere quod suum est, virtus autem hoc ipsum præstat, ideò non mirum, si iustitiæ nomine
Iustitiæ proprium. virtutem omnem complexus est. In hodierna autem le-
ctione de ea iustitiæ parte Saluator differit, quæ ad com-
De qua iustitiæ parte hic agatur. munem hominum societatem, hoc est, ad proximi dilectionem pertinet. In cuius explicatione commodissimū à misericordia exordium sumpsit. *Estote,* ait, *misericordes,*
Misericordiæ nomine quid comprehendatur. *sicut & pater vester misericors est.* Misericordia aliquando virtutem, aliquando affectum, quandoque verò vtrunque simul comprehendit. Cùm itaque Dominus ad misericordiam nos inuitat, eam intelligit, quæ virtus solū est, vel virtuti hunc benignitatis affectum habet adiunctum.
Stapl. Quot ergò modis & rationibus Deus se erga nos misericordem præbet, tot omninò modis, vt ergà proximos
Misericordia Dei erga nos. benigni simus ac misericordes, Christus iubet. Deus autem ergà nos misericors est exspectando emendationem,
1. 2. recipiendo in gratiam, condonando peccata, largiendo
3. beneficia. Idem & nobis ergà proximum est faciendum. Hæc tria misericordiæ genera in hoc Euangelio proponuntur, & præcipiuntur, vt in illis Dei erga nos misericor-
Necessitas misericordiæ. diam imitemur, & imitando consequamur. Ac de tribus illis sigillatim posteà dicetur. Nunc de ipsa imitationis necessitate, conuenientia, & vtilitate aliquid in genere di-
Lucæ 6. e. cendum.
Matth. 7. b. Primò Naturæ principium est, *Quod tibi non vis fieri, al-*
Patitur legē quam quisq; tulit. *teri ne facias.* Et, *prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ex hoc principio fluxit, quod Christus hic dicit: *Eadem mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis.* Patere le-
Iac. 2. gem, quàm ipse tuleris. *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui*
Psal. 108. *non fecit misericordiam. Noluit benedictionem & elongabitur*
1. Reg. 15. *ab eo.* Sic Samuel pingui Agag Amalechitarum Regi: *Sicut*
Exemplū. *fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis inter*
Sap. 11. *mulieres erit mater tua. Per quæ quis peccat, per eadem punitur.*
Hinc

Hinc Adonibezech Rex Chananæorum; *ficut feci, ita reddidit mihi Deus.* Innumera ſunt huius iuſtitiæ & menſuræ diuinæ exempla, obſeruatu digna, vt erga proximos miſericordes eſſe, & crudelitatem fugere diſcamus. Dauid moriens Salomoni filio hoc mandatum dedit: *Noſti, quid fecit Ioab, qui effudit ſanguinem belli in pace, & poſuit cruorem balthei ſui in prælio. Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Quare poſteà apprehendens cornu altaris occiditur; *& reddidit Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius.* id eſt, crudelitatem crudelitate compenſauit. Sed in hoc genere illuſtre admodum eſt, crudelitatis & immiſericordiæ authores eiuſdem pœnas primos tuliſſe. Aman ſuſpenditur in trabe, quam Mardochæo parauerat. Perillus, qui taurum æneum fabricauit, vt Phalaridi Siculo tyranno crudeliſſimo, gratificaretur, *Senſit opus, docuitque ſuum mugire iuuencum* Quæ omnia nos docent, quàm ſit neceſſarium, vt ſimus ergà nos mutuò *miſericordes ſicut Pater noſter Deus ergà nos miſericors eſt.*

[Margin: Exemplū. Iudic. 1. — Exemplū. 3. Reg 2. — Exemplū. — Exemplū. Claudian. & Ouid. de triſt lib. 5. & in Ibin.]

2. Hoc etiam congruens eſt atque conueniens. Decet filios Patri aſſimilari. Aliter inſtituitur filius Regis, aliter Paſtoris. Ille formatur vt mores paternæ dignitati conuenientes induat; hic non inſtituitur niſi ad pecora paſcenda. Si Deum Patrem vocamus, & filij eius eſſe volumus, mores diuinæ Maieſtati conuenientes, vt filij nobiliter inſtituti, induere oportet. At nihil diuinæ Maieſtati conuenientiùs quàm bonitas, clementia, manſuetudo, miſericordia, qua *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, & abſque vlla perſonarum reſpectione, & ſine vllo emolumento aut ſpe fructus percipiendi liberalis & munificus in omnes eſt. Hinc orat Eccleſia, *Deus cui proprium eſt miſereri & parcere.* Et, *Miſericordia Domini plena eſt terra* Imò, *Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes.* Vnde Moyſes exclamat, *Dominator Domine Deus, miſericors & patiens, & multæ miſerationis.* In hac ergò miſericordia Deum patrem referre debemus. Quare non iubet nos Chriſtus eſſe potētes, eſſe ſapiētes, eſſe miraculorum operatores, ſicut Deus Pater noſter eſt: ſed tantùm, *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Diabolus voluit in potentia Deo aſſimilari, cùm ait, *Aſcendam in cælum, ſimilis ero Altiſsimo;* & hominē decepit affectata ſapientia Dei; *Eritis,* inquit *ſicut Dij, ſcientes be-*

[Margin: Miſericordiæ præſtandæ conueniētia. — Simile. — Deo nil conuenientiùs quàm bonitas. — Matth. 5. — Pſalm. 52. — Pſal. 35. — Exod. 34. — N. B. — In ſola bonitate Deo ſimiles eſſe debemus. — Iſaiæ 14. — Geneſ. 3.]

tes bonum & malum. At Christus in sola misericordia, bonitate, clementia, vult nos Patri nostro similes esse. Sic & *Matth. 11.* seipsum nobis imitandum proponit. *Discite à me, quia* *Aug. de ver. Dom. ser. 10.* *mitis sum & humilis corde.* Non dicit, discite mundum fabricare, non cũcta visibilia & inuisibilia creare, sed *quia mitis sum* &c. Non ergò *in magnis & mirabilibus super nos*, sed in misericordia, mansuetudine, humilitate Deo patri similes nos esse cõuenit, vt eum in facie repræsentemus. Magna ergò huius præcepti tum necessitas, tum congruentia.

Vtilitas misericordiæ. 3. Vide nunc quanta sit eius vtilitas: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Qui ergò misericordes *Matth. 5.* sunt ergà proximum, ad Dei in se misericordiam ius habent. *Eccli. 4.* *Esto misericors pupillis, vt pater, & pro viro matri illorũ, N.B.* *& eris tu velut filius Altißimi obediens, et miserebitur tui magis* *Psal. 142.* *quàm mater.* Agè ergò, vis, vt rationem vitæ tuæ Dominus exigat in iustitia, an in misericordia? Nosti vocem sancti Prophetæ? *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustifi-* *A minori ad maius.* *cabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Si sic sanctus, quantò magis tu peccatorum sarcina oppressus, iudicij rigorem formidabis: Sis ergò misericors, vt misericordiã inuenias. *Gran.* *Mensuram bonam* i. iustam; *& confertam.* i. pressam; *& coagitatam.* i. benè concussam; *& supereffluentem dabunt in sinum* *Simile.* *vestrum* Vt enim emptor suprà hanc mensuram nihil habet, quod desiderari possit: ita misericordiæ prçmium tale erit, vt vir misericors nihil amplius optare queat, quàm quòd sibi à misericordiæ parente præstandum erit. Quin *Eccl. 17.* *misericordia viri, quasi sacculus cum ipso, gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & posteà resurget, & retribuet illis retributionem.* Sacculi nomine significare voluit pios homines, qui ea secum post mortem velut in sacculo deferunt in cælum, quæ indigentibus ex misericordia largiti sunt. Hæc de misericordia ergà proximos in genere: nunc ad ipsas species in Euangelio propositas.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & *Iudicium & condemnatio quomodo prohibita.* *non condemnabimini* Altera iustitiæ erga proximum pars est, quæ omne prohibet nocumentum, non modò quod lingua & manu, sed etiam quod animo inferri potest. Sequitur enim. *Nolite iudicare.* &c Quibus verbis prohibet o- *Iudicium triplex prohibitum.* mne iudicium, omnemq́; condemnationem, quæ contra charitatem fit & absq; misericordia. Huiusmodi aũt iudicium triplex est; temerarium, vsurpatum, & hypocriticũ.

De hypocritio iudicio infrà Christus multa dicit: quare de illo seorsim dicendi locus erit. Nunc de temerario & vsurpato. Non enim excludit hic Dominus vel iudiciũ discretionis, ꝙ in manifesto proximi malo, & vbi signa peccati sunt euidentia, exercetur; vel iudiciũ legitimæ authoritatis, quod secundùm formam iuris vel diuini vel humani instituitur. Si verò iudicia cum odio proximi, vel libidine reprehendendi, & cum fastu exercentur, ad hanc Christi prohibitionem pertinent, & misericordiæ charitatique ergà proximos maximè contraria sunt. Sed extra legitimam authoritatem & manifestã veritatem delicti, omne nostrum de proximis iudicium, omnis proximi nostri condemnatio, est actus temerarius & vsurpatus, id- *Aug.*
eoque contra charitatem & misericordiam. Illa enim, quę ignoramus, vtrum bono an malo animo fiant, iudicare penitus non debemus; sed candido animo esse iubemur, nihil malignè, nihil in sinistram partem interpretantes. *Iudicium temerarium.*

Temerariũ igitur iudicium est, quod ex leui coniectura leuibusq; signis colligitur. Hoc appellat Scriptura secun- *Ioan. 7.*
dùm faciem iudicare. *Nolite*, inquit Christus, *secundùm faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate*. Secundùm faciẽ iudicat, qui factum solùm externum per se cõsiderat absque suis circunstantijs, quę facti speciem mutare possunt; absq; intentione facientis, q̃ honestissima esse potest, quãdo in facto erratur; absq; fine, propter quẽ factum fuit; deniq; absq; facti ipsius causa; postremò non habita tẽporis, loci, personæ cõsideratione. *Quid sit secundùm faciẽ iudicare.* Secundũ faciẽ iudicat quoq;, qui quod in vno probat, in altero improbat; vt Pharisæi, *Ioan. 7.*
qui circuncisionem in sabbatho probabant; hominem totum in Sabbatho à Christo sanari improbabãt. Totũ hoc iudicium temerarium est, & à pessima malitiæ radice profectũ. Præcipiebat Deus, vt 7. diebus leprosus clauderetur. *Leuit. 13.*
Non permisit facilè sacerdotem de lepra iudicare, sed su- Typus.
pendi voluit iudiciũ septẽ diebus: multò minùs vult nos, qui authoritate probãdi lepras, i. peccata aliorũ, caremus, de aliorum interna malitia, quæ non ita videri potest, vt lepra, statim & temerè ad iudicandum prosilire. *Malus cæteros malos indicat.* Dici solet, Mala mẽs malus animus; ideò mali omnes sibi similes es- *Tit. 1.*
se iudicant. *Charitas nil mali cogitat.* *1. Cor. 13.* Hinc Sap. *In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, cæteros putat insanire*. *Eccli. 10.* Vagao cubiculariũs Holophernis cùm ipse carnalis esset, putat Exemplũ.

 Holo-

Iudith 13. Holophernem in longum manè cum Iudith libidinari.
Simile Sicut quibus domi nullum est negotium, in foro obam-
Plutarch. in bulant: ita qui in exploranda vita sua negligentes sunt, in
Polit. aliena iudicãda curiosi sunt. At qui seipsum nouit, fratrũ
vitia nõ aspicit. Appositè August. Non iudicat personali-
ter, qui diligit æqualiter. Vbi charitas & misericordia habi
Iudicij teme tant, ibi frater non iudicatur temerariè. Sed quodnam hu-
rarij reme- ius temerarij iudicij remedium? Si defectum in fratre vi-
dia. des, cogita sub illo defectu multas latere virtutes, aliaque
1. opera bona. Memineris quoque defectus proprios, &
Stella de cõt. quòd grauioribus fortè peccatis ipse obnoxius es. Rursũ
mund. p. 3. & illud perpende, quòd qui nunc grauiter tibi lapsus vide-
c. 24. tur, subitò in alium virum mutari possit. Si actionem ip-
2. 3. sam excusare non potes, excusa intentionem; aut ex igno-
4. 5. rantia fecisse existima: aut persuade tibi grauissima aliqua
6. tentatione victum fuisse, quæ si te aggressa fuisset, non se-
Bern. ser. 40. cus te oppressisset. Id monet Apost. *Fratres, si præoccupatus*
super Cant. *fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi*
Galat. 6. *instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tente-*
7. *ris.* Postremò vide, *ne in quo alium iudicas teipsum condemnes.*
Rom. 2. Atque hæc de temerario iudicio: nunc de vsurpato di-
Iudicium v- cendum. Qui iudicat fratrem absque legitima authorita-
surpatum. te & manifesta veritate, vsurpat temerè & arrogãter, quod
Rom. 4. ad eum non pertinet. Sic Apost. *Tu quid iudicas alienum ser-*
uum? Domino suo stat aut cadit. Et. *Tu quid iudicas fratrem tuũ?*
nempè non iudex eius es, sed frater: ad Deum, non ad te,
Rom 9. pertinet eius iudicium. *Vnusquisq; nostrum pro se rationẽ red-*
Hebr. 9. *det Deo. Non ergò ampliùs inuicem iudicemus; sed hoc iudicate*
Ioan. 5. *magis, ne ponatis offendiculũ fratri vel scandalum;* i. tua potiùs
Iudicij vsur- vestigia considera, ne offendas ipse, alteriq; scandalũ præ-
pati remedi- beas. Hoc enim qui facit, & diuinũ iudicium exspectat, in
um. quo suorum operũ omniũ rationẽ reddet, profectò satis
habebit domi quod agat suæ. Omnes hodiè volunt aliorũ
Peruersitas infirmitates curare, nemo suas. Omnes volunt in corpore
hominum in Ecclesiæ oculi esse, nõ manus. Oculi cũ cætera omnia vi-
vsurpando deant, seipsos non vident. Tales oculi esse volũt, qui ad eũ
iudicio. locum non vocati, hoc sibi officium vsurpant: sed manus
esse, manum bono operi admouere pauci volunt. Sic alie-
nos labores celeriter carpunt, qui nihil ipsi laborant. Hinc
1. Cor. 4. Paulus: *Qui iudicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus*
iudicare, quoadusque Dominus veniat, qui & illuminabit
ab∫con-

abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Duas ponit cauſas vſurpati iudicij. Vna eſt, quia præuenitur tẽpus, quod eſt extremũ iudicium. Altera eſt, quia ſolius Dei eſt illuminare abſcõdita tenebrarum. Qui ergò circa interna, circa intentionem, circa finem actus iudicat, Dei ſibi partes & iudicium vſurpat, quod eſt ſcelus horrendum. Vnde S. Aug. Noluit Deus hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio ſed potiùs ex lege Dei ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſiue vltrò confeſſum, ſiue accuſatum atq; conuictum. Hoc totum Chriſtus dicere voluit in illis verbis, *Nolite iudicare; nolite condemnare*.

Vſurpati iudicij duæ cauſæ. 1. 2. *N. B.* *S. Aug. hom. 50 ex 50.*

Sed quid mercedis vel gratiæ adiungit? Ait: Et non *iudicabimini, & non condemnabimini*. id eſt; Si nihil in fratres temerè iudicando ſtatueritis, ſi miſericordiæ & charitatis leges erga fratres ſeruaueritis, vos quoq; à Deo miſericordiam inuenietis, mitius iudicium, minorem condẽnationem accipietis. Quod apud Matth. clariùs dicit. *Nolite iudicare, vt non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis*. Si menſura, qua alios iudicatis eſt charitas, miſericordia; menſura quoq; eadem erit charitas, miſericordia. Si autem menſura veſtra rigor eſt, aſperitas, talis erit Dei menſura, cùm vos iudicat. Qui erga fratres mites fuerunt, illos ſaluabit Dominus, *coronans eos in miſericordia & miſerationibus*.

Præmium non iudicandi aut non condemnandi. *Matth. 7.*

Dimitte & dimittemini. Docet Chriſtus condonandas eſſe proximo iniurias. Hanc poſuit legem, non tam æquitate plenam, quàm miſericordiâ; vt ſi fratribus noſtris dimittimus, ille nobis dimittat. Aequum ſanè eſt vt nobis inuicem condonemus, quia fratres ſumus: ſed miſericordia Dei magna eſt nobis propterea ignoſcere, quia quod æquitas poſtulat, nos fratribus præſtamus. Multò igitur ęquiùs eſt, vt homo homini, quam vt Deus homini parcat. Rurſum tu remittis, cũ ipſe remiſſione indigeas. Quis enim eſt, qui non peccet? Deinde tu quantacunque tandem alijs remittis, maiora habes, quæ tibi Deus ignoſcat. Poſtremò tu conſeruo, Deus ſeruo ignoſcit. Hinc Paul. *Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis*. Et tamen huic tam neceſſariæ æquitati hoc maximum præmium Deus retribuit, *nu-*

Condonandæ ſunt iniuriæ proximo. *Aequitas cõdonationis.* 1. *N.* 2. *Aug. enar. in Pſalm. 54.* 3. 4. *Eph 4.* *Præmium condonationis.*

Exēplum Euangelicum. tribuit, vt si fratribus ignoscimus, ille nobis ignoscat. Nēpe vt nostra inclementia luculentiùs appareat, & si perimus, per nos ipsos pereamus; si peccatorum veniam non
Chrys. ho de En. cæn. & ho 1. in ep. ad Phil. consequimur, id nostra culpa fiat, non Dei inclementia. Sic Christus. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergò oportuit & te misereri conserui tui?* Hoc pacto inter Deum & nos, nihil faciliùs, nihil vtiliùs,
2. nihil iucundiùs. Quid n. faciliùs quã 10. dare, vt 1000. ac-
Greg. lib. 10. Mor. in Iob c. 18. cipias? Quisvnquã inter homines remittens cõseruo modicũ, propterea à domino suo totius debiti remissum obtinuit. At hoc quotidiè hîc tibi datur. Deus enim noster
Simile. *diues est in misericordia & miserationibus.* Quid salubriùs,
3. quàm omnẽ animo malitiã depellere? quid magis necessa-
Condonandi iucunditas. riũ, cũ Saluator dicat: *Nisi remiseritis hominibus peccata eorũ, nec Pater vester, qui in cælis est, remittet vobis* Quid iucundi-
Chrys. ho. 20. in Matth. ùs, quàm in perpetua pace viuere? Potuit sanè Deus absq; hac mutua & reciproca proximi tui cõdonatione tibi o-
4. mnia peccata cõdonare, vult tamẽ beneficia etiam per ista
Condonationis necessitas. media cõferre. Quare? mille tibi videlicet occasiones præbẽs mansuetudinis ac pietatis, & hoc quod in te belluinum est depellens, & irã, qua flagras, extinguens, & vndiq; quasi
5. tibi teipsum reconcilians & cõiungens. Quid quod & hoc
Condonandi vtilitas. pacto cõdonandi ad maximam nos fiduciã excitauit? Nã quanta spes veniæ est, cùm ipse Iudex non tam expectat,
Cypr. in exp. orat. domini. qua ratione à supplicio liberemur, quàm ipse nos modũ ac viam docet, vnde id efficiamus. Sed & illud quoq; in
N.B. ô liuide homo. hac conditione tenendum, vt ex animo fiat remissio, & proximi condonatio. Sic Christus post parabolam serui,
Condonandũ est ex animo. Matth. 18 qui conseruo non pepercit, infert. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.* Nunquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum, vt
Chrys. de cõcord. lib 1. non quidem te lædat, auertat se tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Quod si
N.B obstinatè homo. Eccl. 28. hoc non vis, memineris quid Scriptura dicat: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?* Pa-
Pactum Iudicis nobiscũ. ctum enim iam Iudex viuorum & mortuorum instituit, vt si dimittimus alijs in nos peccantibus delicta eorum de
Eccl. 3. cordibus nostris, Pater quoq; noster cælestis nobis nostra
O benignissime Iesu. dimittet. Vnde Sap. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi soluentur peccata tua.* Sic in manibus tuis suam misericordiam Deus posuit.

Dat

Date & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum. Vix vlla virtus maiorem in tota Scriptura mercedem repromissam habet, quàm eleëmosyna. Et hic Christus verbis exquisitissimis huius mercedis amplitudinem exprimere voluit. Docet enim in omni genere Eleëmosynæ plenissimam fore retributionem; quæ etiam in suo genere superabundabit; quia & *in hac vita omnia potest Deus facere superabundanter, quàm petimus*: & in altera vita supra condignum remunerat. *Non enim sunt condignæ paßiones huius temporis* &c. imò suprà id quod cogitari, desiderari, vel optari potest. Neque enim *vel oculus vidit, vel auris audiuit quæ præparauit Deus diligentibus se*. Mensura bona fortunæ bona, mensura conferta naturæ bona, mensura coagitata gratiæ bona, mensura superefluens gloriæ æternæ bona eleëmosynarijs reddenda denotat. Temporalem retributionem docet Sap. *De primitijs frugum tuarum da pauperibus, & replebuntur horrea tua saturitate*. Exemplo est Vidua Sareptana dum se sua paupertate Eliam pascit, *hydria farinæ non defecit, nec lechytus olei minuitur*. Retributionem eleëmosynæ spiritualem etiam in hac vita docet Sap. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Daniel impio Regi dicit. *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Christus quoque. *Veruntamen quod superest date eleemosynam; & ecce omnia* munda sunt vobis. *Nam sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna peccatum. Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Et Isa. *Frange esurienti panem tuum, &c Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te*. In futura etiam vita eleëmosynis merces à Deo reponitur, quod Christus apertè demonstrat. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neq; ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur* Et, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Hoc apertissimè in forma extremi iudicij docetur. *Tunc dicet Rex ijs, qui à dextris sunt. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*. & cætera. Facienda autem est eleëmosyna in vita potissimum. Nam qui eleëmosynam

Eleemosynæ virtus & merces.

2.Cor.9. Ephes.3. Rom.8. 1.Cor.2.

Eleemosynæ merces temporalis. Prou.3. Exēplum. 3.Reg.17.

Eleemosynæ spiritualis merces. Dan.4. Exēplum. Luc.11. Eccl.3. Prou.15. Isa.58.

Eleemosynæ retributio æterna. Matth.6. Luc.16. Matth.25.

Eleemosynæ faciendæ tēpus præsens est vita.

Simile. non facit nisi post mortem, similis est homini portanti lumen post tergum; aut ardētem fornacem ingredienti, & aquæ refrigerium posteà adhibendam expectanti: sed qui viuens eleēmosynam facit, *anteibit eum iustitia eius*, & *recipiet eum in æterna tabernacula*. His ergò modis verum est, quod Christus dixit, *Date, & dabitur vobis*. dabitur merces, tum temporalis, tum spiritualis in hac vita, & merces æterna in altera vita.

Isa 58. *Luc*. 16.

Dicebat autem illis similitudinem: quò magis hæc animis infigeret suorum. *Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt*? Omnis homo cæcus est, qui vias Dei ignorat & iustificationes eius; & qui secundum sensum carnis non spiritus incedit; & se ingerit, vt præstet alteri ducatum, ac se alterius præstet magistrum. Purus sit ille oportet ab omni crimine, qui velit alteri præire. *Non est discipulus suprà magistrum*. Quomodo docebit alium, qui ipse tenetur errore? Si contra violentum ira te cæcauerit, si contra petentem auarus eris, nunquid vitiata mente tua alium curare poteris? Nec solùm, qui tibi iniuriam fecit, sed & tu, qui ferre non potes, reus eris. Sed si improbitas illius tranquillum te inuenit, & ille pœnitebit, & tu de patientia coronaberis; quia cæcum videre oculo, i. sereno corde ad lumen ducere curasti. Sed dùrum est perpeti quorundam malitiam obstinatam? *Non est discipulus super magistrū. Magister vester vnus est Christus*, qui iniurias vsq; ad mortem patienter tulit. *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius*. Non enim par est potiorem esse conditionem discipuli quàm magistri; satis erit perfectus, si magistro æquetur. Quasi ergò discipulus suprà magistrum erigitur, cùm Christianus quis iniurias audire dedignatur, seq; suis viribus vlcisci conatur. Deus suas non vlciscitur iniurias, sed tolerando persecutores mitiores reddere voluit: discipuli hanc regulam perfectionis debent imitari.

Parabolarū de cæco cæcū ducente, & discipulo suprà magistrū non efferendo explicatio.
Exemplū.
Malitiam pati durum nō est.
Matth 23.
Exemplū.
Discipulus quādo suprà magistrum.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in tuo oculo non vides? Christus nunc iudicium hypocriticum multis verbis taxat, arguit, condēnat. Huc enim pertinent omnia huius Euāgelij verba, post Eleēmosinæ commēdationem à Christo prolata. *Cæcus cæcum nō potest ducere*. quia cuius oculus, id est, intētio & affectio cordis, *trabe*, id est, odio, aut quauis passione mala impeditus est, ille,

Iudicium hypocriticum.
1. *Oculus.*
Trabs.

ille *cæcum*, id eſt, aberrantem in aliquo, aut peccantem, ducere & corrigere non poteſt; ſed *ambo in foueam cadunt.* ambo in peccato ſuo manent: ille quia odio laborat, hic quia per vocẽ hypocritæ non emendatur, ſed magis vel irritatur, vel in malo ſuo cõfirmatur, vt dicat, *Medice, cura teipſum.* Sic Phariſæos vocat Chriſtus cæcos duces, quia diſcipulos eius in paruis reprehendebant, cũ ipſi maiorã peccâſſent. *Duces cæci, excolãtes culicem & camelum glutiẽtes.* Rurſum ad hoc hypocriticũ iudiciũ pertinet, quod Chriſtus hîc dicit: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* &c. Qui alium reprehendit, magiſtri ſibi officium vſurpat. Quod ſi ergò cæcus magiſter erit, cæcus quoq; diſcipulus erit. Si tu iudicas ac reprehẽdis alios, vel ex odio, vel iiſdem, aut etiam grauioribus vitijs laborans, noli expectare vt quicquam reprehendo proficias. *Non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Deinde *quid vides feſtucam*, id eſt leue peccatum, *in oculo* in actione vel intentione potiùs *fratris tui.* Nam hypocritæ ſæpè actionem per ſe bonam, ex mala tamen intentione volunt arguere & condemnare: *trabem autem, quæ in oculo tuo eſt*, id eſt, animi tui odium & maleuolentiam, peccata tua grauiora, *non conſideras?* Sic præcedentia omnia huc pertinent. Si tua leuia aliorum grauia æſtimas, verè cæcus es, hypocrita es. Cur iniquum te iudicem præbes proximo, ipſe grauioribus malis óbnoxius? Cur in aliorum vitijs tam oculatus es, cùm ad tua ipſius mala cæcutias? *Oculus* eſt intentio cordis. *Feſtuca* eſt ira ſubita, aut leue peccatum. *Trabs* eſt ſuperbia, iactantia, arrogantia, ira inueterata, odium, inter quod & homicidium nihil intereſt. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Si teipſum igitur conſiderares, non proximum, ſed te primùm corrigeres. Vnde Chriſtus concludit, vt ſequitur; *Hypocrita*, audi ſimulator iuſtitiæ, qui hinc tibi venari iuſtitiæ opinionem conaris, ſi ad tua errata conniuens in aliorum humanos lapſus ſeueriſſimè debaccheris; ſi verè vis eſſe iuſtus, *eijce primùm trabem*, inuidiam, ſuperbiam, malitiam, odium, *de oculo tuo*, depone, & corrige prius peccata tua grauia; *& tunc perſpicies*, mundato oculo cordis tui, *vt educas feſtucam* iræ ſubitæ, vel leuioris alicuius culpæ, *de oculo fratris tui.* Conſiderandum ergò quantæ ſit difficultatis, alios iudicare; quia oportet ſeipſos conſpiciant, & emen

Fouea.
Luc. 4.
Matth 12. & 15. & 23. 2.
Diſcipulus. Magiſter.
Feſtuca.
Cæcus hypocrita.
N.B.
1 Ioan. 3.
Remedium hypocritici iudicij.
Peccata propria prius profliganda.
Carere debet omni vitio, qui in alijs paratus eſt dicere.
Difficillimũ eſt alios iudicare.
Baſil.

Sacculus è cælo descendit: Nosce te ipsum. emendent; quod est omnium grauissimum: quia cùm oculus videat omnia exteriora, tamen super se visum non vertit: ita & intellectus, cùm alienum velociter corrigat peccatum, lentus est proprios percipere defectus. Simile. *1. Cor. 13.* Charitas autem oculatissima est virtutibus, in peccatis aliorum iudicandis cæca.

DOMINICA QVARTA POST TRINITATEM.

THEMA: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Luc. 5.

Christus Piscator. PROPONITVR hodiè nobis Christus Dominus piscator piscium & hominum: quo in munere, sicut in alijs, Maria inter puras creaturas primatum tenuit. Cùm enim Verbum diuinum versaretur in pelago illo immenso paterni pectoris, & mundus eo pisce maximè indigeret; (vt ostensum est in Tobię pisce, cuius visceribus dæmō pulsus est, & felle cęcitas curata) *Tob. 6.* Typus. *Luc. 1.* Maria esca humilitatis proposita, dicens, *Ecce ancilla Domini*, illum exire fecit à Patre, & in mundum venire. Quę verò illum oratione sua de cælis in terrā traxit, poterit etiam in mentes nostras deducere: illud vt faciat, oremus. Aue Ma.

Piscatoris et prædicatoris conueniētia. Duo hæc munera piscatoris & prædicatoris valdè inter se conueniunt, voce & re ipsa. Hodie Christus dominus piscatorem se exhibet animarum, & plures efficit piscatores, qui ei adiutores sint in hoc munere. Videamus nunc mare, pisces, & piscatores. An non *Mundus mare.* mundus iste mare est? Sicut mare salsum est, procellis agitatum, periculis plenum, syrtibus & scopulis abundans, in quibus plærique miserè pereunt: ita in hoc Simile. mundo quid videas nisi amaritudines, tentationes, pericula vbique, in quibus cùm animæ tum corpora pe- *Pisces homines.* reunt? Pisces maris huius homines sunt. Et ideò quemadmodum pisces in mari summa celeritate ac diligen- 1. Simile. tia huc illucque discurrunt, quasi negotia maxima tractarent; cùm tamen nihil negotij illis sit: sic videas homines *N. B.* in hoc mundo versantes, adeò in temporalibus sollicitos, per vniuersum mundum discurrentes lucri causa, ac *Hominum vana studia.* si æterna illa essent ac vera bona; cum tamen nihil sint.

Hinc Sap. *Peccatori dedit afflictionem & curam superfluam, vt addat & congreget*. Deinde sicut pisces maris inuicem se deglutiunt, præcipuè verò maiores pisces minores deuorant; ita diuites & potentes huius seculi pauperes & minores opprimunt. Hinc Iac. *Nónne diuites per potentiam opprimunt vos?* Et Proph. *Et taces deuorante impio iustiorem se?* Et facies hominis, quasi pisces maris. Eccli 2. & 5. 2. Simile. Iac. 2. Abac. 1.

In hoc mari dæmon olim præcipuè, & nunc magna ex parte piscatur homines: quia *fur est, qui venit, vt mactet & perdat*. Innumeros verò capit homines, dulci voluptatis esca proposita, non attendentes hamum latentem damnationis æternæ. Innumeris quoque fallendi artibus vtitur. inter quas vna est, qua se versutum ostendit piscatorem. Sicut enim astutus piscator cùm hamo cepit piscem grandem, non statim vi extrahit in terram, sed largam chordam concedit; sic enim hamum deglutit, & lassatur, vt facile in terram trahi possit: sic dæmon, *callidissimus super omnia animantia terræ*, hamo voluptatis aut gloriolæ vanæ te capit, & in graue peccatum impellit; quo admisso te tenet: sed ne ab eo discedas, aliqua bona opera agere concedit, non vt te dimittat, sed vt securiùs teneat. Sic Herodem tenebat per adulterium, permittit tamen vt *Ioannem audiat, & eo audito multa faciat*: sed tandem impulit, vt Ioannem occideret, & ipse inæternum periret. Dæmon piscatur, vt perdat. Ioan. 10. Esca dæmonis, voluptas. Versutia dæmonis. Simile. Genes. 3. Nota astutiã, & caue. Marc. 6. Exemplũ.

Inimici huius astutias nullus enumerare valet. *Astutias illius, quis cognouit?* Hac esca voluptatis & his astutijs vniuersum penè genus hominum capiebat olim. Hinc Psaltes. *Cadent in retiaculo eius peccatores*. Et Sap. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo*. Tempus malum dicit tempus tentationis. sic Paul. *Accipite armaturam Dei, vt possitis stare in die malo*. Dæmon ergò homines piscatur in ipsorum interitum, & vt in mortem ducat sempiternam. Eccli 1. Psalm 140. Eccl 9. Eph. 6.

Misertus dominus vicem piscium horũ, misit Filium suum, vt homines piscaretur, nõ in pisciũ interitum, sed vitam: *Ego veni*, ait ipse, *vt vitam habeant, & vt abundantius habeant*, vt relicta sensuali vita cælestem viuant. Piscis & piscator factus est, dum homo dignatus est fieri, & vt hunc piscem caperet, *accessit ad eum tentator*. Sed demoni accidit Piscatores. Ioan. 10. Christus piscis et piscator. Exemplũ hieroglyphicum.

Pierius l.30. accidit cum Christo, quod piscatoribus cum pisce, qui Torpedo dicitur apud Ægyptios, is in reti aliquo captus cum alijs piscibus per fila retis venenum mittit, quo torpere facit manus piscatoris, vt reliqui pisces liberi euadant: sic cùm Christum cum reliquis hominibus capere voluit, omnes nos eius virtute liberati sumus; vt ei dica-

Psal.115. mus: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam*

Esca Christi suauißima, virtus & beneficia eius, & æternorũ promißio. *laudis*. Piscator verò hominum factus est, dum eos ad se traxit; nec ei deesse esca potest, multò suauior ea, quam dæmon proponit, hæc verò est delectatio virtutis. Esca etiã eius sunt innumera ipsius beneficia; quibus nos ad se allicit; esca est promissio æternorum bonorum.

Simile. *N. B.* *Amb.lib.5. hexamer ca. 6.* *Matth.13.* *2.Reg.13.* *Simile.* *N. B.* *Apoc.17.* *Sap.16.* Sed quis piscium, si ratione vtitur, piscari se permittet ab eo, qui necem ei machinatur æternam; & eum fugiet, qui vitam donat, sine fine mansuram? Quem præeligis, ô miser peccator? quem sequeris? dæmonem an Deum? An non intelligis, dæmonem tibi eam escam proponere, quã piscator pisci, vt eum interimat? An non hoc est conuiuium Absalonis, in quo interfecit Amnon? Estne homo adeò demens, qui audiat, Cibus hic veneno infectus est; & nihilominus illum sumat, & manducet? An non *calix meretricis plenus est abominatione, veneno, fornicatione*? Vis absconditam in eo mortem manifestè videre? Audi Sap. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Nescis, ô stulte, quòd de periculo animæ tuæ agitur? nescis viam delectationis, viam esse inferi?

Extra Ecclesiam non est salus. *Homines verbo Dei capiuntur.* *Latens vis verbi diuini.* *Simile.* *Heb.4.* *Isa.55.* *Ioan.1.* *Heb.1.* *Ezech.34.* Vt ergò piscatoris munus Christus impleat, *Ascendit in nauim Simonis, & rogauit eum à terra reducere pusillum*. Hæc nauis Ecclesia ẽst, in qua Christus docet; extra quam nec salus, nec salutis doctrina est. Doctrina verò & verbo Dei homines capiuntur. Maxima est enim diuini verbi vis, quo hominum corda mutantur. Latentem vim habet potentissimam, vt nouos homines in Dei filios regeneret. Et ideò dictum est à Christo *semen*. Quia sicut semen non est quid mortuum, sed viuum, efficaxq; vt producat fruges: ita Dei verbum non est res emortua, sed vim continet diuinam, vt fructum referat. Et sicut nomine assimilatur Christo, qui *Verbum est* Patris, ita vi atque potentia. Hinc Psal. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Est verbum Dei in Ecclesia, quod lignum vitę in Paradiso. Lignum hoc promiserat Deus per Ezech. *Et suscitabo eis germen nominatum, & non*

& non vltra imminuti fame in terra, nec portabunt vltra opprobrium gentium. Quodnam germen nominatum, nisi lignum vitæ? quis est cibus animarum, nisi Dei verbum? quod etiam opprobrium gentium, nisi ignorantia; à qua Dei verbo liberamur? Præcipuè tamen hoc verbum in Christi ore vim habuit. Eius verbo audito Apostoli omnia reliquerunt, Matthæus lucra pecuniarum, Petrus & Andreas retia, Ioannes & Iacobus etiam parentes, & denique *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*. Nec id mirandum est, sed potiùs, quod non vniuersus mundus traheretur: *Nunquam enim sic locutus est homo*, vt inimici eius fatentur. Verè dicere possumus audientibus Christi verba, *Beatæ aures, quæ audiunt, quæ vos auditis*. Ad quos Isaias. *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; & aures tuæ audient verba post tergum monentis. Hæc est via ambulate in ea*. Hac ratione nūc Lucas ait: *Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei*. Quibus verbis maximam audientium auiditatem expressit.

Matth. 4 9 et 1.
Psal. 16.
Ioan. 7.
Luc. 10.
Isa 30.
Audientium auiditas.

Sed nobis, qui Christum loquentem non audiuimus, certè verba eius, quæ ipse per ministros suos ad nos loquitur, relicta sunt. Vis scire Christum ad te loqui? Audi Paulum, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et, *Tanquam Deo exhortante per nos*. Et iterum. *Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut verè est, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis*. Christus ergò loquitur in prædicatoribus suis. Relicti sunt nobis piscatores, qui eodem reti, quo Christus piscantur, eadem verba vsurpant, vt nunc homines conuertant in Deum. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus*. vt nihil commune cum carnis appetitu spiritus velit, sed reijciat bellumos appetitus, quasi à ratione alienos. Fortissimi ac munitissimi muri erant Hierichuntini, sed clangentibus Dei tubis ceciderunt sic maximi peccatores Dei verbo audito ad mentem redeunt, & in terram se deijciunt. Meritò ergò nos Diuus Iacobus monet: *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras*. Insitum dicitur verbum, quia in eo insita diuina vis est.

Christus hodie ad nos loquitur.
2. Cor 13.
2 Cor. 5.
1. Thes. 2.
Piscatores moderni.
Heb. 4.
Typus.
Ios 6.
Orig hom. 7. in Ios.
Iacobi 1.

Sed ais: Audio Dei verbum, nec tamen tantam in me

Verbum Dei cur in multis nō operetur. operatur mutationem. Hoc duplici ex causa accidere solet: prior est, quòd non auidè Dei verbum audis, non illud esuris & sitis, sed potiùs fastidis. Sicut verò desperas de salute infirmi, qui omnem escam fastidit: ita quasi desperatus est, qui Dei verbum reijcit.

1. Fastidium. Simile.

Altera ratio est, quòd dæmon aliquos peccatores ita armis infernalibus induit, vt nulla re cælesti admoniti commoueantur, non morte, non iudicio, non inferno, non Christi cruce. Horum extremum periculum ostendit Spiritus S. *Cor durum male habebit in nouissimo.*

2 Par. 36. 2. *Obduratio diabolica.* Eccl. 3.

Audiendum Dei verbum auidè & retinendum. Simile.

Sicut ergò turbæ irruunt, vt verbum Dei audiant; ita & tu irrue, & omni cura diligentia, vt verbum Dei audias, menteque retineas. Ne sis sicut cribrū, quod solas retinet paleas, triticum verò effluere sinit; sic ne tu, audiens verbū Dei, modum & flosculos verborum conserues, non verò substantiam eius.

Dispositio ad audiendū necessaria.

Piscatores autem descenderant & lauabant retia. Non sine causa hæc ab Euangelista commemorata sunt. Certè præclaram dispositionem hæc verba innuunt; vt verbum Dei cum fructu audiamus. Iecerant piscatores retia in mare, & multa superflua & immunda collegerant, lauabant ergò retia. Optimum verò consilium: postquam retia misisti in mare, postquam muneri & officio tuo operam dedisti, inspice accuratè conscientiam tuam, & vide vtrum immunditiam aliquam contraxeris. Hinc Paulus. *Emundate conscientiam vestram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Exemplum est nobis Deus noster, qui licet vniuersa benè faciat, tamen postquam illud fecerat, dicitur, *Vidit Deus, quod esset bonum:* & omnibus perfectis; *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:* sic nobis ostendit, optimum esse, si in diei fine consideremus vniuersa, quæ eo die gessimus, examine ad hoc adhibito omnium, quæ cogitauimus, diximus, & fecimus; vt si quid sit immundum, lauemus rete conscientiæ nostræ à peccatis per pœnitentiam. Et hoc est, quod Dauid ait se præstitisse: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo* & *Meditabar in nocte cū corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Nam, vt Iob ait capite nono. *Verebatur omnia opera sua.* Mirum est id omnibus consuluisse Virgilium, in opusc. de vir. bon.

1. remedium. *Conscientiæ examen.* Heb. 9. 2. Cor 7. Exemplum elegans. *Gene. 1. & 2.* Psal 6. Psal. 76.

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vllum

Millibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui, totum se explorat ad vnguem,
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longe reputauerit acta diei.

Viri prudentis esse ait, quaque nocte se suaque opera perscrutari. Hoc verò consilium plures ab inferno liberasset, qui si nocte pœnituissent, damnati non essent: nunc autem, quia sine pœnitentia discesserunt, in inferno sunt. *Vtilitas examinis conscientiæ.*
2. Hæc etiam præclara est dispositio, vt verbum Dei cum fructu audiamus. Si enim ab omni labe peccati conscientiam emundaueris, tunc puro corde verba Dei percipies, & tibi perspicua erunt. Hinc Christus ait: *Si quis voluerit voluntatem Dei facere. cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Qui voluntatem Dei facere vult, doctrinam capit, eique dulcescit. Cùm ergò auditurus verbum Dei accedis, memorare piscatores retia lauisse, & laua tu conscientiam pœnitentia delictorum: sic enim purgato palato verba Dei percipies, & dices; *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* *Ioan. 8.* *2 remediũ. dispositionis conscientiæ lotio per pœnitentiam.*

Sed quomodo Christus verbum suum proponat, videamus. *Et sedens docebat de nauicula turbas.* 1. sedet in nauicula Petri, quia in ea perpetuò mansurus est. 2. sedens docet, quasi medicus amicissimus, qui infirmum visitans sedet, & seriò magnaque cura amicum sanare vult: ita Christus ea cura salutem nostram curat, quasi ex ea ipsius vita penderet. 3. in hac sessione ostendit effectum verbi diuini, quem in nobis efficit. Nam Dei verbum omni ex parte cordis nostri affectus mirabiliter tranquillat, & pacem cordi tribuit. Hinc Psalmista. *Pax multa diligentibus legem tuam.* at contrà, *non est pax impijs.* Fluctuant infideles, & ducuntur varijs *ventis doctrinæ*: at fidelis in fide sic sedet, & verba Dei in corde eius ita sedent, vt eius potius credat, quàm visis; nec vlla ratione ab eis dimoueatur. *Psal. 118.* *Quòd sedens doceat, quid significet.* 1. 2. 3. *Psalm. 118.* *Isai. 57.* *Ephes. 4.*

Fructum verò huius diuini verbi explicare Christus voluit, dum *rogauit eum à terra reducere pusillum.* Quo ostendit, verbum & doctrinam eius separare homines à terra. Omnis alia doctrina homines terrenos efficit, & amare terrena docet: doctrina verò Christi à terra nos separat, & docet amare cælestia, &, *quæ non videntur, æterna: quæ enim videntur temporalia sunt.* Hoc vero valdè mirandum, *Fructus verbi diuini.* *Verbum Dei separat à terrenis.* *Coloss. 3.* *2. Corinth. 4.*

N. quòd cùm lex ex ſchola Chriſti nihil aliud doceat; niſi
In amorem terrenorũ. terrenorum deſpectum, nihilominus in hac Chriſti naui, in eius ſchola plurimi verſantur, qui *terrena ſapiunt,* &
Phil. 3. nihil prætereà: & ſic ſe gerunt, ac ſi cæleſte nihil audiuiſſent; & ita humi hærent, ac ſi ad meliora vocati non eſſent. O miſer peccator, noſtiné vocationem tuã? Si nunc
Simile. nunciorum certiſſimis verbis diceretur, adinuentam eſſe regionem nouam, in qua mors non dominatur, & vniuerſa ex voto futura ſunt, quanta celeritate curreres
Pſalm. 141. in eam regionem, vt in ea feliciter degeres? In quam
Ioan. 1. nunc vocatus es terram? an non *in terram viuentium?* ibiné
1. *Cor.* 15. *portio eſt tua?* Chriſtus incepit vitam cæleſtem de cælo ve-
Patria cælũ: terra eſt exilium. niens; & *qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Quomodo hic ſtas, patria tua eſt cælum, terra verò exilium? Aeterna ſunt nobis quærenda, quæ Chriſtus promiſit, qui *vocauit nos*
1. *Petr.* 1. *in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, in cælis conſeruatam.* Vt in hanc veniamus, oportet nos a terra reduci puſillum.

1. Reducta ergò nauià terra docuit Chriſtus turbas &
Chriſtus magnificus erga ſuos. piſcatorem egit. Sed quid facit poſt prædicationem? Ait Petro: *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* Quibus verbis oſtenditur Chriſti largitas ac magnificentia. Acceperat Petri nauiculam in ſuggeſtum breui tempore: nunc cumulatè ei ſoluit naulum, *menſuram*
N. B. *bonam tribuit & ſupereffluentem.* vbi nunc ſunt, qui di-
Mal. 3. cunt, *Vanus eſt, qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus mandata eius?* Non ſolùm in alio ſeculo, ſed
Mundus parciſſimus in ſuos. & in hoc centuplum tribuit, Solus Deus magnificè ſe habet cum ſeruis ſuis: mundus verò, ſicut Laban cum Iacob, parciſſimus in ſoluendo eſt, quoniam pauper
Geneſ. 31. eſt. *Decem vicibus mutat* mercedem laban, ſemper minorem tribuere curans: Deus verò auget & ſuperauget indies mercedem. Vnde nunc Petro plures tribuit piſces,
2. & ſtatim eum hominum conſtituit piſcatorem. 2. his
Anima primũ paſcẽda. verbis ſignificatur, quærendum primùm eſſe regnum Dei, deinde temporalia: primùm anima paſcenda eſt diuino verbo, deinde victus corpori quærendus. Ante con-
N. B. cionem auditam nihil Petrus ceperat, licèt multum laboris poſuerit: audita ea duas implet manes piſcibus.
Pſalm 54. Neſcit Deus retinere ſibi mercedem mercenarij ſui. *Spera in Deo ipſe te enutriet:* & quo plus receſſeris à terra, cò

melius corpori prouidebis; quia *hæc omnia adijcientur*. Et hoc est, quod Psal. ait; *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona?* id est, quis dabit nobis necessaria? Respondet: *Signatum est super eos lumen vultus tui domine*, id est, tu nos curas, cum in obsequio tuo versamur. Et inde sequitur: *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt*. id est, maximâ abundantiâ necessaria tribuis: ideoque *In pace in idipsum dormiam & requiescam; quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me*. id est, Expertus sum tuam in me curam, & ideò quiescere possum fidens tibi. *Matth.6.* *Psal.4.*

Sed Petrus respondet: *Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete*. Docemur 1. quod peccator laborat, sed in nocte nihil proficit operans. Dum est in peccato, in nocte versaris, nihil capies, *Impij in circuitu ambulant*; quia sicut rota molendini in circuitu ambulat. sed nihil proficit, nullam viam agit, semper in eodem loco versatur; ita peccator non proficit, viam in cælum non agit. Quando accesserit mors, & videas immuneros labores tuos sine fructu, quo tangeris dolore? Cùm fateberis: *Sine caussa & vanè fortitudinem meam consumpsi*: & dices cum impijs, *Lassati sumus in via iniquitatis*. Nihil quoque mercedis ipsimet se accepisse dicunt. *Quid nobis profuit superbia? diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sicut si nobilis, qui vili fæmine desponsatur, multa eam ob caussam patitur, si posteà pœnitentia ductus agnoscat errorem suum, tristis manet iugiter; quia *non est merces operi suo*. Quidnam datum est Samsoni Dalilæ affecto pro labore suo, cùm captus molam traheret? nihil omninò. Si hic adessent Alexander, Cæsar, Augustus, & omnes, qui pro mundi gloria ad mortem vsque laborârunt; & eos interrogaremus; Quid mercedis accepistis pro labore tanto. dicerent; Nihil. Quia *dormierunt somnum suum, & NIHIL inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*. Interrogo vos cum Paulo, *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Si verò in domo Dei laboraueris, paruo labori multa merces respondebit: quia *est merces operi tuo*. Et Sap. *In opere ipsius modicum laborabis, & citò edes de generationibus illius*. Et iterum: *Modicùm laboraui, & inueni mihi multam requiem*. II. in his verbis, *Per totam noctem*. &c. ostenditur aliquorum hominem ingenium,

Peccator laborat in nocte. 1. *Psalm.11.* Simile. *N. B.* *Isa.49.* *Iob.7.* *Sap 5.* 2. *Nihil à mundo accipitur.* Simile. *Ierem. 31.* *Iudic.16.* *N. B.* *ô insatiabilis homo.* *Psal. 75.* *Rom.6.* *Magna merces à Deo datur.* *Ierem 31.* *Eccl.6.* *Eccl.51.*

Aegroti ægritudine nō proficiunt. nium, qui ex plurimis laboribus fructum sibi non colligunt. Aliquando magna ægritudine aliqua homo grauatur, ex qua maxima lucra animæ posset colligere; & tamen *per totam noctem laborat*, vt Petrus, sine somno & piscibus, & nihil percipit. *Psalm.34.* *Dißipati sunt nec compuncti.* *Exemplū. typicum.* Corpus plenum est doloribus, sed animus inuictus & integer, vt adamas, licet plures ictus accipiat. *Num.22.* Videt Asina gladium Angeli & terretur; calcaribus *N. B.* percutitur, & dolet, ac conqueritur: sed Balaam ei insidens nihil videt, non terretur, & inceptam viam Deo contrariam perficere conatur. Quot infirmitates, dolores, & labores in carne sustinuisti, & illa asina est, & *Simile.* conqueritur, sed spiritus tuus in malitia persistens viam prauam non deserit? *Ierem 6.* Sicut autem argentum plenum scoria, ponitur in conflatorio, cumque consumpto *Simile.* plumbo necdum recessit scoria ab argento, postquàm conflator multum insuflauerit, reprobum argentum putatur: ita cùm Deus hominem infirmitate ac labori- *Ezech. 24.* bus tangit, curat vt à malitia recedat; quod cum factum non fuerit, homo reprobus dicendus est. de hoc Ezech. *Multo sudore sudatum est, nec sic ab ea exiuit rubigo: execrabilis est immunditia tua; quia mundare te volui, & non es mundata* *Iob.33.* *à sordibus tuis*. *Exempla.* Non sic alijs accidit, sed si immittit Deus laborem in eum, conuersus orat misericordiam, & *miseretur eius Deus, eumque liberat*, (sicut accidit Iosepho, *Labor decorus.* Iob, Susannæ, Ezechiæ) *vt non descendat in corruptionem;* Decorus profectò & pulcher labor, ex quo fructus col- *Sap 3.* ligitur: infelix tribulatio, ex qua bonum animæ non *Zach 11.* prouenit. Hinc Zach. *Assumpsi mihi duas virgas; vnam* *Virgis duabus Deus castigat.* *vocaui decorem, alteram funiculum*. Duabus virgis Deus homines percutit; quarum altera decor dicitur; quia *Tribulatio virga decora* decora est tribulatio, ex qua colligitur conuersio in Deum: Altera verò dicitur funiculus, & ea est, qua percuti- *Obstinatio funiculus irretiens.* tur durus corde, qui quasi funiculo plus irretitur peccatis, cùm tribulatur.

Petri munus Ecclesiam in altum ducere. Quia verò alios etiam hominum piscatores esse voluit, quibus diceret, quod hodiè Petro: *Ex hoc eris homines capiens;* qui innumeros pisces capturi erant, vt huius tantę rei ob oculos figuram proponeret, soli Petro dicitur, *Duc in altum:* & deinde reliquis, *Laxate retia vestra in capturam.*

Petri enim munus est, ducere Ecclesiam *in altum*: prædicatorũ verò *laxare retia*. Quia successor Petri, Romanus Pōtifex, magister est Ecclesiæ; ad eum pertinet, quæ fidei sunt decernere, & interpretari scripturam authoritate à Deo concessa, & in profunda illius ducere. In Petri manibus gubernaculum Ecclesiæ tradidit Christus. Audi in quam profundam scientiam mysteriorum Dei ducta sit Ecclesia. *Mihi omnium sanctorum minimo*, ait Paulus, *data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo: vt innotescat principib. & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Tantus diuinorum mysteriorum intellectus Ecclesiæ datus est, vt Angeli beati ab ipsa plura dedicerint. Verè in profundum, in altum ducta est Ecclesia à Petro. Nec mirum: *Spiritu sancto* enim *inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Spiritus verò omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Postquàm Petrus in altum duxit nauem, dicitur omnibus doctoribus: *Laxate retia vestra in capturam.*

Pontificis Rom. authoritas.

Eph. 3.

Angeli ab Ecclesia discunt

1. Pet. 1.

1. Cor. 2.

Sed attendenda est, mirabilis piscium captura. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam; ita vt rumperetur rete & implerent duas nauiculas.* En velut in imagine expressum fructum Apostolicæ prædicationis, qua vniuersus ferè mundus ad Deum conuersus est, & innumeri capti pisces. Et ideò assimilata est *sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cùm impleta esset educentes* &c. Vna concione, quasi vnico reti misso, traxit Petrus 3000 hominum; & alia 5000. quorum *erat cor vnum & anima vna*: & deinde innumeri sancti collecti sunt ad Christum ab Apostolis & eorum discipulis. Ad hos Isa. *Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini* Sterilitatem Synagogę, & abundantiam Ecclesiæ pręuidēs, beatos dicit Ecclesiæ Apostolos & doctores, qui verbum Dei seminant maximo cum fructu inter Iudæos & gentes maxima cura & diligentia.

Fructus Apostolicæ prædicationis typus verus.

Act. 2. et 4.

Isa. 32.

Hieron in cap. 32. Isa.

Sterilitas Synagogæ et abundantia Ecclesiæ.

Ita vt rete rumperetur Quid est quod rete rumpitur? Primò tyranni hoc rete disrumpebant, dum Ecclesiam persequebātur. Sed hac in re diuina Ecclesia virtus apparuit, quoniā cum rete rumpebatur, non exibāt pisces per rupturam illam; imò noui pisces intrabant per eam: quin & persecutores ipsi, qui rete rūpebant, sępè fiebant pisces, &

Retis ruptura quid velit

1. à tyranis rumpitur.

Exemplū. rete intrabant. Sic Saulo contigit, qui ex lupo factus est
Act 9. ouis & piscis. Sicut enim quondam creuit Israël perse-
Simile ty- cutione AEgyptiaca; ita Ecclesia persecutione tyran-
picum. norum; & simul effecit, vt per retis rupturam non
egrederentur, sed ingrederentur pisces. II. hæc ruptura
2. efficitur à prauis piscibus, qui rete ingrediuntur. Duplex
à prauis pis- in Euangelio piscium captura describitur, valde similis.
cibus. Prima est hæc: alteram Ioannes describit, quæ est post
Greg. hom. resurrectionem facta: & significat eam, quam Christus
24. in Euag. faciet omnium electorum, cùm eos in cælum congrega-
Ioan 21. bit. Mittitur tuus rete ad dexteram nauigij, quia soli filij
Duplex pis- dexteræ tunc colligeretur. Fit post resurrectionem, quia
catura in Eu in futuram vitam seruatur. Tunc numeratur piscium
angelio. numerus; quia boni & iusti numerum habent: *stulto-*
1. *rum* autem *infinitus est numerus.* Ibi omnes pisces grandes
Eccli. 1. sunt; nullus enim in calo est qui magnus & princeps nō
Matth. 13. sit. Ibi rete non est scissum, nullam enim tunc ruptu-
2. ram pisces facient: quia vniuersi boni congregantur,
nullus est prauus. ille enim foras est missus. At hæc
piscium captura ante resurrectionem facta est, in qua
plurimi capiuntur pisces, sed eorum numerus non di-
Matth. 13. citur, & rete rumpitur, nec omnes pisces grandes sunt.
Hæc significat collectionem fidelium in Ecclesia, quæ
similis est sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium
Pisces vaga- *congreganti.* quia in hac Ecclesia non solùm boni, sed &
ri non possūt mali sunt. In hac sagena inclusi pisces non habent li-
reti inclusi. centiam vagandi per illicita desideria; quia reti conti-
N. B. nentur. Sed peccatores contineri nolunt in officio, & i-
Malorum Ec deò quasi rete rumpunt; & charitatis quidem filum rum
clesiæ origo. punt, licet fidem retineant. Et hinc vniuersa mala Eccle-
Eccli. 40. siæ ortum habent, quæ propter peccatores veniunt. Hinc
Sap. *Mors, sanguis, contentio, romphæa, oppressiones, fames, &*
contritio & flagella propter iniquos creata sunt hæc; & propter
Captiuitas sa *illos factus est cataclysmus.*
lutaris. Qui ergò ingressus es in Christi rete, captiuū te puta,
Iob 13. sicut ille, qui ait, *Posuisti in neruo pedem meum.* Et ideò Chri
Matth. 11. stus legem suam *iugum* appellat, licet *suaue*: quia sicut iu-
Simile. go ligatur bos, ita fideli Christi lege. Sed attende, cùm
κλῶσμα χύσα te ligatum videris, quod Sapiens ait: *Vincula illius alli-*
κινδύνου *gatura salutaris.* Sicut enim infans ligatur in bonum, vt
Simile. robustiora habet membra: ita in bonum tuum ligaris,
non

non in perniciem:ideò alligatura salutis illa dicitur. An non alligauit Samaritanus infirmum vulneratum, vt eũ sanaret?Sicut Ioseph missus in carcerem alligatus est, sed citò ei traduntur carceris claues;& sic & clausus,& liber erat.sic *iusto lex non est posita*; quia licet lege ligetur, tamen non constringitur, non arctatur; cùm non sit ei graue onus sed leue. Voluntate enim & dilectione seruit Deo: nõ grauatus onere,sed dilectione ductus.&c. Tandem,ô homo,in vnum ex duobus retibus incides.Impossibile est vtrunque fugere;vel in dæmonis retiaculum, vel in Christi rete venire debes. Vtrum eliges? Calicem Christi bibiturus es,aut calicem dæmoniorum. *Ecce posui in conspectu tuo vitam & mortem,malum & bonum.elige ergò vitam,vt viuas* &c.

Lucæ 10. *Exempla.* *Genes. 39. 42.44.* *1.Tim.1.* *Aug. in Psal. 102. & 146.* *Chrys.ser.8. in Eph.4.* *Iustus liberè Deo seruit.* *N. B.* *Deut.30.*

Conclusa itaque piscium multitudine, quia in verbo Iesu laxatum est, quid loquitur Petrus? *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum* Agnouit in virtute verbi Iesu factã hanc piscationem, ideò negat suam esse prædam. Deo enim vniuersa bona referenda sunt, quia eo authore geruntur.Et insuper deijcit ac humiliat se Petrus,implens illud:*Cùm feceritis omnia,quæ præcepta sunt vobis,dicite,serui inutiles sumus.*Ita Petrus perpetrato grandi miraculo ait:*Homo peccator sum,exi à me.*Attende initium Apostolatus Petri,quod est humilitas. Optimum profectò fundamentũ collocat,sui cognitionem & humilitatem; vt supremum construat ædificium, quod deinde dilectione consummat,cùm ter interrogatus, *Diligis me plus his*? ter respondet:*Tu scis Domine quia amo te*. Petrus se dicit indignum Dei consortio,& Christus cõstituit eum primum & principem in domo sua.Dei hoc est ingenium Maria ait: *Ecce ancilla Domini*:& Christus:Esto mater mea.Baptista ait:*Ego non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamenti eius*; & Christus ait:*Baptiza me* Ait Ioannes: *Non sum Propheta.* & Christus;*plusquã Propheta* Petrus ait:*Exi à me Domine*:& Christus; *Noli timere*, ero semper tecum ; *Ex hoc eris homines capiens.*Dum se humiliat homo,scalam construit,per quam ad Deum ascendat.

Deo vniuersa bona adscribenda. *Ambr.in Luc.5.* *1.Par.29.* *Eccl.1.* *Lucæ 17.* *Humilitas Petri initiũ Apostolatus.* *Ioan. 21.* *Aug. de ver. Dom.ser.10.* *Lucæ 1.* *Ioan.1.* *Matth.11.*

DOMINICA QVINTA POST TRINITATEM.

THEMA: *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis regnum cælorum.* Matth. 5.

Abundãtior gratia Eccleſiæ data, quã Synagogæ. 3. *Reg.* 3. Typus. *Ioan.* 19. *Augu ſerm.* 200. *de tẽp.* *Matth.* 28

ABVNDANTIORI gratia prędita ornataque eſt Eccleſia Chriſti, quàm Synagoga: ab hac enim ablatus eſt Chriſtus, & traditus Eccleſiæ. Contendunt duæ mulieres coram Rege Salomone, cuius ſit filius viuus: altera ait, *Diuidatur*: altera, *Nequaquam.* & huic datus eſt puer. Sic Synagoga dixit, *Tolle, tolle, crucifige eum*; & *ablatus eſt* ab ea Chriſtus Dei filius. Eccleſiæ verò Chriſtus datus, ab ea non recedit. Vbi verò Chriſtus eſt fons gratiæ, ibi abundare debet gratia & iuſtitia. Superabundauit verò in Maria, ad quam nunc accedamus, &c.

Verbum durum quid. *Pſal.* 90. & 111. 2. *Reg.* 14. Exempla. *Gen.* 41. *Ioan* 13. *Pſal* 90. *Pſal.* 111. *Iuſtitia integrè ſeruanda ei, qui vult intrare regnum cælorũ.* Typus. *Ruth* 4. *Deut.* 25.

Durum profectò verbum, imò duriſſimum, *Non intrabitis in regnum cælorum*. Verbum hoc eſt aſperum, & auditio mala. Dixit Dauid de Abſalon: *Non videbit faciem meam*: multa ille fecit, vt eam videret. Sic fratres Ioſeph, vt minimum fratrem adducant (audierant enim: *Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis*;) nullum non mouent lapidem. Cùm audit Petrus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum, non tantùm pedes, ſed & manus & caput* offert lauanda. Cùm ergò tu audieris; *Non intrabitis in regnum cælorum*, omnia te facere oportet, vt à verbo hoc aſpero liber ſis; & *ab auditione mala* non timebis. Dic ergò, quid faciam Domine? omnia præcipe, dum hoc ego ingrediar regnum. Si dederis hoc regnum, quocunque pretio illud vendideris, gratis datum erit. Vis, ô homo, Dei regnum? Integram ſerua iuſtitiam & legem Dei. Dixit Booz ad conſanguineum ſuum; *Eme agrum Elimelech fratris noſtri.* Reſpondit ille: *Ego emam.* Rurſum Booz: *Vxorem teneris ducere Ruth iuxta legem* at ille: *Cedo iuri propinquitatis; tu meo vtere priuilegio*. Ita ſi ab vnoquoque fidelium ſciſciteris; Vis agrum regni Dei? Reſpondebit, Volo.

Matth. 16.

Quid enim mihi eſt, ſi vniuerſum mundum lucrer, animam verò perdam?

perdam? Sed audi, si hunc agrum possessurus es, oportet vt iustitiæ nubas, vt legem Dei integram serues: seruata lege agrum possidere poteris. Quid ad hæc respondes, ô homo, Plures dicũt; *Cedo iuri meo*:. quia *vult & non vult piger*. Vult hæreditatem, sed non vult onus hæreditatis: vult sine certamine vincere, sine victoria coronari. Sed vnum sine altero nequaquam dabitur. *Nisi* enim *abundauerit iustitia vestra*, &c. *non intrabitis regnum cælorum*. *N. B.* *Prou.* 13. *Eccl.* 1.

Sed quid iustitiæ nomine intelligam? Certè virtutem vniuersam, quæ dicitur iustitia generali quadam ratione; quia debita Deo & rationi est: tenemur enim secundùm virtutem operari. Dicitur etiam virtus iustitia; quia & præmio & supplicio afficit, quod ad iustitiam pertinet. Virtus præmium est habenti illam: quia *gaudium iusto est, facere iudicium*: Simul etiam supplicium sumit ab eo, qui circa eam deficit. Iustus intra domum cordis sui iustitiam habet & iudicem: & ideò nihil dignum supplicio agit, cui statim vltionem non adhibeat; & ne Deus eum iudicet, seipsum damnat, iudicat, & punit. Quia vt Paulus ait; *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino*. Et ideò Psal. ait: *Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me*. *Iustitiæ nomine virtus omnis designatur, & quare.* *Aug. in Psal.* 84. *Iustitia & pax.* *Prou.* 21. *Iustus iustitiam & iudicem intra se habet.* 1. *Cor.* 11. *Psal.* 118.

Sed quia non omnis iustitia satis est, vt nos perducat in regnum cælorum, ait nunc Christus: *Nisi abundauerit iustitia vestra*, &c. Videndum nobis est, quid minus habuerit illa iustitia Pharisæorum; cùm appensa in Dei statera inuenta sit minus habens. *Non omnis iustitia sufficit ad intrandum regnum cælorum.* *Dan.* 5.

Primùm iustitia Scribarum, humana erat, & operibus suis innitebatur, non Christi iustitiæ & meritis, ac Dei misericordiæ. Putabant enim illi propter opera sua deberi ipsis diuinam gratiam sine Christi meritis. Hinc Paul. *Quid ergò dicemus? quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem, quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus*. Ex operibus ergò suis solùm sine Christi iustitia putauit Israël posse consequi iustitiam, ideò eam non apprehẽdit. Homo etenim ex seipso iustitiã apud Deum non habet, nisi Christi iustitiam induat ac participet: ille. n. *factus est nobis iustitia*: quã si homo participauerit, coram Deo iustitiã habebit. Participasti verò fide, Sacramentis, ac bonis operibus. quibus *1. defectus iustitiæ Pharisaicæ, Christi iustitiæ non fidere.* *Rom.* 9. *Homo ex se iustitiam nõ habet.* 1. *Cor.* 1. *Iustitiam Christi quo-*

modo participemus. omnibus valorem tribuit Christi iustitia, meritum, ac satisfactio. Verbi gratia. Peccator nunc de peccato dolet, confitetur, recipit gratiam: sed qua ratione? non ex operibus eius solùm, sed quia iustitiam Christi participauit illa opera perficiens Sic & in merito glorię & gratiæ in iusto. *Rom. 3.* Ideò Paul. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionē, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* *Omnis Christina iustitia Christi iustitiæ inniti debet.* Omnis ergò hominum iustitia, vt coram Deo iustitia sit, huic iustitiæ inniti debet. Nullum opus humanum vel legis sine Christi iustitia apud Deum prodest quicquam. Quia ergò Pharisæorum iustitia huiusmodi erat, nihil erat. Ex quibus nobis illud colligendum est, vt opera nostra meritum habeant, necessarium esse vt nos in gratia Dei simus. Obseruatio *Gratia nos facit viua Christi membra.* Gratia enim nos efficit viua Christi membra, vtq; eiùs iustitiam participemus. Membrum quidem eius es, si fidem retines, sed mortuum: ideò fructum non dabis: sicut *nec palmes* cùm discesserit *à vite;* *Ioan. 15.* & nihil tibi ad meritum prosunt opera tua, licet magna videantur.

2. defectus, quòd exterioribus considerent, neglectis interioribus. II. Pharisæorum iustitia inuenta est minùs habens, quia solùm in exterioribus eam esse putabant: & dum exteriora composita essent, interiora nihil curabant. Cùm tamen vera iustitia in animo sit & corde, vnde procedere debent interiora. Ideò Christus ad eos. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapina & immunditia.* *Matth. 23.* *Luc. 11.* Ideò eos etiam dicit sepulchra dealbata. exteriùs speciosa, intus vero plena abominatione; cuiusmodi multi hodiè sunt. *Iustitia Christiana in corde est.* Nostra ergò iustitia, vt Pharisæorū iustitiam excedat, in corde præcipuè sit; quia *omnis gloria filiæ Regis ab intus,* à quo omnia exteriora procedant ordinata.

3. defectus, quòd hominibus placere solùm vellent, nō Deo. III. Iustitia exterior Pharisæorum non in eùm finem dirigebatur, vt Deo placerent, sed vt hominibus; ideò iustitia sufficiens non erat, vt intrarent regnum cælorum, quia illud non intendebant, sed gloriam hominum. Ideò *Matth 6.* Christus, *Receperunt mercedem suam.* Nos ergò excedamus Pharisæorū iustitiam, quærētes in omnibus Deo placere *Iustitia Christiana Deo placere studet.* non hominibus. Ideò ad nos dicit cælestis magister: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Inter opera artis & naturæ hoc interest, quòd ars naturam imitatur, sed illo non peruenit, quo natura.

Pingit

Pingit ars equum, ſed non viuit: pingit roſam, ſed non ſpargit odorem: pingit hominem, ſed non videt. &c. Sed natura vitam tribuit ac eius operationes Si cibum ſumere volueris, aptus erit cibus à natura conditus, non pictus. Sic ſunt opera virtutis vera, quæ à recto corde procedunt: illa nos ſaluare poterunt, & in regnum cęlorum introducere. Sunt enim opera alia ab hypocriſi effecta; quæ ſimilia ſunt, ſed longè diuerſa. Exteriora enim virtutis duntaxat habent; depicta ſunt, nõ vera; ea nos ſaluare nequeunt.

Simile. Simile. *4. defectus, curabant minima, maxima negligebant. Matth. 23. Lucæ 11.*

IV. Phariſæorum iuſtitia erat, curare nimiũm ea, quæ in lege minima erant: ea verò, quæ maxima negligere. Id eò ad eos Christus. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum; & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iuſtitiam, iudicium, & veritatem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Illis verò nunc multi perſimiles ſunt, qui mandata Dei negligunt, cùm tamen aliquas deuotiones, quas ſibi impoſuerunt, nullo modo prætermittant. Primùm Dei mandata ſeruanda ſunt; & grauiora præponenda minoribus.

Christiana iuſtitia mandata ſumma reſpicit, deinde minima. II. Pars. Exemplũ: *Phariſaicæ iuſtitiæ.*

Sed attendamus iam exemplum iuſtitiæ Phariſæorũ. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis; Non occides: qui autem occiderit reus erit iudicio* &c. Docuerunt Phariſæi non eſſe occidendum hominem; nihil verò curabant, ſi in corde odium eſſet, & in verbis contumelia: in his enim nullum dicebant ineſſe peccatum. Sed quæ cæleſtis magiſtri doctrina eſt? *Ego autem dico vobis: omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio* &c. Notandum primò, quid ſignificet *Racha*. Auguſt. ait nihil certi ſignificare, ſed eſſe interiectionem apud Hebræos, qua indignatio ſignificatur. Chryſoſt. dicit, *Racha*, lingua Syriaca, quæ erat familiaris Hebræis, ſignificare idem, quòd Tu Hieronym. aſſerit *Racha* deriuari à Rec. quod ſignificat inanem, aut vacuum, vel pauperem. Hoc verò certum eſt, eſſe aliquid minùs, quàm *fatue*. Eſt ergò triplex iræ genus, quod hodiè Chriſtus oſtendit: eſt ira cordis; eſt ira, quæ leuiùs oſtenditur exteriùs; & eſt quæ grauiùs per verbum *fatue*.

Racha quid ſignificet. Aug. lib. 1. de ſer. Dom. in mõt. c. 19. t. 4. Chryſ. hõ 16. in Matth. 5. Hieron ibid. Ianſ c. 4. concord. euang. Baſil. in reg. breuior. reſp. ad interr. 29. 51. 55 67. 127. Triplex iræ genus.

2. Sciendum, quid ſit *reum eſſe iudicio, concilio, & gehennæ*. Auguſt. & D. Thom. aiunt ſignificare Chriſtum: *Ab antiquis* traditum vobis eſt, eum duntaxat in iudicium ducendum ac damnandum, qui exteriùs occiderit. *Sed ego dico*, eum, qui ſolo corde iraſcitur in iudicium ducendũ,

Reum eſſe iudicio quid ſit. Aug. lib. 1 de ſer. Dom. in mont c. 19.

in quo forſan damnabitur,& forſan non Si ira in odium peruenit,damnabitur. Non ergò vobis ſolùm cauendum eſt ab homicidio, ſed etiam ab ira.Si verò ira procedat exteriùs ad ſigna conuitij,iam culpa eſt manifeſta,& res grauior eſt, digna concilio multorum iudicum, qui ſolùm ad grauiora conuenire ſolebant, vt ſtatuant, quæ nam ſit culpa & quanta pœna, ſi os deſpoticè paruerit voluntati

Gregor.lib.5. moral. ca.31. 32 in Iob. 5.

malæ & iratæ. Si verò ira eò procedat, vt proximo dicamus graue conuitium, culpa mortalis manifeſta eſt, propter quam in infernum eſt damnandus, qui eam admiſerit Non ergò ſolùm ab homicidio cauendum, ſed etiam à peccatis cordis & oris. Gregorius & alij, per iudicium, concilium, & gehennam intelligunt æternam damnationem,quæ maior vel minor eſt pro criminis qualitate:vt iudicium ſit minor inferni pęna,quæ infertur odienti ſolùm : concilium maior, quæ datur vituperanti : gehenna adhuc maior,quæ datur inhonoranti proximum. Vterq; ſenſus eò tendit, vt non ſolùm reputemus homicidium eſſe peccatum,ſed etiam odium,& linguæ conuitium. de quibus nobis aliqua dicenda ſunt.

Homicidiũ non tantùm eſt peccatum ſed et odium & conuitiũ linguæ.

Ira quæ ſit laudabilis.

1\. *Aug.lib.9.de ciuit.Dei.* *Pſal.*118. 2. 3. *Gal.* 6.

Et primùm de ira. Ira moderata ſecundùm rationem optima eſt. Illa autem eſt ira moderata, qua iraſcitur quis in vitia & peccata; quia Deo contraria ſunt. ſicut qui ait: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum*. Vlteriùs hæc ira iuſta procedit, vlciſcitur enim in ſe peccatùm, & de ſe vindictam ſumit, tanquam iudex. Deinde ſi in proximo peccatum videt,illud tollere curat,corrigit fraternè proximum, ſed leniter, *in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis.* Eſt enim in peccato Dei offenſa,& hominis malum:cùm reſpicis peccatum,vt Dei offenſam, ira conſurgit; cùm vt hominis malũ,cõmiſeratio, qua proximus corrigendus eſt. Vlteriùs verò ira iſta procedit in ſuperioribus,& iudicibus,q. punire debēt malefactores,&tollere mala de medio populi.In Saulē iratus eſt Dominus, quia pepercit Agag. Dauid licet mãſuetiſſimus,teſtamēto pręcepit Salomoni, vt Ioab & Semei interficeret.Et Moyſes dixit ad eos,qui idololatras iugulauerant:*Conſecraſtis manus veſtras Domino.*

Peccatũ Dei habet offenſam, & hominis malum: vnde ira & commiſeratio oritur.

4\. Exempla. 1.*Reg* 15. 3.*Reg* 2. *Exod.*32.

Ira quæ ſit vituperabilis

Ira verò,qua in proximũ mouemur,quia nos læſit,contra rationē eſt:& ideò vindictã ſumere, peccatũ eſt.Hanc in nobis irã coerceri ac frænari Chriſtus pręcipit,ne in iudiciũ trahamur. Iræ irrationalis damna plurima ſunt. 1. Ani-

Damna iræ immoderatæ. 1.

Anima ira turbatur, vt Dei habitaculũ non ſit:quia *factus* Pſal. 75.
eſt in pace locus eius. 2. Ira puſillanimes maximè vincit;& 2.
puſillos ac viles homines reddit.3. Ira ſtultorum eſt. Ideò 3.
Iob.*Virum ſtultũ interficit iracundia,paruulũ occidit inuidia* Et Iob 5.
Sap *Ne ſis velox ad iraſcendũ: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Eccl.7.
Hinc iratorũ plurima deliramẽta:quia *ira breuis furor eſt.*

Sed qua arte iram cohibere potero? Primò,cùm iratus
fueris,nihil agas,nihil dicas,quod ab ira imperetur. Sicut Simile.
nautæ,cùm tranquillũ eſt,vela dant ventis; cùm aduerſũ, *Baſ hom.20.*
quieſcunt:ita cùm ira turbaris,tempeſtas orta eſt, noli lo *de ira.*
qui,noli tunc punire;nec tunc alijs,ſed tibi remedium ad- *Ambr.libr.1.*
hibe.Sic Dauid agebat,*Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Sic *off.c.21. et in*
Athenodorus conſilium dedit Auguſto, vt nihil diceret *Pſal. 36.*
aut faceret iratus;niſi prius recitaret Alphabetum Græcũ. *Aug.in Pſ.4.*
Et D. Ambroſius Theodoſio iniunxit,vt pęna capitis nul *Pſal.76.*
lus plecteretur,niſi poſt 30. dies à ſententia lata quod & le- Exempla.
ge cautum eſt.Secundò cùm cætera mala remediũ admit-
tant,etiam cùm morbus viget:ira autem non ſic; ideò ſic- Simile.
ut ciuitas obſidionem timens ſibi neceſſaria prouidet; ſic Simile.
& iratus facere debet,vt ſibi prouideat ante iræ tempus. I- 1.
ratus enim ſimilis equo currenti eſt, quem in medio cur-
ſu non eſt,qui teneat.Sed quam pręſeruatiuam adhibebo?
Radix iræ inordinatus amor ſui eſt, cupiditas nimia, ſu-
perbia,elatio animi. Hæc tolle,& remedium appoſuiſti i-
ræ.Moderandi & componendi appetitus ſunt, & tunc ira
quieſcet. Cauenda ergò ira nobis eſt,à qua odium proce-
dit;ne in iudicium deducamur, ne litem habeamus dubi-
am & difficilem ſuper cælorum regno.

2.Deinde cauenda tibi ſunt verba deſpectus vel conuitij 2.
in proximũ,ne ducaris tãquã reus in conciliũ; nulli dicas *Rom. 8.*
verbum *Racha*,vel *Fatue*. Poſtquam Deus homo factus eſt, *Col.1. & 2.*
nimiũ hominis zelat honorẽ, tanquã *primogenitus in mul-* *Eph. 1. & 4.*
tis fratribus; cauſamq; noſtrã ducit ſuã: quia *caput noſtrum* *Actor.4.*
eſt Conſanguineus nobis factus eſt,ideò ſuſtinere nõ po- Ioan.20.
teſt,quòd homo lædatur volũtate aut verbo etiã nihil ſig- *Rom. 8.*
nificante,vt *Racha*.Zelauit Deus olim honorẽ ſuũ. Tranſ *Heb 2.*
greditur præceptum Adam,comedit vetitum pomum,& Exempla.
in innumera incidit mala. Si dicis, Quomodo vnum po *N. B.*
mum tantorum cauſa malorum? quia contra honorem *Gen 3.*
Dei fecit: & nihil leue eſt, ſi Dei honori ſit contrarium. *Num.15.*
Sic is qui ligna parua in Sabbatho legit, lapidatur: quia

violatio Sabbathi est contra honorem Dei. Ita & nunc homo factus, honorem hominis maximè zelat; nec paruũ reputat, si homo sit despectus. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ne ergò in hominem dicas *Racha*, vel *Fatue*. Sed nunquid hoc verbum est, Domine, quod ventus tollit? Nihil paruũ est, si hominem, qui membrum meum est, inhonorat. Hanc ob causam prodeunt vrsi, & diripiunt pueros in Bethel irridentes Elisæum, & dicentes; *Ascende calue, ascende calue.* Ita iniuriam nostri, quasi suam reputat. Sicut Dauid iniuriam seruorum & nunciorum suorum propriam reputauit, & eam ob causam filios Ammon deleuit. Non solùm ergò non occides, sed nec irascendum tibi in proximum, nec dicendum *Racha* vel *Fatue*.

Zach. 2. Matth. 23. Exemplũ. 4. Reg. 2. Simile. 2. Reg. 10. 3. Recõciliatio fratris quærenda. Fratrem qui lædit Christũ læsit.

3. Et quod vltimum est: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus*, &c. His verbis rem profectò hanc vehementer exaggerauit: non enim solum dicit: Si læsisti fratrem, debitam ei satisfactionem tribue: sed addit: Si læsisti fratrem, me læsisti; nihil tuum mihi gratũ erit, nisi ei satisfeceris. Nec solùm ait; Antequam ad altare accedas, reconciliare fratri: sed adijcit; *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Præponere videtur fratris charitatem honori suo. Sed, ô domine, nõne melius esset tibi primùm satisfacere, & Angelis Dei expectantibus sacrificium & orationem nostram: & deinde fratri? O ineffabilem Dei nostri pietatem, atq; immensum ergà homines amorem? honorem suum quodammodò despicit, dum in homine charitatem requirit. Hæc verò præcipuè in Eucharistiæ susceptione verum habent. Cùm enim illud sit Sacramentum vnitatis, nullo modò fratrum diuisionem patitur. Ideò Paulus: *Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ea quidem quæ sunt sub præcepto præferuntur his, quæ sunt in consilio, & huiusmodi sæpè solet esse sacrificium: ideò Saul audiuit; *Quia melior est obedientia, quàm victima*: & mandata primæ tabulæ præferuntur mandatis 2. tabulæ. Deinde qui peccat in fratrem, in Deum peccat, qui est caput eius. Hinc Paulus: *Sic peccantes in fratres, & percutientes eorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.* Hoc verò præcipuè nos terre-

Christus honorem suum postponit in homine charitatem requirens. Chrys. hõ. 16. in Matth. 5. homil. 62. in Matth. 18. lib. 1. de cõp. cord. Pet. Chrysol. ser. 38. de iniur. æq. an. toler. 1. Cor. 10. Cur sacrificium charitati postponit. 1. Ratio. 1. Reg. 15. Oseæ 6. Matth. 9. 2. Ratio. 1. Cor. 8.

terrere debet, ne fratres lædamus, quòd in iudicio audituri sumus, Malum, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. &c. *Matth. 25.*

DOMINICA VI. POST TRINITATEM.

THEMA: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* Marc. 8.

De omnibus diuinis audire & loqui suauissimum est, quoniam vniuersa illa magna sunt: de magnis verò suaue est homini agere. Hinc Sapientia clamat: *Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum*. Sed inter omnia diuina, quæ libentiùs loquimur & audimus, ea sunt, quæ ad misericordiam pertinent: tum quia diuinæ misericordiæ opera maiora sunt; tum quia misericordia Dei ad nos miseros spectat. Ideò maximè Deus nobis placet, cùm audimus, quòd *diues sit in misericordia*, quæ efficit, vt mala nostra curentur, & vniuersa bona ad nos proueniant. *Multæ tribulationes iustorum*, ait Psal. an non lætabuntur, cùm audiunt, quod subiungit; *Et de his omnibus liberabit eos Dominus*? Vis nôsse, ô homo, ingenium Dei tui? *Pater est misericordiarũ, & Deus totius consolationis*. Licet enim Domino proprium etiam sit, sapienter, potenter, & iustè operari; singulariter tamen ei proprium dicitur *misereri & parcere*: quia operibus misericordiæ ab intrinseco & magis attendit, & plura opera misericordiæ præstat, quàm iustitiæ. Vniuersa operatur perfectissimè, sed præcipuè in misericordiam inclinatur; dulciùs illi est, misericordiam præstare. Hinc Psal. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*. Et, *Dulcis & rectus Dominus* &c. Et adeò libenter operibus misericordiæ incumbit, vt in opere maximæ iustitiæ misericordiam immisceat. Damnatos enim in inferno citra condignum punit; vt & ibi eius splendeat misericordia: cùm ipsa sit misericordia, dicente Psal. *Deus meus, misericordia mea.*

Suauißimũ est, de diuinis audire & loqui. *Prou 8.* *Misericordia Dei inter omnia diuina maior.* *Ephes 2.* *Rom. 10.* *Psalm. 33.* *2. Cor. 1.* *Psal. 88.* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Misereri proprium est Dei. & quare.* *Psal. 144.* *Psalm. 24.* *Misericordiã summæ iustitiæ immiscet* *Psalm 58*

Misericordiam discere voluit, & ideò miserias nostras homo factus suscepit, vt misereri disceret edoctus experientia miseriarum. Hinc Paul. *Non habemus Pontificem, qui non poßit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia*

Misericordiã didicit Christus, suscipiẽs miserias nostras.

Hebr.4. *nia pro similitudine absque peccato.* sicut amicus, qui eandem tecum patitur infirmitatem, aliter tibi compatitur, quàm is, qui eam non est expertus. Ideoque Paul. *Debuit per omnia fratribus aßimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum; vt repropitiaret delicta populi: in eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Hoc ergò summè nos consolari debet *in omni tribulatione nostra*; quòd eam videt misericors Deus, qui probè nouit infirmitatem nostram, & *pater est misericordiarum*. Hinc Psalm. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam puluis sumus.* Sicut filius magni Regis obsessus ab hostibus, si à patre rescriptum accipiat, quòd infra breue tempus obsidionem soluet, fit securus: ita si ab hostibus impugnaris, Deum patrem inuoca, citò tibi aderit. Noli mærere, *nunquid Rex est tibi, aut consiliarius? Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.* Sic irato Laban in Iacob præcepit Deus: *Caue ne quicquam durius loquaris contra Iacob.* Sic de populo Dei ait Psal. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Hinc didicit illud dicere: *Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.* &c.

Simile. *Hebr.2.* *Psal.102.* *Simile.* *Exempla.* *Mich.4.* *Genes.31.* *Psal.104.* *Psal.117.*

Huius diuinæ misericordiæ, & in suos prouidētiæ præclarum hodiè proponitur exemplum. *Cùm turba, inquit, plurima esset, nec haberent, quod manducarent.* Obliti illi homines erant corporalis cibi propter dulcedinem spiritualis, quem à Christo percipiebant. Hinc Dauid: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Si non experiris hanc dulcedinem, accidit tibi, quod filio, qui extrà domū patris versatur, & ideò benignitatem illius non experitur; aut quod sponsæ, quæ dulcissimum sponsum absentem habens eum non alloquitur, & ideò dulcedinem illius nō sentit. Si tu orationem fugis, si cum Deo nō colloqueris, quomodo dulcedinē illius experieris? Accede ergò ad orationem, *gusta & vide, quoniam suauis est Dominus*, & dulcis tibi erit.

Misericordiæ præclarum exemplum. *Psal.118.* *Simile.* *Simile.* *Dulcedinem verbi diuini, qui non experiantur.* *Psal.33.*

Sed Christi misericordiā & dulcedo in his verbis nunc ostenditur: *Misereor super turbā, quia ecce iam triduo sustinent me.* Verba hæc cōsolatoria sunt, & dulcedine plena. Putasne oblitus Deus est eorū, quæ eius causa agis, aut sustines? Non ita est. Dies numerat ipse, quibus aliqua pateris, vt eū sequaris.

Deus non obliuiscitur eorum, quæ pro ipso agis. *Aug. in Psal. 129 propter legem tuam sustin.* *Ser. 203. 209. 210. 211. 212. de temp.*

sequaris. Audi dicentem: *Ecce triduo sustinent me.* Imò verò & gressus tuos dinumerat, quos das in ei⁹ obsequio; quin & capillos capitis tui. Sic Iob: *Tu quidem gressus meos dinumerâsti.* Et Christus. *Capilli capitis vestri numerati sũt*: quia animas suorum cogitationes bonas in remunerationem perpetua memoria conseruat. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.* Fuitne vnquã in orbe Rex, qui famulo suo mandatum suum leue peragenti, dat ei regnum? Qui hoc faceret, plures hic famulos inueniret. O Rex Regum, quis tibi non inseruiat? *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* illis enim mercedem æternam, regna præparas sempiterna, pro minimis cogitationibus bonis, pro operib⁹ exiguis, imò pro *calice aquæ frigidæ.* O Domine, *excelsus & terribilis, Rex magnus super omnem terram*, quàm magna fecisti, & passus es pro homine infimo? & nihili penduntur: & parua homo prçstat, vt tibi obsequatur, & maximi illa ducis. Numeras nunc, Domine, *triduum*, quo sustinent te; cur, Domine, non numeras çternitatem dierum, quibus in cælo eis gloriam dabis? Plures dies sustines nos, nec illos numeras: numeras verò triduum, quo sustinemus te *Triduo*, ait, *sustinent me* Sed quodnam triduũ? Non triduum passionis tecum sustinent: nõ triduum, quo ignis & fulgura in monte Sina fuerunt: sed triduum adeò facilè & suaue. Maxima hæc pio consolatio esse debet; quòd cùm opera, quibus Deo obsequeris, præstas, Deus te ꝓculdubiò respicit; & numerat momẽta, quibus in oratione coram eo stas (quia non parui pendit eam Deus) aut bonis operibus incumbis. Non sic caro & mundus, qui prædones sunt ac tyrãni. non respiciũt obsequia, quæ illis exhibentur; nec ea curãt, aut mercedem vllã præstant. Ministri Baal inuocabãt de mane vsq; ad meridiem, & incidebãt se cultris, donec perfunderẽtur sanguine, nec audiebatur vox, nec aliquis respõdebat. Ecce stipendiũ, ꝙ mundus, dæmon, & caro suis præstant. Si eis inseruieris, idem tibi continget cũ ijs, quod Iudæ cum Pharisæis. Perpetrato ingenti scelere, venit ad eos dicens, *Peccaui, tradens sanguinẽ iustum.* Sed illi: *Quid ad nos, tu videris.* Hæc ipsa tibi caro & mundus respondebunt, cum in angustijs mortis fueris cõstitutus. Accede ad carnem, & dic ei: O caro, nosti probè, ꝙ tibi vt seruirẽ, Deũ cõtempserim, ideoq; inferni

Lib. 50 homil. ho. 39. N. B. *Iob 14.* *Lucæ 12.* *Hebr. 6.* *Bern 3. serm. de Euang. 7 panum.* Simile. *Merces æterna pro exiguis bonis.* *Psalm. 72.* N. B. *Matth. 10.* *Psal. 46.* Exclamatio. *Christus dies numerat & gressus, quibus ei seruimus.* *Mundus vt prædo nõ respicit labores nostros, nec remunerat.* 3. *Reg. 18.* Exemplũ. *Rom 6.* *Matt. 26. 27.* Exemplũ. *Carnis & mundi respõsa ad seruos suos.*

pœnas commeritus sum; nunc ergò accurre mihi. Respõdebit: *Quid ad me, tu videris.* Accede ad mundum, & dic. Vanitati tuæ obsecutus sum, vt leges tuas seruarem, Dei leges contempsi; omnem substantiam meam profudi, vt tibi placerem; nunc ergò succurre mihi. Dicet: *Quid ad me, tu videris*. Ideò nunc attende, cui adhæreas hero, quem in dominum tuum eligas. Derelinquet te mundus & caro, cùm ægrotare cœperis, sicut herus puerum Aegyptium, quem Dauid inuenit. Quàm diuersum Dei nostri ingenium est? Apparet id in Helia, qui inuocans Deum Israël continuò exauditus est. Quis igitur adhæreat hero, nisi amens, qui nouerit se ab eo derelinquendum in necessitate? Quis Deo non adhæreat, qui adeò fidelis est, vt suis semper adsit; qui ait: *Et erit, antequam clament, ego exaudiam*: qui minima obsequia adeò magnifacit, vt dicat, *Ecce triduo sustinent me*, oportet me eorum necessitati subuenire.

Vide quem Dominum eligas. N.B. 1. *Reg.* 30. 3 *Reg.* 18. Exemplũ. Simile. *Isa.* 65.

Si dimisero eos ieiunos, deficient in via Manifestat 1. Christus curam, quam de suis habet in temporalibus. *Inquirentes enim Dominum, non deficient omni bono.* Et; *Spera in Domino, & fac bonitatem & pasceris in diuitijs eius. Dominus sollicitus est mei* Multi hodiè auari, fures, & meretrices fiunt, vt sibi victum acquirant. Sed *scit Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis*; ideò *solliciti ne sitis*, sed viua spe, quæ firmissima anchora est, præditi. Hanc Patris curam nunc ostendit, dum non petentibus cibum ille parat. Esto tu *ouis pascuæ eius*, & dicere poteris, quod nec Rex, nec Princeps dicere potest, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* 2. his verbis innuit nobis necessitatem sumendæ Eucharistiæ. Fami omninò succurrendum est cibo; aliàs enim homo deficiet. In lege gratiæ homines cęlestes voluit efficere; ideò indigemus cælesti cibo. Homini condito terrenum cibum concessit; cælestibus cælestem. Tollit nos igitur ab animalium mensa, & collocat in Angelorum mensa, quia *Panem Angelorum manducauit homo*; cùm ipse *sit panis, qui de cælo descendit, qui dat vitam mundo*, ne in cæli via deficiamus. Vnde omnibus dicitur, quod Eliæ: *Surge, comede, grandis tibi restat via.* Viam in cælum agimus: grandis profectò via est; surgamus ergò, & vtamur hoc cibo, ne in via deficiamus.

Cura Christi erga suos. *Psal* 33. *Psal.* 36. *Psal.* 30. *Matth.* 6. N. B. *Psal.* 22. *Necessitas sumendæ Eucharistiæ.* *Hieron. in Matth.* 6. *supersubstantialem.* *Exod.* 19. *Psalm.* 77. *Ioan.* 6. 3 *Reg.* 19.

Sed quid respondent discipuli? *Vnde istos quis hic poterit saturare panibus*? Facilè agnoscebant discipuli potentiam Chri-

Luca 9.

Christi, vt mala inferret, vt ignē descēdere faceret de cęlo in Samaritas: in bonum vero, vt satiet hos homines, non credunt Christo inesse potentiam. Et cùm paulò antè vidissent simile aliud miraculum quinque panum iam obliti eius sunt. Huiusce ingenij homines sunt; in malum omnia credunt se posse, vt ludo & vanitati inseruiatur; vt vindictam de inimico sumat, viribus se præstare credit: at vt bona operetur, vt eleëmosynam præstet, substantia ei nulla esse videtur; vt corpus affligat, vires non suppetunt. Contrà verò Paulus. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Iustus omnia bona se possę putat: *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*

Lucæ 9.
Potentiam Christi ad inferēda mala credimus: ad largiendū bona non agnoscimus.
Ad malum potentes: ad bonum imbecilles nos putamus.
Philip. 4.
Isaiæ 40.

Diffidentibus verò discipulis Christus ait: *Quot panes habetis?* Ipse innumeros panes effecturus, voluit paucos panes, qui ibi erant, ab Apostolis dari. Et hoc in reliquis omnibus verum habet. Vult vt minimum, quod possumus, præstemus; ipse verò maximum, quod deest, implebit, addetque. Vult agricolam vnum granum seminare; ipse verò multiplicat. Vult nos mereri gloriam operibus, quæ in se considerata adeò parua sunt; ipse verò superaddit gratia & meritis suis, quod operibus nostris deerat. Sic impleri voluit vasa vacua oleo immissa gutta ex priori vasculo. Ideò semper nobis à diuina gratia sperandum est maxima obtinere dona, si nos parum, quod possumus, præstiterimus. Si aliqua passione vehemēti vrgeris, quam vinci à te impossibile iudicas; Sacramenta frequenta, afflictiones aliquas corpori adhibe & gratia Dei aderit tibi, quæ opus perficiat. Si humilitatem assequi vis, opera humilia adhibe; gratia tibi aderit, humilis euades. *In opere ipsius modicum laborabis, & citò de generationibus illius edes.* Et: *Modicùm laboraui, & inueni mihi multam requiem.*

Christus vult vt quod possumus minimum præstemus; ipse adijcit maximum.
Simile.
Exemplū.
4. Reg. 4.
Paradigma
Paradigma
Eccl. 6.
Eccl. 51.

Et accipiens 7. panes, gratias agens fregit. &c. In manibus Christi panis crescit, ac multiplicatur. Omnia, quæ in eius manu ponuntur, multiplicantur. Obolum dans pauperi, in Christi manus ponis; & ideò crescit in æternam retributionem, vt solus Deus digna illius merces sit. Quod verò in mundi & carnis manus ponis, non solùm non multiplicatur, verùm perit omninò. *Qui enim in carne seminat, metet corruptionem; qui verò in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Vis locuples esse? Sere in terra optima, vt Isaac in

Christo in manibus data multiplicantur.
Paradigma
Mundo datū perit.
Gal. 6.
Exemplū.
Genes. 26.

Gerara, & *centuplum accipies, ac vitam æternám poßidebis.*
Ierem.2. Multi putant, si Deus sterilis terra non est, quòd *sit serotina:*
Deus non est terra sterilis aut serotina. quia promissiones omnes in futurum seruat. Sed sicut non est sterilis, ita nec serotina: nunc enim in præsenti seculo centuplum tribuit. Hinc Sap. *Est homo, qui rapit aliena,*
Prou.11. *& semper in egestate est: est homo, qui dat sua, & abundat.* Et
Psal.36. Psal. *Mutuatur peccator, & non soluet; iustus autem miseretur,*
Prou.3. *& retribuet.* Et iterum Sap. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Si verò in Christi manibus adeò parum crescit panis, quid fiet, si te & vniuersa tua in eius manus poneres? Ideò substantia tua non crescit, quia in terra sterili seminas. Quare non tua solùm, sed & teipsum in Christi manibus pone. Optimum profectò homini est in Dei manu esse. Vnde Psalm. *In manibus tuis sortes meæ.* Quid mihi aptiùs, aut feliciùs esse potest, quàm negotia mea in manibus illis esse, quæ mei causa cruci affixæ sunt: nec meliori loco esse possunt, etiamsi sint in manibus amicissimi, quàm Christi, qui omnia multiplicat, & crescere facit, quæ in manibus eius sunt. Opere hoc Christus comprobat, dum in eius manibus septem panes multiplicantur, vt quatuor millia comedant vsq; ad satietatem, & supersint septem sportæ.

Substantia nostra cur nõ crescat.

Psal.30. *Isaiæ 49.* *Zach.13.* *2.Tim.1.* *N.B.*

Mirum profectò, ac stupendum hoc Christi opus. Sed aliud huic persimile indies operatur, quod assiduitate nobis viluit, cùm tamen maximum sit: quod scilicet vniuersam creaturam pascit adeò facilè, & mirabili vniuersi ordine. quod profectò stupendum est, & proprium diuinæ omnipotentiæ. Non enim posset Rex etiam potentissimus & ditissimus vno die omnes aues pascere cibo cuique apto: quia plurimæ sunt aues, & cibis longè diuersis pascuntur: quod tamen Deus facit quotidiè. Hinc disce, quanta Dei nostri potentia sit ac prouidentia, qui non vno die, sed ab initio mundi vsque in finem pauit, pascit, & pascet homines omnes, vniuersas mundi aues, iumenta, reptilia, pisces; & cuique aptum naturæ cibum præstat. *Qui*
Psal.135. *dat escam omni carni* Et, *Aperis tu manum tuam, et imples omne*
Psal.144. *animal benedictione.*

Creaturas quotidiè tam facilè pascere, opus est omnipotentiæ diuinæ.

Simile.

Dupliciter cibum præparat Deus. Dupliciter cibus à Deo præparari potest omni viuenti, vel quotidiè eum creando, vel sic ordinando vniuersum,

sum', vt quotidiè ex eo procedat alimentum. Si priori ordine Deus mundum pasceret, mirabiliùs appareret hominum oculis, vt nunc in panibus multiplicatis. Sed reuera multò mirabiliùs, & multò sapientiùs Deus mundum pascit, cùm sic constituit vniuersi ordinem, vt hoc die & altero producat mundus cibum conuenientem, ac si Deus per seipsum illum de nouo crearet. Arguit enim maiorem Dei sapientiam ac prouidentiam, dum post sex mille annos tanto ordine causæ naturales producant adeò diuersos cibos, omnibus viuentibus aptos. Ad hoc certè infinita prouidentia ac sapientia opus fuit, quæ sic ordinauit mundi huius horologium, in eoque ordine illud constituit, vt post tantùm tempus in suo perseueret ordine. *Mirabilia, Domine, opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Ex his illud nobis colligendum est, vt misericordiæ tantæ fidamus, eius verbis nitamur, eum sequamur; quia illi curæ nos sumus; ipse ieiunos nos esse non patietur. Si enim prouidus homo cibaria domesticis suis parat, multò magis Deus iustis. &c.

[margin: 1. Nouum quotidiè cibum creare mirabile est. Mirabilius est Deũ pascere producẽdo fructus ex terra. Ratio. Psal. 138. Epilogus.]

DOMINICA VII. POST TRINITATEM.

THEMA: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7.

EX fructu arborem agnosci, Christus hodierno Euangelio docet. Merito ergò Mariam benedictam possumus appellare; quia *benedictus fructus ventris* illius: qui cùm sit infiniti valoris, quanti erit, obsecro, arbor illum producens, cùm ex illa Christus fructus vitæ collectus sit. Ad eam ergò accedamus, vt gratiæ fructum colligamus. &c.

[margin: Maria arbor benedicta. Lucæ 1.]

Impugnata Ecclesia fuit sæpè, sed omnes eius persecutiones ad tria capita reducuntur. Prima persecutio fuit tyrannorum, qui sanguinem martyrum fuderunt. Secunda hæreticorum, qui falsa dogmata seminarunt. Tertia fidelium, sed peccatorum, qui ore & fide

[margin: Persecutiones Ecclesiæ à tribus hominum generibus. Bern. ser. 33. in Cant.]

Isaiæ 38. in pace amaritudo mea amarißima. & fide Deum confeßi sunt, sed operibus ac factis negarunt.

1. persecutio tyrannorum. Leo ser. 1. in Nata. Apost. Pet & Paul. De prima persecutione tyrannorum plura Christus dixerat paulò superiùs: de duobus seqq. eos admonet in hoc Euangelio. Prima persecutione non est minuta, sed mirũ in modum aucta est, & creuit Ecclesia: putabant tyranni perdere Dei grana, sed vno occiso martyre plures surgebant fideles.

II. persecutio hæreticorũ. Aug. libr. 18. de ciuit. Dei, cap 51. Exod. 1. Hæreticos cur Deus permittat. 1. Cor. 11. Deut. 13. Videns itaque Dæmon hac tyrannorum persecutione Ecclesiam proficere, non deficere; (quia ei accidebat, quod filijs Isräel, *quanto magis opprimebant eos Aegyptij, tanto magis multiplicabantur, & crescebant*) genus aliud persecutorum excitauit in Ecclesia, falsos Prophetas. de quibus initio huius Euangelij Christus loquitur: *Attendite à falsis Prophetis.* Hos permittit Deus Ecclesiam impugnare, vt veros fideles tentet, & *qui probati sunt, manifesti fiant*. Hinc dicitur. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi; Eamus & sequamur Deos alienos: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* *Simile.* Sicut enim in bello fortis agonista non agnoscitur, nisi aduersario *Vincentius Lyrinens.* reluctante; sic fortitudo & fides Ecclesiæ non apparere, nisi essent hæretici. Hinc Origenem, Tertullianum, & alios, qui erant Ecclesiæ lumina, permisit Deus errare, vt fidelium fides probaretur. Cùm ergò nunc audis nationũ diuersarum errores, & viros insignes scientia errare, caue, *Gal. 1.* ne scandalizeris. Sed *& si nos*, ait Paulus, *aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis, præter id, quod euangelizatum est, anathema sit.*

1. Falsorũ Prophetarum dignoscendorũ signum. Sed signum, quo hi falsi Prophetæ dignoscentur, Christus hodiè nobis proponit, dicens: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Pelle teguntur ouina, quia Christum & Euangelium iactant, sed lupi sunt. Ecce chimæram Christianam, lupus & ouis simul. Sed vnde dignoscendi? *A fructibus*, id est, operibus; *quia non potest arbor mala bonos fructus facere, nec bona malos.* Doctrina falsa innumera mala opera gignit. An non hoc conspeximus hac

nostra tempestate? Lutheri dogma quænam opera peperit. Certè omnem luxuriam, immunditiam, & licentiam in moribus. *Non est hæc sapientia de sursum descendens à Patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiæ & fructibus bonis, iudicans sine simulatione.* Ex his fructibus dignoscenda vera doctrina est à falsa; per opera nanque dignoscitur verus & falsus Propheta.

II. Sed quoniam opera veri & falsi Prophetæ aliquando non ita manifesta sunt, aliud nobis relictum est signum in Ecclesia, vt veram doctrinam à falsa dignoscamus; & hæc est SEDES PETRI, doctrina ROMANAE ECCLESIAE *quæ est columna & firmamentum veritatis.* Simile quid olim præscripserat Dominus. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris; surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus? veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis. &c. quæresque ab eis; qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. QVI AVTEM SVPERBIERIT, NOLENS OBEDIRE SACERDOTIS IMPERIO, QVI EO TEMPORE MINISTRAT DOMINO DEO TVO, EX DECRETO IVDICIS MORIETVR HOMO ILLE.* Simili ratione nos habere debemus, si varias iactari doctrinas viderimus, contraria dogmata, eamus ad summum Pontificem, ad Petri sedem, cui promissum est: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et hæc est *Petra, refugium herinacijs.* Sicut ille præsentiens tempestatem, ad petram confugit, ne huc illucq; iactetur, & sic securus redditur: ita ne iacteris *omni vento doctrinæ*, ne in tempestate & varietate dogmatum pereas, adhære Petræ illi, de qua dicitur. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sicut Lydio lapide metalla dignoscuntur & eorum pretium atq; perfectio: sic hæc petra separat pretiosum à vili, veram doctrinam à falsa, veros Prophetas à falsis; hęc est *Petra refugium herinaceis.*

Sed iam de tertia Ecclesiæ persecutione dicamus, quã à filijs prauis patitur, qui cum arbores sint in Ecclesia plã-

tatæ,

Iac.3.

Bern. ser 1. in die nata. Do. Sola quæ ex Deo est sapientia salutaris est, prim. ꝟ pudica, deinde pacifica. Nam sapientia carnis voluptuosa est non pudica; tumultuosa est non pacifica: quærit, quæ sua sunt, nõ quæ Iesu Christi. Sapientia verò Dei pudica est, vt non suam quisq; faciat voluntatem sed consideret quæ sit voluntas Dei. Deinde pacifica non abũdans suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio vel iudicio.

1. *Tim.3.*

Deut.17.

N.

Signum secundum. Fides Romanæ Ecclesiæ. Lucæ 22. Ioan.21. Psal.103. Simile hieroglyphicum. *Ephes.4. Matth.16.* Simile.

tatæ, fructum non referunt: sed satis sibi putant, si Christũ dominum dicant, licèt non faciant, quæ ille præcipit. de quib. nunc pronunciat: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*. Et iterum: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei*. Sæpissimè in diuina scriptura homines dicuntur arbores. vt Iudic. 9. *Ierunt ligna agri*. &c. & Zach. 11 *Aperi libane portas tuas* &c. & Nabuchodonozor arbor dicitur: & Cæcus dicit, *Vide homines sicut arbores ambulantes*. Meritò verò homo arbor appellatur: quia sicut arbor ad sui incrementum indiget succo terræ, & rore cœlesti: ita homo propter corpus indiget terrena substantia; propter animam verò, vt illa perficiatur, indiget *pluuia illa voluntaria, quam segregauit Deus hæreditati suæ*.

Luc. 6. *Iudic. 9.* *Dan. 4.* *Marc. 8.* *Homo cur dicatur arbor.* *Psal. 67.*

Arbores autem sunt in duplici genere: quædam sunt fructiferæ, quædam sine fructu. Primæ seruantur, vt fructum referant; secundæ in ignem succiduntur. Ita hominum quidam sunt boni, qui *fructum suum dant in tempore suo tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*. Contra verò peccatores sunt *arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ*. *Autumnales* dicit, vel quia in autumno plantatæ serò fructum referunt: vel quia in autumno iam arbores sunt sine fructu. *Bis mortuas* dicit, quia exterius & interius mortui sunt corde & opere. *Eradicatas* dicit, quia à Deo & eius charitate auulsi. *In charitate radicati & fundati* iusti sunt: & *qui manet in charitate, in Deo manet*. An non optimo in prædio plantatus iustus est, cùm in Deo maneat? an nõ præclarum referet fructum? Hinc de peccatore & iusto loquens Propheta Ierem. istum *miricæ in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili* comparat; cuius fructus nullius est momenti, & rami illius infelices: hunc verò *ligno, quod transplantatur super aquas, & erit folium eius viride; & non timebit cùm venerit æstus, nec aliquando desinet facere fructum*. Ingressuris in terram promissam præcipitur: *Non succides arbores, de quibus vesci potes. Si quæ autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in cæteros apta vsus, succide*. Peccatores enim succidendi sunt, iusti verò non succidendi sed transplantandi in cælestem patriam. Fructum maximè

Arbores duplices fructiferæ et infructiferæ: sic & homines. *Psal. 1.* *Peccatores sunt arbores autumnales.* *Bis mortuæ.* *Eradicatæ.* *Psal 51.* *Eph. 3.* *1. Ioan. 4.* Simile. *Ierem. 17.* *Myricæ natura cui iniustus aßimilatur.* *Lignum trãsplantatũ iustus.* Typus. *Deut. 20.*

Deus ab homine requirit. Inter alias causas, quibus Deus iratus erat Achab, illarum vna fuit, quod fructiferam vineam Naboth vertit in hortũ voluptatis; in quo nõ fructus sed vani flosculi esse solent. Inspice nunc, ô homo, animam tuã, quę hortus Dei est, an sit floribus abundans an fructibus. Delectatur enim Deus *ingredi in hortum arboribus consitum*, fructum bonorum operum, nõ vana folia, ferentem. Accessit Iesus, cùm tempus non esset ficuum, ad ficulneam, vt fructum colligeret, quo non inuento, maledixit ficulneæ, & altera die aruerat; vt innuat aliquãdo videri homini non esse tempus fructus referendi, & sic negligit fructum dare, dicens: Nunc iuuenis sum; *Coronabo me rosis* &c. senectus veniet, & tunc fructũ Deo reddam. Et dum hæc cogitat, succiditur à Deo, & maledicitur, vt ex eo *fructus nunquam nascatur*.

Excidetur. Similitudinem huius rei proponit Christus de homine, *qui habebat ficulneam in vinea sua, & venit trib. annis quærens fructum, & non inuenit. Et ait cultori vineæ Succide ergò illam: Vt quid etiam terram occupat?* Te rogo, quot anni sunt, quibus plantatus in Ecclesia es, nec fructum bonum dedisti? ideò dominus ait. *Succide arborem: præcidite ramos*; vt olim de Nabuchodonozore dixit. Et ait angelus custos, qui cultor est eius: *Domine, sustine & hoc anno*, forsan fructum referet: quem si non dederit, succidatur. *Si enim naturalibus ramis non pepercit, nec tibi fortè parcet*. Nec putes satis tibi esse, si folia habeas, si fidem nudam, si verba bona, quibus fidem profiteris, dicens: *Domine, domine*. Non enim *in sermone est regnum Dei, sed in virtute*. Delectatur Deus fructu, dęmon verò folijs. Hoc ergò animo insideat tuo, etiam si maxima fueris arbor, cęlos altitudine pertingens, vt Nabuchodonozor, si Deo fructum non dederis, excidêris, vt ille, & in ignem mitteris. Vis multorum similium excisionem videre? audi Prophet. *Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias &c. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt* Quanta est pueri inscitia, qui domunculam luteam construẽs, si destruatur ab alio puero, dolet, & plorat de paruo incõmodo, & maximum non curat? Sic annon meritò ridendi sumus, qui æterna bona, & dãna animę non curamus, temporalium verò amissionem dolemus? *Vsquequo paruuli di-*

Peccatores succidendi. Iusti transplantandi. 3. *Reg.* 21.
Typus infrugiferorum.
N.B.
Esth. 6.
Typus.
Matth. 21.
Marc. 11.
Exemplũ ficus aridę.
Sap. 2.
Fructuum tẽpus semper præsens.
Similitudo, ficulneæ infrugiferæ.
N. B.
Dan 4.
Rom. 11.
Fidei nudæ folia non sufficiunt corã Deo.
Dæmõ folijs contẽtus est.
Exemplũ.
Baruch. 3.
Simile.
Pro. 1.

1.Cor.14. *li diligitis infantiam? Nolite pueri effici sensibus: sed malitia paruuli estote; sensibus autem perfecti.* Fructum ergò bonum redde, ne excidaris.

Duplex peccati malum, cui duplex pœna respondet.

Sed terret valdè illud: *Et in ignem mittetur.* Duplex peccati malum est, auersio à Deo incommutabili bono, & conuersio ad incommutabile bonum: duplex illi pœna respondet, pœna damni auersioni, quæ significatur verbo illo, *excidetur*; & pœna sensus, conuersioni inordinatę ad creaturas quę his verbis significatur; *et in ignē mittetur.* Quo ostenditur summum peccati malum, quod à Deo separat in æternum, priuans æterno bono; & tanta pœna ignis dignum est, quæ infligitur à Deo, qui ipsa bonitas & charitas est Si mater filium habens vnicum, eumq; ardenter amans, eum ob graue piaculum proprijs manibus in fornacem ignis mittat, vt ibi comburatur, & non consumatur per mille & amplius annos, nec tamen misericordia super illum moueretur, an non stupendum hoc esset? & inauditum piaculum esse diceres, quod tanta pœna est dignum? Nunc conuerte oculos in Deum; qui pater est amantissimus, imò plus quàm amantissima mater; & in peccatorem, quem infinita dilectione prosequitur. Nihilominus tamen adeò peccato irritatur, vt à se peccatorem proijciat, & in ignem mittat æternum; & post decem mille millia annorum ardentem videns non miseretur, sed ait: *Ego quoq; in interitu vestro ridebo, et subsannabo; cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* nec in æternum misericordia flectetur; sed dicet, *Congregabo super eos mala. & sagittas meas complebo in eis.* Sed ô miser peccator, *qui bibis iniquitatem, quasi arenam*, te interrogo: *Quis vestrum habitare poterit cum igne deuorante, & cum ardoribus sempiternis?* Qui paruum dolorem sustinere non vales, qui ad momentū manum in igne tenere non potes, quomodo sustinebis inferni ignem æternum? néc ignem tantùm, sed viuacissimum, sed deuorantem, sed intima penetrantem? Si hūc ignem non times, & fugis, quid times, quid fugis? Vnicū tibi remedium restat, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, vt arbor sis paradisi, vt non succidaris, sed serueris in cælestem paradisum; quo tandem transferis cum fructu tuo. &c.

N. peccati malitiam summam.
Simile.

Matth.23.
Isa. 49.
Ira Dei in peccatores maxima.

Prouerb.1.

A minori ad maius.
N.B.
ô miser peccator.

Lucæ 3.
Matth.3.
Marc.1.

IN

IN EADEM DOMINICA SEPTIMA.

THEMA: *Arbor bona bonos fructus facit.* Math. 7.

DVAE insignes sunt arbores, de quibus diuina Scriptura sæpè meminit; vna plantata in cælo, & inde trāsplantata in terris; altera verò plātata in terra, vt inde tranferatur in cælos. Prior arbor Christus est, qui à cęlesti patre procedens *germen est Domini in magnificentia & gloria;* & propter humanitatem, quam induit ex Virgine, *fructus terræ sublimis.* Hic est *cedrus illa sublimis & magna, sub qua habitabunt omnes volucres,* id est, omnes iusti sub rege Messia, vt in eo nificent, & quiescāt. Insitus est Christus Dominus in mundo, & sic fructum retulit; cùm prius mundus esset oleaster, nunc *insertus est in bonam oliuam;* (de qua dicitur; *Ego autē sicut oliua fructifera in domo Dei mei*) *& particeps pinguedinis oliuæ factus est.* Fructus verò huius diuinæ arboris numerari non possunt. Vniuersa gratia, & dona, & gloria, & demùm iusti omnes fructus huius arboris sunt.

Christus & homo duæ insignes arbores.
Esaiæ 4.
Aug lib. 17. de ciu. Dei, c. 8. 9 10. 11. 12
Ezech. 17.
Petr. *Gal. li. 3 de arc. cath. ver. c. 22. 25. 26.*
Rom. 11.
Psal. 51.
Fructus diuinæ arboris.

Altera arbor homo est, qui à Philosopho dicitur arbor inuersa. Eum Deus produxit de terra, & transtulit in paradisum terrestrem, significans in cælos aliquando transplantandum fore Plantatur fidelis in Ecclesia, rigatur aqua baptismi, vt radices mittat & viuat: Confirmatione munitur ac consolidatur: & qui dona ac gratiam accepit in Baptismo, in Confirmatione accipit Spiritum sanctum in tutorem ac curatorem, qui ea dona custodiat, ac multiplicet. Pœnitentia superfluos ramos huius arboris tollit. Eucharistia nutrit & crescere facit. Optimè profectò diuina prouidentia huic arbori prouidit, at fructum reddat.

Homo arbor Arist.
Fidelis plātatur in Ecclesia.
Baptismo rigatur.
Confirmatione munitur
Pœnitentia purgatur.
Eucharistia nutritur, vt crescat.

Fructus autem gratus ex hac arbore colligitur, si accedat ad primam arborem, si ei adhæreat. Vniuersa hominis calamitas inde procedit, quod ad dęmonem accedat, Deo reiecto; sicut Sichimitæ fecerunt eligentes Abimelec & reijcientes filios Gedeon. Eligis dæmonem in Regem? egredietur ignis ex eo, & consumet te: excideris & in ignem mitteris: & cùm culpæ dæmonis sis particeps, eris

Fructus humanæ arboris quando grati.
Exemplū.
Iudic. 9.
*N. B.
Greg. lib. 20 c. 16. in Iob. 30. & esse

eris & supplicij. Vis fructum referre? Desere dæmonem, accede ad Christum, qui est *Arbor vitæ in medio paradisi*; ad quam accedens viues in æternum.

Cùm igitur vulgus hominum cæcum sit, & cæcus ductore bono indigeat, ducet te ad Christum; ne si seductor sit, ducat te ad dæmonem. Ideo maxima cura inspiciendum tibi est, quem eligas magistrum. Hinc Christus initio Euangelij monet: *Attendite à falsis Prophetis*: de quibus se liberari orabat Psal. *Libera me de manu filiorum alienorum; quorum os locutum est vanitatem; & dextera eorum, dextera iniquitatis*. Contendit sæpissimè in diuinis literis dominus cum falsis Prophetis, quia promittebant populo bona, ac pacem; cùm Deum iratum haberent propter peccata, & sic peccatores non se emendabant, & ira Dei adueniens eos perdebat. Sic deceptus Achab perijt in bello. Quibus Prophetis nunc alij persimiles sunt, qui homines seducunt, & viam cæli amplam dicunt, cùm Christus auctam pronunciauerit; & sic securos reddunt, & in infernum detrudunt. Ad quos Dominus: *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, eò quòd deceperint populum meum, dicentes, Pax; & non est pax. ipse ædificabat parietem, ipsi autem liniebant eum luto absq; paleis.* &c. Paries peccati duritiam significat: qui nos a Deo diuidit, quia *peccata vestra, diuiserunt inter vos & Deum vestrum*. Parietem liniunt, qui peccãtibus adulantur. Lutum sine paleis est doctrina, cuius falsitas citò deprehẽdi potest. Quod verò accidit Regi Achab, qui quærenti Iosaphat regi Iudæ; *Non est hic Propheta Domini* &c. respondit.? *Remansit vir vnus, sed ego odi eum; quia non prophetat mihi bonum sed malum*: & sic spiritus mendax in ore omnium prophetarum egrediens decepit eum, & perijt: hoc nunc pluribus peccatoribus contingit, quorum *iniquitas inuenta est ad odium*: accedunt ad confessarium rectum, qui veritatem eos docet, quam illi audire nolunt, & ideò alios quærunt confessarios, vel consiliarios, qui eis pro voto suo respondeant. Deus verò propter eorũ peccata permittit, vt sint falsi Prophetę, qui eos decipiant, & absolutionem concedant, cum ligandi essent: & ideo nec eis absolutio prodest, quia in peccato perseuerant, vel non restituunt ea, quæ restituere tenentur; & sic pereunt. Ideò Sap. *A consiliario prauo ser-*

ua te.

Sub sertib delitias computabant.
Origo omnis mali.
Dæmon seductor; & omnes; qui ad eũ ducunt.
Psal.143.
Exempla.
Ierem.14.23. & 27.
Hieron. in Ose.7.
Ambr.4.
Aug in Psal. 67.congr. taur. in vac. pop.
Matth.7.
Luc.13.
Ezech.13.
Paries peccati duritia.
Isa.50.
Greg. lib.18. Mor.c.4.
Lutum falsitas doctrinæ.
Exemplũ.
3.Reg.22.
Psal.35.
Cõfessarium rectum non eligentes in falsos incidunt.
2.Thess.2.
Immittet illis operatio-em erroris, vt credant mendacio. Ezech.14. Eccl.37.

na animam tuam: à confessario indocto vel prauo recede, ne fortè te decipiat; & credas te in viam rectam induci, & viam teneas perditionis. Consulis confessarium idiotam & inscium? doctrina illius *lutum est sine paleis*: nec enim rectum consilium præstabit in difficilibus, qui doctrina imbutus non est; & ipse tibi testis es, qui paruam eius dictis adhibes fidem; sed aliqua consolatione inani leuari vis, retinens alienam substantiam, & ideò ad eum accessisti. Sed quanta ira Deus moueatur in eos, qui quærunt Prophetas & doctores, qui illis respondeant, non quod verum est, sed quod illis placet, audi ab Isa. *Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt Videntibus, nolite videre: & aspicientibus: Nolite nobis aspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia; videte nobis errores.* &c. *Propterea hæc dicit Dominus: Pro eo quòd reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia, erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio eius.* Si cæcus tu es, & à cæco ducatum quæris, an non ambo in foueam cadetis? Ad hos per Ezech. Dominus. *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas: & viuificant animas propter pugillum hordei, & fragmen panis. quæ non viuunt, mentientes populo meo, credenti mendacijs.* Ad hoc puluillus ponitur, vt mollius quiescatur. Quisquis malè agentibus adulatur, puluillum sub capite vel cubito ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Permittit verò eos decipi propter peccata: hinc per Ezech. Dominus. *Si alienatus fuerit à me, & scandalum iniquitatis suæ posuerit contra faciem meam, & venerit ad Prophetam, vt interroget eum per me; Propheta cùm errauerit, ego Dominus decepi Prophetam illum,* id est, decipi permisi, sicut Prophetas Achab.

A Confessario indocto & inscio cauendum.

N. B. Confessarius idiota cur eligatur.

Isa. 30.

Ira Dei in Confessarios loquentes placentia.

Rom. 2.
Matth. 15.
Luc. 6.
Ezech. 13.

Greg. lib. 18 c. 4. in Iob 27.

Puluillos ponentes qui sint.

Ezech. 14.
3. Reg. 22.

Sed attende simulationem falsorum Prophetarum. *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Extrinsecus veste ouium induti sunt; nec enim aliter decipere possent. Vide legem naturæ, quam Deus menti nostræ inseruit. Malus enim, licet malus esse velit, fugit, ne dicatur malus. Adultor licet sit & periurus; non tamen talis dici, sed erubescit eo nomine audito: quia na-

Falsorum Prophetarũ simulatio.

Chrys. hom de fid et spir. san. tom. 3.

Malus dici nō vult malus. tura licet malis immersa, erubescit malum, & amplecti-
tur bonum saltem nomen. Quot mala fiunt in mūdo? &
N. B. tamen persona caret malum. Qui decipit, veritatem si-
mulans decipit. Similiter latro se fingit fidelem adulter
castum. Vides quod propriam personam non habet ma-
litia, sed personam virtutis assumit? Ideo *falsi Prophetæ ve-*
Exuenda vetus est vestis, et induēda noua. *niunt in vestimentis ouium*: natura bonum suum amplexa-
tur, etiamsi voluntas diuersum eligit.

Hæc simulatio quoque inuenitur in multis alijs, qui
Dei vestem induunt, cùm intus diaboli vestimento in-
3. Cor. 5. duti sint. *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* Vt induamus
Chrys. hom. 24. in Math. 7. Hom. 49. oper. imp. in Matth. 7. gloriosam carnem, exuenda est vetus: nos verò vellemus
vt indueremur gloria, nec exueremur hac misera carne:
vellemus Dei tunicam super nostram pannosam poni.
Hoc efficiunt omnes hypocritæ; exterius induuntur Dei
veste, cùm interius lateat eorum vilis vestris: non exuūt
Bern. serm. 66. in Cant. *veterem hominem cum actibus suis*; sed nouum exterius in-
duunt, simulantes *pietatem; sed virtutem eius* abnegantes,
Eph. 4. Col. 3. cùm *interius sint lupi rapaces*: venenum sub saccaro osten-
tant.

Vera quedā sunt: quedā apparent vera, & falsa sunt. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, ait Christus. In omni-
bus mundi rebus inueniemus quædam, quæ vera sunt;
& alia, quæ apparent, sed falsa sunt. Sicut est aurum & au-
richalcum, argētū & alchymia: sic vera & falsa iustitia, ve-
Simile. tæ & falsę diuitiæ? Et aliquando quędam falsa veris sunt
Falsa veris aliquando probabiliora. probabiliora, quia vestimentū veritatis adeò apparēs in-
duūt, vt veriora videantur veris. Et hæc est origo omni-
um malorum: quia sæpè homines pro veris bonis appa-
rentia bona sectantur; & falsi Prophetæ falsitatem dicūt
Isa. 5. veritatem, vt homines decipiant: Hinc Proph. *Væ qui di-*
Orig. lib. 10. in Rom. 14. *citis bonum malum, & malum bonum.* &c. Hæc verò iustorum
& prauorum est diuersitas; quòd iusti vera agnoscunt bo-
Hom. 7. in Ezech. na, quia *Filij lucis* sunt: & luce rei veritatis dignoscitur, &
falsitas agnoscitur: ideò quærunt *bonas margaritas*, non a-
Eph. 5. dulterinas. Peccatores verò, in tenebris ambulantes, vt cę-
1. Thess. 5. ci, decipiuntur.

Matth. 13. Vt rectum habeamus rerum iudicium, Christus nobis
Christus vera à falsis discernere docet. tanquam Lydius lapis datus est. Vis nosse, quæ vera sint
bona, quę vilia, & nihili facienda? Christum consule, qui
vocat fallaces diuitias omnes mundi, & spinas, verbum
Dei suffocantes: contrà, virtutem verum esse bonum &
sum-

summè expetendum. Veri Prophetæ est ad Christi exemplum nihil agere, quàm Dei negotium, temporalia spernere, honores fugere. Falsi verò Prophetæ amant primas cathedras, & temporalia sectantur. Addit Christus.

Veri Prophetæ officium.
Falsi Prophetæ studium.

Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala bonos fructus facere; igitur ex fructibus eorũ cognoscetis eos. Quod exponit exemplo spinarum & ficus. Qua de re optimè Ioannes. *Omnis; qui in eo manet, non peccat; & omnis, qui peccat, non vidit, nec nouit eum. Filioli, nemo vos seducat; qui facit iustitiam iustus est: sicut ille iustus est. qui facit peccatum ex Diabolo est; quia ab initio diabolus peccat. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* &c. Iustus in Deo manens, non peccat mortaliter: id faciens non manet in Deo fide viua, & cognitione sapientiæ, qua Deus gustatur. Non potest igitur iustus peccare, quãdiu *semen Dei in eo manet.* id est, gratia & verbum eius. Alioquin *potest se iustus auertere à iustitia, & facere iniquitatem*: peccator etiam se auertere à peccato, & facere iustitiam: Et *sic arbor bona potest malum fructum facere, & arbor mala bonum*; non quamdiu illa bona, & hæc mala; sed quia possunt mutari; liberi enim sunt arbitrio.

1. Ioan. 3.
Iustus quomodo non posit esse arbor mala: & impius quomodo non posit esse arbor bona.
D Tho. Glossa. in 1. Ioa. 3.
Ezech. 33.

Nihilominus de iusto dicitur, *non peccat*; & arbor bona non facit fructum malum: quia tantum malum peccatũ est, vt impossibile appareat illud à iusto admitti posse. Sic Ioseph: *Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit, &c. quomodo ergò possum hoc malum facere, & peccare in dominum meum?* Ecce dicentem, non posse se peccare. Quod verò homo possit peccare, miratur Dominus, *Ecce*, inquit, *locuta es & fecisti mala: & potuisti?* q. d. Impossibile tibi hoc esse debuit: quomodo illud perpetrare voluisti?

Iustus quomodo non posit peccare.
Gen. 39.
Ierem. 3.

Vt ergo signum certum, quo pij ab impijs distinguantur, ostendat Christus, ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, domine.* &c. *Nõ enim*, vt Paul. ait, *legis auditores iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Hinc ad quosdã Christus: *Quid vocatis me Domine, & non facitis, quæ dico?* &c. Hoc ergo animo insideat tuo, nõ satis te dedisse Deo, si linguã & cętera exteriora dederis, nisi cor integrum ei tradideris. Hinc Ioan. *Fratres mei, non diligamus verbo, neq; lingua sed opere & veritate.* Vis nosse, an toto corde diligas Deũ? Superædifica supra petram: tentatio te à Deo non moueat. Tentatio enim manifestat veritatẽ cordis. Qui tẽtatione ingruente statim ruit, amicus nõ est Dei ex toto corde, su-

Distinctio piorum ab impijs.
Rom. 2.
Lucæ 6.
Matth. 7.
1. Ioan. 3.
Aedificantes supra petrã.

Amicus Dei non est, qui tentatione mouetur. per firmam petram ædificium non extruxit: ore tantùm & lingua dilexit. Sed Deo satis non sunt folia verborum, nisi fructum dederis cordis & operis.

Fructus noster. Sed quis fructus noster? *Qui fecerit voluntatem patris mei.* *Gen. 24.* Sic seruus Abrahæ Eliezer ait? *Non comedam, nisi prius loquar sermones meos*: comedere noluit, quia illius erat mandatum domini iniunctum perficere. Audi Christum: *Exemplũ Ioan. 4.* *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Vis tu fidelis Dei seruus esse? Fac patris voluntatem. Aliqui pu*Fidelis serui officium.* tant seruos Dei se præstare, cùm faciunt voluntatem suã non Dei: & aliqua sibi præscribunt, bona quidem, & cer*Isa. 58.* ta ieiunia, orationes, peregrinationes; & hęc prę stãt summa diligentia; diuina verò præcepta negligunt: ideò ieiunant, & non aspicit; orant, nec exaudit eos Deus: quia *hæc* *Matth 23.* *oportuit facere, & illa non omittere.* Primùm omnium im*Ordo in præceptis seruãdus.* ple diuina præcepta, deinde Ecclesię mandata, postea quę statum tuum decent, postremò deuotiones tuas, quas propofuisti: quæ enim ordinata sunt, Deo placent. *1. Cor 14.*

Epilogus. Ex dictis ergò omnibus colligitur, arborem te esse, Dei manu in Ecclesia plantatam, vt ex illa transferaris in cęlum: cùm verò à diuina manu plantatus sis, fructum à te Deus iustè requirit. *Quis enim plantat vineam, & de fructu eius non edit.* *1 Cor. 9.* Hic verò fructus est, impletio diuinæ volunta*Verbum durum.* tis; quem si retuleris transplantandus es in cælestem patriam: si verò secus, excideris & in ignem mitteris. O ver*Matth. 25.* bum durum & asperum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, & ad pœnas tantas. Noli dolere vicem iusti, cùm *Iusti vices non sunt dolendæ, & quare.* opprimitur, quia Deum habet: Deo in anima præsente, nihil illi mali est: si verò Deus longè ab anima est, nihil illi boni est; quia *excidetur & in ignem mittetur*, vbi diuinæ minæ implebuntur formidinis plenæ. *Viuo ego, dicit Domi-* *Deut. 32.* *nus, si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium* *Dei ira describitur.* *manus mea, reddam vltionem hostibus meis*: &c. Nunc Dei gladius acutus non est: quia non vlciscitur scelus val*Iob. 35.* dè: tunc *acuet dicam iram in lanceam: vt fulgur*: quia sicut *Sap. 5.* fulguri nemo resistit, ita nec irato Deo: & sicut fulgur subito venit, sic & diuina vltio. *Et arripuerit iudicium manus* *mea*: nunc per alios punit, tunc manu propria vltionem *Heb. 10.* sumet. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Sequitur. *Inebriabo sagittas meas sanguine.* Quænam dei sagittæ? *Sap. 5.* *Induet armaturam zelus eius.* &c. Dei arma zelus illius est, *Arma Dei i rai.*

ira,

ira, potentia & ſapientia &c. Inebriabuntur autem ſanguine, quia in finita vltione & duratione inæternum permanebant. *Et ſagittas meas complebo in eis*, id eſt, vniuerſa in in eos mala mittam: nulla erit mali ſagitta, quam eos nõ mittam. Vt ergò mala tanta declines, fructum redde Deo gratum.

DOMINICA VIII. POST TRINITATEM.

THEMA: *Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16.

VIDENS Iſaias ſecuritatem ac obliuionem filiorũ hominum, clamat: *Formido, fouea, et laqueus ſuper te, qui habitator es terræ.* q d O homo, qui in terris verſaris, agnoſce, quod in medio laqueorum es, foueæ ſunt vndiq; & plura, quæ pauere debes. Sed inquiris, quis tot retia tendit, tot foueas parat? Certè dæmon, cuius figuram geſſit Nemrod, *qui erat robuſtus venator coram Domino*, non præcipuè ferarum, ſed hominum. Tanta enim fortitudine præditus erat, tantaq; aſtutia, vt nullus hominũ ab eius laqueis liberari poſſet. Qua in re manifeſtè Sathanæ figura fuit: à cuius laqueis vix homo liberari poteſt. Sed quis huius venatoris laqueus præcipuus? Certè incuria & negligentia peccatoris, qui cùm diſſipauerit bona Dei ſui, nihil curat, quaſi nihil egiſſet; nec putat ſe rationem redditurũ, quaſi ſua omnia eſſent, quі diſſipat: cumque ſubito in iudicium vocetur, in foueam cadit, vnde emergere non valet. Laquei dæmonis ſunt vniuerſa peccata: ab his facilè liberatur homo, quando vigilat: ſed laqueo incuriæ ac negligentiæ ſecurè eum dæmon ligatũ tenet. Vt vero hanc abijciamus, & noſtra circũſpiciamus proponitur in Euangelio homo villicus, à quo ratio exigitur, & ille ſe ſuaq; curans, liberatus eſt: vt ab eo nos diſcamus, iudicium timere, & ad illud nos parare, & remedium eleemoſynæ ſumere. Hæc Euangelij ſumma eſt.

Securitas hominum.
Iſa. 24.
Periculum hominum.
Hieron. ſuper Mich. 5.
Beda ſuper Gen.
Gloſſa ibid.
Geneſ. 10.
Allegoria.
Lyra.
D. Thom in hunc locum Gen.
Negligentia peccatoris laqueus Sathanæ præcipuus.
Pecca a omnia dæmonis laquei.

Homo quidam erat diues. Hic homo Deum ſignificat, de quo Pſal. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Et Paul. *Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum.* Vis eius poſſeſſionem noſſe? *Meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius.* Imo omniũ creaturarum poſſeſſió nullas addit

Homo diues Deus.
Pſal. 111.
Rom. 10.
Pſal. 49.
Pſal. 23.

Creaturæ Deum non faciunt diuitem. Deo diuitias. Nihil amplius est Deus cum vniuerso mundo, quàm Deus solus: quia cùm sit infinitus, nihil ei adijcis, etiamsi vniuersum mũdum adijcias. Hunc Deum sic attendere debemus, quasi nihil sit pręter ipsum; & tamen pauci eum diligunt. Omnes alii thesauri diliguntur, & tu thesaure infinite despiceris, & nihil haberis.

Villicus homo. Hic adeò diues *habebat villicum*, qui est villæ custos, quam cõdidit. Hic villicus homo est. Sed quęnam ei tradita est villa? Non vna, sed plures. *Villa homini tradita.* Tradita est tibi villa mundi huius, villa corporis tui, villa animæ tuæ, & villa etiam proximi tui: & de his omnibus fructum colligere debes domino tuo. *Fructus mundi.* Fructus mũdi huius temporalia sunt, quæ Deo tribuere debes, ea consumens iuxta Dei volũtatem. *Fructus corporis.* Corporis fructus externa opera sunt, quę etiam Deo debentur, tanquam corporis conditori. Hinc Paul. *Rom. 6.* *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ad iniquitatem; ita exhibete nunc seruire iustitiæ in sanctificationē.* *Fructus animæ.* Animę fructus, opera interiora sunt, quæ Deo præcipuè debentur. *Fructus proximi.* Proximus etiam nobis est demandatus: quia *vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo*; *Eccli. 17.* vt ei bona curemus: pręcipuè verò hoc prælatis incumbit. Hinc Paul. *Heb. 13.* *Obedite Præpositis vestris: ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Exemplũ. Sic D. Ioannes commendatum iuuenem ab Episcopo tãquàm depositum repetijt: sed cùm audiret, Perijt, factus est dux latronum, Ioannes equo præparato in desertum venit, & fugientem insequitur, & ad Deum reducit. *Euseb. lib. 3. hist. Eccles. cap. 17.* Hoc opus est Prælatorum.

Homo non dominus, sed dispensatur. Sed considerandum est, hominem non dici dominũ, sed *villicum*, sed dispensatorem. Ideò Iob non se, sed Deũ Dominum dicit. *Iob. 3.* *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Et Dauid *2. Par. 29.* *Tua sunt omnia, & quæ accepimus de manu tua, dedimus tibi.* Et Christus clarius loquitur *Psalm. 115.* *Luc. 16.* *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* *Temporalia aliena: Spiritualia nostra sunt. & quare.* Temporalia omnia aliena nuncupat, spiritualia verò nostra dicit. Ratio est. Meum omninò est quod nemo à me potest tollere, & quo mihi vti licet in quemcunq; vsum, nec quisquã rationes postulare potest eius vsus. Non his legibus temporalia possides: te namq; inuito à te possunt auferri, & auferuntur sæpe: & ratio à te exigenda est vsus eorum. *Meum quid sit.* Hoc vides, cũ à mundo in morte diuisus fueris: substantia, mũdi famulus, in mundo manebit. Hoc dicit experientia & Scriptura.

ra. *Ne timueris* &c. *quoniã cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Bona spiritualia tua dicere potes, quæ nemo à te inuito tollere potest, quæ te sequetur hunc discedentem. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* &c. *Opera enim illorum sequuntur eos.* Ideò *thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi fures non effodiunt,* &c. Habent itaque omnes homines Dominum temporalium, sed non plenum & absolutum; quia eis inuitis tollitur, & rationem tenentur de eis reddere. Hac ratione homo villicus est.

Psalm. 48. *Apoc. 14.* *Matth. 6.*

Qui *diffamatus est apud Dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius.* Dissipat peccator omnia bona. 1. quia dissipat potentias & earum actus, ac inclinationem in bonum: non quòd ea penitus destruat, sed quoniam impedimenta plura ponit, ne in finem suum tendant. Sicut vitrum natura sua diaphanum nigro colore toties obduci potest, vt nihil lucis intret, licèt natura vitri maneat diaphana: sic anima vitijs irretita eò deuenit, vt sit quasi brutum. Et sicut homo agilis tot cathenis funibusque irretiri potest, vt nec deambulet, natura tamen manente integra: ita anima, ne in Deum feratur, funibus peccatorum constringitur. Hinc Psal. *Funes peccatorum circircunplexi sunt me.* Et Sap. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur:* Illud verò vanissimum peccator sibi promittit, differens conuersionem, quòd illa posteà facilior sit futura, cùm quotidiè noua adijcens impedimenta difficiliorem reddat. 2. dissipat omnem substantiam peccator; dum per peccatum amittit gratiam diuinam, virtutes & omnia bona opera. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, et fecerit iniquitatem, nũquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, nõ recordabuntur.* Te nũc rogo, si in gratia Dei es, quem te putas habere thesaurũ? diuina gratia, & sapientia, & multa bona opera thesaurus tuus sunt, eoq; ditissimus es. Quid nunc tibi dæmon suadet? vt peccato lethali in momento omnem hanc substãtiam dessipes: an eum audies talia suadentem? *Esau irrugijt clamore magno & consternatus est,* cum Iacob surripuisset tẽporalem benedictionem: an non consternaberis amissa benedictione cælesti, dissipata omni substantia?

Peccator quomodo bona dißipet. 1. *Peccato omnis potentia amittitur.* Simile. Simile. *Psal. 118.* *Prou. 5.* *Conuersio dilata difficilior.* 2. *Peccato omnia spiritalia amittuntur.* *Ezech. 33. & 18.* *N. B.* *Dæmõ quid suadeat.* Exemplũ.

Sed perpendum est, non dici, Dissipauit, sed *quasi dissipasset.* Non enim omnia dissipauerat, cùm bona pluri-

Homo non omnia per-

Vir peccan-do: Angelus omnia.

Duæ doctri-næ.

1.

Iustus secu-rus esse non debet.

1. *Corint.* 10.

Phil. 2.

3. *Reg.* 20.

Typicum exemplũ.

Triumphus non est canẽ-dus ante vi ctoriam.

Eccles. 9.

1. *Corinth.* 7.

Rom. 7.

2.

Peccator de-sperare non debet.

N. B.

Exemplũ.

2. *Reg.* 11.

ma domini remanerent, & debita magna, quæ ei debe- antur. Angelus peccans vniuersam dissipauit substanti- am: homo verò peccãs non dissipauit omnia, sed *quasi dis- sipauit*. Hinc duo nobis colligenda sunt. 1. licèt iustus sis ni- hilominus habes, quod timeas; non te securum pũtes, dũ in hac vita versaris: superasti sæpè hostes? nihilominus in discrimine belli versaris, *Qui stat, videat ne cadat*. Ideò cũ *ti- more & tremore salutem vestrã operamini*. Gloriabatur Bena- das Rex Syriç contra Regẽ Israël ac sic eũ bello superasset parta iã victoria: sed dicitur ei: *Non glorietur accinctus, æquè vt discinctus. Accinctus* est, qui bellũ ingreditur armis indu tus: *discinctus* verò, qui parta iam victoria securus est. Rectè ergò Benadab dicitur, ne glorietur vt victor, cùm nõdum initum sit supremum certamen. Hoc dicimus ijs, qui se securos putant, quasi iam sit parta victoria: nam etiamsi plures viceris hostes, alij superandi sunt à quibus poteris superari. Etiam sanctissimus certitudine fidei certò scire non potest se salutem consecuturum æternam; se certò permansurum in gratia. *Nescit* enim *homo vtrum odio an a- more dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta*. Post mortem vniuscuiusq; opus apparebit: nunc dicendum cũ Paul. *Quod enim operor, non intelligo*. Licet ergo bona opere- mur, timeamus. 2. simili ratione concludendum in casu peccatoris. Non omninò dissipauit substantiam, sed *quasi*: ne ergò desperet; remedium enim restat ei. O homo, qui humi iaces, qui te impudicitię &c. tradidisti, surge, ne de- speres postquam recidisti. Infeliciter hucusq; pugnasti? *nõ te frangat ista res*: *varius enim euentus est belli*: superatus huc- usq; es? poteris posteà superare. Exemplo tibi villicus iste sit, qui licet omninò desperatus videretur, non perijt, sed vsus prudentia seruauit sibi vitam & opes. Vis animæ vi- tam seruare? audi,

Exemplũ.

Dan. 4.

Cõsilium sa lutare dare eleemosy-nas.

Matth. 6.

In summo discrimine versabatur Nabuchodonozor, cùm audiuit: *Succidite arborem, præcidite ramos* &c. Huic per simile est quod villicus audiuit à domino: *Redde rationem villicationis tuæ; non enim poteris amplius villicare*. Quod er- go vtriq; remedium? Audi consilium Danielis; *Peccata tua eleemosynis redime; & iniquitates tuas misericordijs paupe- rum: forsitan ignoscet dominus delictis tuis*. Hoc idem consili- um Villicus sumpsit: & hoc ipsum præbet Christus dicẽs: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. &c. Distribue

bona

bona,quæ tibi Deus concessit, pauperibus. Omnis homo in graui negotio fidelem & prudentem amicum consulit,est tibi negotiũ salutis æternę,nũ inuenire potes amicum fideliorem Christo?Audi negotium graue,in quo amico indiges. *Thesaurizat homo,et ignorat, cui congregabit ea.*Ecce homo vanus, qui sibi deficit,quia ignorat,cui cõgreget;& ideò amico consulendo eget. Dic mihi diues, cui congregas?Ignoras Quid dementius?Sed ais: Mihi cõgrego. Nequaquam:cras enim morieris,thesaurus durabit;*& ea quæ parasti cuius erunt?*Filijs meis, inquis Hoc audes dicere de morituris?Forsan quod cõgregauit auaritia tua,perdet eorum luxuria.Sed ais:Fortè conseruabũt. Sit ita:tunc vani erunt,sicut & tu:& illis dicam ; Cui thesaurizatis?Forsan latroni,forsan igni, forsan ignoto. Audi ergò consilium Christi *Nolite thesauri zare vobis thesauros in terra* &c Scandalizaris consilio Christi?Iudęus es:stultum tibi videtur.?Gentilis es:si Christianus es,suscipe;*Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo,*ibi erunt qui te suscipiant,cùm defeceris. Non thesaurum perdis ; sed quod possides in terra sollicitus,habebis in cælo securus.Si das Pauperi,ille ducit in cælũ.Frumentum habes in terra humidã:dicit tibi amicus.In superiori loco pone, ne perdatur:& facis. Dic,ô homo!audis amicum consulentem de tritico ; & non audis Deum consulentem de corde tuo? Leua cor in cælum,leua substantiam tuam in sinu pauperis,ne putrescat in terra.Sed ais:Ille manducat. Ita est. Sed oblitusne es illius: *Esuriui & dedistis mihi manducare.* Et,*Quod vni ex his minimis meis fecistis,mihi fecistis:* Illi das, qui tibi seruet, & seipsum tandem tibi dabit. Quantum excellit misericordia & charitas, quam solam nominat Christus in iudicio? In iustus dicet:*Ite in ignem æternum.* Quę causa?Non ait;hoc quæris sacrilege?adulter?&c. Sed, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Mira res:omnia prætermittit,& solam misericordiam commemorat. Et ratio est,quia scriptum est:*Sicut aqua extinguit ignem,ita eleemosyna extinguit peccatum,* Et iterum. *Include eleemosynam in sinu pauperis. & ipsa orabit pro te.* Ideò iustis ait:*Venite benedicti* Beati enim misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Iudicium verò *sine misericordia ei, qui non facit misericordiam.*&c Hæc August.

[Margin: Simile. / *Aug. serm. 50. de temp. tom. 10.* / *Psalm. 38.* / *Aug. in Psal. 38. & lib. 50 hom. 47. ho.* / *N. B.* / *Luc. 12.* / ☞ / *Matth. 6.* / *Lucæ 12.* / *1. Cor. 1.* / *Luc. 18.* / *Matth. 19.* / *Marc. 10.* / Simile. / *Aug. in Psal. 85. ad te dõ. leuaui anim. m. In Psal. 48.* / *pretiũ redẽp.* / N. B. / *Matth. 25.* / *Epilogus in commẽdatione misericordiæ.* / *Ibid.* / *Ecli. 3.* / *Ecli. 19.* / *Matth. 25.* / *Matth. 5.* / *Iacob. 2.* / *Aug. serm. in 70.*]

IN EADEM DOMINICA.

THEMA: *Redde rationem.*

Prudentiæ munus est, præcauere pericula.
Eccl 7.
Soph.1.
Gen.41.
Exemplũ typicum.
Simile.
N. B.
Præparatio ad timendũ iudiciũ quomodo facienda.
Iob.31.
Isa.10.
Simile à contrario.
Iob 9.

PRVDENTIAE munus est præcauere pericula.ac mala vẽtura, seq; munire aduersus ea. Hinc Sap. *In die bona fruere bonis, & malum diẽ præcaue.* Vẽtura est dies rationis, dies sterilis, *dies mala & amara valde,* dies iudicij, præparemus nos ad illam. Sũma stultitia illius est, qui nouit iudicium futurum tremendum ac formidandum, nec se ad illud parat. Pharao audiens sterilitatem futurã in tẽpus illud suasu Iosephi triticum congregat. Si nũc Angelus de cælo descenderet & diceret vobis: Fulgur vnũ interficiet, quis non tremeret? Si hic essent infiniti homines, & audirent, Vnus ex vobis dãnandus est; omnes maximè pauerent, & sibi cauerent. Quomodo securus eris, audiẽs, *Pauci electi?* Sed ais, timeo iudiciũ, scio à me rationem esse exigendam: quomodo præparabor ad illã? Fac, q; villicus hic, qui admonitus de ratione reddenda, ait; *Quid faciã?* Ita Iob: *Quid faciam, cùm surrexerit ad iudicandũ Dominus? & cũ quæsierit, quid respondebo illi?* Tibi verò cũ Isaia dico: *Quid facietis in die visitationis? ad cuius confugietis auxiliũ?* Villicus, qui nouit nihil se male consumpsisse, solet securus esse: at stultissimus est, qui nouit multa à se malè cõsumpta, nec tamen illud curat. Quod *si voluerit Dominus contendere tecũ, nõ respõdebis ei vnum, pro mille,* quomodo ergò non times? Audiens à Deo tuo, *Redde rationem Villicationis tuæ,* cũ noueris plurima te mala perpetrasse, substantiam Domini à te dissipatam, tempus deperditum, innumeris acceptis beneficijs ingratum fuisse, an non pauebis? Tremefactus est Felix disputante Paulo de iustitia & iudicio futuro: treme & tu, qui fidelis es, & dic cum Villico, *Quid faciam.*

Exemplũ, *Act.24.*
Deus diues cur velit esse pauperes.
Chrys. hom 5. de Anna.
Prou.22. & 29.
Aug. in Psa. 124. Serm.5. 15.25.26.

Quid fecit Villicus? *Homo quidam erat diues.* Hic homo Deus est, Dominus vniuersorum. Sed qui adeò diues est, cur pauperes esse patitur? Propter bonũ diuitis & pauperis, Propter diuitem, vt salutem consequatur pauperi subueniens. Da panem terrenũ, & pete à Deo cælestem, Egere voluit Dominus in paupere, vt illi dando repetere possis, quia Deo in paupere dedisti. Propter pauperem

perem verò, vt patientia ac tolerantia cæleſtia bona *De verb.Dñ.*
mereretur. Quare hic *homo diues pauper factus eſt*; vt *lib.50. ho.13.*
ſicut eum diues imitatur bona pauperibus tribuens:ita eũ *2.Cor.8.*
pauper imitetur,mala patienter ſuſtinens. Hic *habebat Vil-* *Dignitas ho-*
licum,cui omnia bona ſua commendauit. Magna digni- *minis.*
tas hæc eſt hominis,vt vniuerſa Deus illi commiſerit,glo *Deus bona*
riam & honorem ſuum illi demandauerit. Irrationabili- *ſua homini*
bus pauca Deus tribuit, nec honorem nec gloriam ſuam *commiſit.*
in eorum poteſtate poſuit:in manu verò hominis vniuer *Villici boni*
ſa conſtituit; *vt videant opera veſtra bona, & glorificent Pa-* *officium.*
trem veſtrum, quia in cælis eſt. Si optimus Dei villicus eſſe *Matth. 5.*
vis, hoc cura, vt ex omnibus Dei gloriam illuſtres, eum *1.Petr.4.*
honorifices. *Si quis loquitur, tanquam ſermones Dei; ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum.* Omnis ergò creatura Villa eſt homini commiſſa, vt fructum diuinæ gloriæ colligat; *omnia in gloriam Dei faciat.* *1.Cor.10.*

Tenetur autem homo multis nominibus Dei nego- *Homo Dei*
tia gerere; præcipuè verò, cùm Deus *villicus* hominis fa- *negotia qua-*
ctus ſit,eiuſque negotia fideliſſimè perfecerit. Hanc ratio- *re curare de-*
nem Ioſue propoſuit filijs Iſraël, quòd *Deus nationes, quæ* *beat.*
adhuc ſunt, diſperdet, & auferet à facie eorum: *tantùm*, inquit, Exempla.
confortamini, & eſtote ſolliciti, vt cuſtodiatis cuncta, quæ ſunt *Ioſ.23.*
ſcripta in volumine legis. Sic Iacob obmuteſcere fecit Labã, 1.
oſtendens illi ſuam curam,& illius ingratitudinem; *nocte* 2.
dieque, inquit, *æſtu & gelu vrebar.* &c. Peccatum fratrum in *Geneſ.31.*
Ioſeph graue redditum eſt, quòd in eum ſæuierunt, cùm 3.
ille eos viſitaret. Sic & Dauidis, quòd in eum peccauit, qui *Geneſ 37.*
eius cauſa diſcrimina maxima belli ſubibat. Quid reſpon 4.
debis, peccator ingratiſſime, Deo tuo memoranti collata *2.Reg.11.*
in te beneficia? Vt tua negotia ageret, ſanguinem pro te *N.B.*
fudit: vt Vrias, in medios hoſtes ſe mittens occubuit: vt
Iacob, nocte dieque æſtu vrgebatur & gelu: vt Ioſeph, cibum cæleſtem, ſeipſum panem vitæ tibi dedit.

Meritò proinde peruerſus *Villicus diffamatus* dicitur *a-* *Peccator à*
pud illum, quaſi diſsipaſſet bona Domini ſui. Quis peccatorem *quibus diffa-*
diffamat? Multi profectò accuſatores ſunt, vt tollatur de *metur.*
medio Villicus diſſipator. 1 Angeli mali nos accuſant, vt 1.
patet in Iob. & in Apoc. dicitur *Accuſator fratrum.* 2. Ange- *Iob 1.*
li boni peccatorem accuſant, & dicunt, *Vis imus, colligimus* *Apoc. 12.*
zizania? Et conſerui immiſericordiam ſerui domino nun- *Matth.13.*

Matth. 18. ciauerunt: Et Christus monet, ne lædamus *vnum ex pusillis* 2. *quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei* id est, An- 3 gelus eius accusabit vos apud Patrem meum, quòd pusillum læditis, qui eius custodiæ demandatus est. 3. Accusant deinde peccatorem ipsæ creaturæ, quibus malè vsus est Aurum absconsum in theca, argentum in arca reconditum, vestés à tinea corrosæ, frumentum seruatum, nec pauperibus erogatum: lapides & ligna superbarum domorum: hæc omnia clamant vindictam, & ostēdunt peccatoris malitiam. Audi Prophetam *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ* &c. *& peccauit anima tua: quia lapis de pariete clamabit, & lignum; quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* id est, idem dicet, quod lapis. 4. Ipsa etiam peccata clamant ad Deum. præcipuè voluntarium homicidium, Sodomia, oppressio pauperum, & merces operariorum defraudata. 5. Accusat peccatorem ipsius conscientia Hinc Paul *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium.* Quòd si tu ipse te accusas, quis te non accusabit?

Iacob 5. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris; diuitiæ vestræ putrefactæ sunt. &c. Habac. 2. 4. Gen. 4. Gen. 18. Exod. 3. Iacob 5. 5. Rom. 2.

Sed in hac accusatione aduersus hominem quid dicitur? *Quasi dissipasset bona ipsius.* Tunc bona Dei dissipantur, cū ex eis gloria Dei nō colligitur, sed vel gloria captatur humana, vel delectatio, aut lucrum. Hinc Sap. *Qui mollis et dissolutus est in opere suo: frater est sua opera dissipantis.* Et iterū: *Thesaurus desiderabilis, & oleum, in habitaculo iusti; imprudens homo dissipabit illud.* Sicut qui arboris flores & gēmas amputat, arborem & fructus dissipat; quia eo peruenire prohibet, quo natura perducere voluit: sic qui sistit in delectatione aut gloria sua, dissipat omnia; quia omnis creatura ad Dei gloriā ordinata est. 2. Dissipat etiam bona Dei, qui ea in alios vsus conuertit, quàm Deus constituit. Sic substantiā dissipat, qui ludo, luxurijs, & vanitatibus illam cōsumit; oculos, qui in vana eos conijcit. & sic in reliquis. Bona enim tēporalia nobis à Deo tradita sunt, vt per illa acquiramus æterna; cùm oppositum sit, dissipantur. Sicut cùm seruus tuus consumit substantiā tuam alijs in rebus ab his, quæ illi præscribis, dicis dissipatā à seruo substantiā tuam: sic in vniuersum dissipare dicitur Dei bona, qui ea consumit non in vsus sibi à Deo præscriptos.

Bona Domini quando dißipentur. 1. Prou. 18. Prou. 21. Simile. Prou. 16. 2. *Bona temporalia ad quid nobis credita.* Simile.

Sed quid facit hic Homo diues? *Et vocauit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te: Redde rationē villicationis tuæ: iā enim non*

Deus inauditum non condemnat.

non poteris villicare. Vocat seruum in iudicium, *qui reddet rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.* Horribile verbum: *Redde rationem*, ei, qui nullam habet, præcipuè cùm ad amussim sit exigẽda, & de omni verbo otioso reddenda. *Iam*, ait, *non poteris villicare.* 1. Non enim in perpetuum illud munus conceditur cuiquam, sed ad tempus. Hinc Sap. *Non habebis iugiter potestatem.* Noli putare in secula te victurum: *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam*: & temporibus bonis non in æternum vteris; citò à te auferentur. 2. significatur, auferre Deum temporalia bona sæpè à malis dispensatoribus. Si tibi villicus est fidelis, plura eius fidei committis, vt fecit Putiphar Iosepho. Si autem nosti infidelem, & bona tua dissipantem, eum aufers à munere, dicens; *Non poteris amplius villicare.* Ita Deus noster videns fidelem dispensatorem, ei plura concedit. *Qui fidelis est in minimo, & in magno fidelis erit. & habenti dabitur, et abundabit.* Si verò nouit infidelem esse, ab eo aufert sæpè temporalia bona. Israëli concessit Deus terram promissam possidendam; *vt custodiant iustificationes eius, & legem eius exquirant, labores populorum possederunt.* A malè verò vtentibus ablata est. Noluit Nabal concedere Dauidi parum substãtiæ, & ablata est ei vita, vxor, & omnes opes; eaq; concessa Dauidi. Sic diuiti contigit, qui dicebat: *Habes anima mea multa bona in annos plurimos*: audit enim; *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, & quæ parasti, cuius erunt? Sic erit omnis, qui non fuerit in Deo diues.* Quid quereris multa à te ablata bona! cùm ea possedisti, vsus eis in Dei gloriam? Si non: sic fecisti, quid miraris, si à te abstulit Deus? sic dixit: *Iam non poteris amplius villicare.*

[Margin: 1. Petr. 4. / *Reddendæ rationis difficultas.* / *Villicatio temporaria est nõ perpetua.* / *Dispensatoribus malis nil creditur.* / Simile. / Exemplũ. / Luc. 16. & 19. / Exemplũ. / *Psalm.* 104. & 77. / 1. *Reg.* 25. / Exemplũ. / *Lucæ* 12. / Parabola. / *N. B.*]

Auditis minis Domini, *ait Villicus intra se. Quid faciam?* Attendit maximum discrimen, & remedium quærit. Nescit peccator summũ, in quo versatur, discrimen: ideò nõ discruciatur, non interrogat, *Quid faciam?* Nosti, miser peccator, Deum tibi inimicum esse, & aduersum te venire in iudicium cum exercitu Angelorũ, an non sedens cogitas *num possis occurrere illi*, sicut Rex ille Euangelicus? an non dicis, *Quid faciam?* ne penitus intereas. Prædicabat Ioannes Bapt. *Iam securis ad radicẽ arboris posita est* &c. *Et interrogabãt eum turbæ, dicẽtes. Quid ergò faciemus?* En quod Villicus nũc ait, *Quid faciam?* Ioannes autem eleëmosynam consulit, dicens:

[Margin: *Periculum mali villici.* / *Lucæ* 14. / Parabola. / *Lucæ* 3. / *Matt.* 3. & 7. / Exemplũ euangelicum.]

dicens: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas similiter faciat.* Sic & Christus, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, &c. Remedium ergò misericordia & eleēmosyna est. Nam *Deus prospector est eius, qui reddit gratiam, meminit in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Tempus casus est, *Iam non poteris villicare*. tunc *firmamentum* est ei eleemosyna, sicut huic Villico. Qua in re Iudex noster Deus munera accipit, vt nos mitiùs iudicet; & concedit nobis, vt eius voluntatem leniamus muneribus. Quod enim pauper recipit, Deus recipit. Præclarè videns venientem Esau iratum ait: *Placabo eum muneribus.* Et hoc est consilium illud Regis, *cùm non posset occurrere cum decem millibus*, id est, cum impletione 10. mandatorum, *rogat ea quæ pacis sunt per legatos* pauperes. Hinc Psal. *Iocundus homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Misericors disponit causam suam, vt in iudicio non damnetur, & sic *ab auditione* malæ sententiæ *non timebit.* Deum enim sibi propitiū habet; quia *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Non dicit, commodat Domino, sed *fœneratur*; quia maximum reportat lucrum. Pulchra commutatio dare, quod retinere non potes: accipere, quod amittere non poteris. In celeberrimis nundinis quidam dixit: Omnium corda & cogitationes dicam: Vultis carè vendere, & vili emere. Hoc profectò misericors facit, qui mercatur cæleste regnum *calice aquæ frigidæ*: vendit substantiam paruam accepto infinito thesauro. Tanta verò necessitas eleēmosynæ est, vt nec ipsa pœnitentia videatur profutura, si ab operibus misericordiæ fuerit sterilis. Hinc Ioan. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quis verò hic fructus sit, statim explicat, *Qui habet duas tunicas det non habenti.* &c. Nūc eiectus est Christus à possessione temporalium in suis pauperibus; occurre tu ei, vt Abigail, & filij Perzellai Dauidi, vestem & cibaria deferens, & prēstabit tibi posteà regiam mensam in regno suo, cùm dicet, *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum* &c. Vis ergò, ô homo; Regem Christum tibi deuincire? vis eius dilectionem? Da pauperibus, illi recipient te *in sua tabernacula*: sicut exploratores Iosue liberauerunt domum Rahab, quia eos aristis lini abscondit. Aristæ sunt, quæ ex lino supersunt: ita *quod superest vobis, date eleemosynam* pauperibus, *& ecce omnia munda sunt vobis*: & liberabūt vos à iudicij terrore. &c.

IN

Lucæ 11. / *Eccl. 3.* / *Tempus casus nostri.* / *Deus quomodo & quādo munera accipiat.* / *Genes. 33.* / Exemplū. / *Lucæ 14.* / *Psal. 111.* / *Misericors Deum habet propitium.* / *Prou. 19.* / *Hierony in Psal. 111.* / *Aug. in Psal. 36. Fœneratur. & in Psal. 48.* / Apophthegma elegās. / *Matth. 10.* / *Aug. serm. 1. in Sept qui est 50. de temp. to 10.* / *Luc. 3.* / *N.B.* / *1. Reg. 25.* / *2. Reg. 19.* / *3. Reg. 2.* / Exempla. / *Matth. 25.* / Exemplū. / *Iosu. 2. 6.* / Typus. / *Lucæ 11.*

IN EADEM DOMINICA.

THEMA: *Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua.* Luc. 16.

DVAE sunt hoc in mundo regiones, à quibus earũ habitatores nomen accipiunt, lucis & tenebrarum; in altera Deus regnat, in altera dæmon. Regio bonorum tota lux est: sicut *vbi filij Israel habitabant, lux erat:* & ideò iusti filij lucis appellantur, vt hîc à Christo; & apud Paul. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Huius regionis conuersatio cælestis est. hinc Paul. *Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate.* Regio verò peccatorum est regio tenebrarum, de quibus Iob. *Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce:* sicut Aegyptij, qui palpabiles habebant tenebras. De vtraque regione loquitur Sap. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa; nesciunt vbi corruant.* nam *derelinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas.*

Regiones duæ lucis & tenebrarum. *Exod.* 10. Typus. *Ephes* 5. 2. *Thess* 5. Omnes vos filij lucis estis. *Iob* 12. *Exod.* 10. Typus. *Prou.* 4. *Prou.* 2.

Nunc consideremus filios lucis & tenebrarum seu huius seculi. Filij lucis æterna bona contendunt adipisci; Deo placere student, & veras immensásque diuitias congregant. Filij huius seculi in rebus nihili versantur. Filius lucis *negotiator est*, quærens *bonas margaritas*; filius huius seculi falsas. Quòd ergò nũc miramur illud est, quòd prudentiores sunt *filij huius seculi*, & plurimam adhibent diligentiam, vt vmbram & nihilum consequantur; quàm *filij lucis*, vt in cæleste regnũ veniant, vt vera bona consequantur. Nonnus videns mulierem mirè ornatam fleuit, dicens: Plus ista mundo, quàm ego Deo, placere contendit. Sed quibus laboribus, quanta diligentia *filij huius seculi* bona illius quærant, quis explicet? Quæ discrimina, quos sudores auarus patitur, vt diuitias acquirat; quot superbus, vt honores; quot carnis seruus, vt voluptates? Iustus verò cùm infinita bona quærat, non eo studio quærit, sed tepidè ac remissè. Audi Prophet. *Propterea cor meum ad Moab.* & cæt. *quia plus fecit, quàm potuit.* An nõn difficile verbum, *Plus fecit, quàm potuit?* Vis nosse te plus facere quàm possis, dum caduca quæris? An non in labores te das, qui superant vires tuas? An non sumptus facis, qui superant sub-

Filij lucis & eorum studia. *Filij seculi & eorum studia.* Exemplũ. *Sur. in hist. S. Pelagiæ.* 8. *Octob.* Apophtegma Christianum. *N. B.* *Ierem* 48. *Filius seculi plus facit, quã potest. & quomodo.*

substantiam tuam? An non multa impossibilia conaris? Ecce *plus fecit, quàm potuit*. Hinc est, sępiùs in Scriptura solùm exigi eam curam circa salutē, quàm *filij huius seculi* ponūt circa temporalia: cum tamen multò plura iure ab homine, vt æterna acquirat, exigi possunt, quàm vt temporalia; multò plura, vt Deo placeret, quàm vt carni & iniquitati. Ideò Propheta. *Sicut fuit sensus vester, vt errare-tis decies, tantùm iterum conuertentes requiretis eum. Prudentiores ergò sunt filij huius seculi*, sed *in generatione sua*. Audiant sapientes huius seculi, quanti eorū sapientiam diuina æquitas æstimauerit, quos non verè prudentes, sed *in generatione sua* commemorat. Ideò Proph. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Sapientes sunt, vt faciant mala, benè facere autem nescierunt*. Peccator prudens est non absolutè & simpliciter, quia vltimum finem non assequitur. Prudens verò simpliciter est, qui se suaque ordinat in vltimum finem

N. B.

Bar. 4.

Prudētia seculi vera nō est.

Isaiæ 5.

Ierem 4.

Quis verè prudens.

Videamus iam astutiam & prudentiam huius seculi in hoc villico. *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum*, id est, gubernatorē domus. Quā diuerso nomine nos Christus nominat ab eo, quo nos nominare solemus? Homo ait: Ego Dominus sum huius prædij, domus; vel oppidi. Audi Nabuchodonozorem: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in robore fortitudinis meæ*. Et Pharao. *Ecce ad te Pharao Rex Aegypti, draco magne*, &c. *& dicis, Meus est fluuius & ego feci memetipsum*. &c. Nunc verò multi saltem corde dicunt sua esse omnia temporalia, & se supremos eorum dom nos arbitrantur, qui se ita gerūt in opere, ac si rationē reddituri non essent eorum. At quos Paul *Quid habes, quod non accepisti*? Christus verò licet dominium temporalium nobis concesserit, quia tamen eorum dispensationem liberam non permisit, sed pro ipsius beneplacito dicit nos villicos, & se dominū *Meus est*, inquit, *orbis terræ, & plenitudo eius* Et, *Domini est terra & plenitudo eius*. &c. Sicut igitur spōsi pauperes in die nuptiarū ornamētis cōmodatis vtūtur: posteà vilibus rursus induūtur pānis: sic diuites huius seculi ornātur modò alienis bonis, quib. in morte exuēdi sunt. Hinc consiliū Pauli sibi vsurpent: *Diuitibus huius seculi præcipe, nō sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo*. &c. Dispensator es bonorum Dei, non dominus. Nec fallantur hoc verbo: Meū est argentum

οἰκόνομον.

Deus nos vocat villicos: & homines se dicunt dominos.

Dan. 4.

Ezech. 29.

I. Cor. 4.

Cur simus tātùm villici.

Psal. 49.

Psalm. 23.

Simile elegans.

I. Tim. 6.

N. B.

gẽitum,meus ager. Nã ſicut œconomo præcipitur à do- Simile.
mino,vt famulis bona ſua diſpenſet eo ordine, quo præ-
ſcribit Dominus:ita Deus nobis conceſſit temporalia ea
lege,vt acceptis neceſſarijs reliqua pauperib.diſtribuamꝰ
Solet aliquãdo œconomus ſibi ſurripere ac diſſipare,quę Simile.
famulis danda erãt, & ideò fame pereunt,nõ domini cul- *Vnde tot ſint*
pa,ſed ęconomi,qui ea ſibi furatur:Ita nũc,ſi vides paupe- *pauperes,nu-*
res,nudos,ac famelicos, noli putare Deũ non prouidiſſe *di, & fame-*
ſufficienter;ſed cauſa eſt infidelitas diſpenſatorum. Si. n. *lici.*
tu habes decem 20. tunicas,plura obſonia, quomodo nõ *Bern.hom.de*
aliqui nudi,& famelici erunt? *Da pauperibus,quod tibi ſuper-* *villic iniq. 2.*
eſt & nulli quicquam deficiet. *q.1.c.Deus.*

Quia verò villicus iſte infidelis erat, *diffamatus eſt apud* *Euariſt.ep.2.*
illum, quaſi diſsipaſſet bona ipſius. Tum vocauit illum Dominus, *Excuſationi*
& ait: Quid hoc audio de te? Priuſquã illũ damnet,vocat,& ſi *& cõuerſioni*
quid habet,pro ſe loquatur. Nullus.n. damnandus eſt in- *locus datur à*
auditus. Sic antequam Adamũ damnet,vocat eũ, *Vbi es?* & *Deo.*
eius rationem audiuit. Sic & Cain vocauit & audiuit ante Exempla.
ſententiã. Sic ante ſubuerſionẽ Sodomæ deſcendit, vt vi- *Geneſ.3.*
deret, *vtrũ opere cõpleuerint, an non.* vt nos doceat, non faci- *Geneſ.4.*
lè dãnare quempiã. Sic deſcendit,vt videret turrim Babel, *Geneſ.18.*
antequã linguas confunderet. Et Nicodemus ait: *Nunquid* *Geneſ.11.*
lex noſtra iudicat hominẽ,niſi prius audierit ab ipſo. Et Feſtus: Ioan.7.
Non eſt Romanos conſuetudo damnare aliquẽ hominem,priuſquã *Actor.25.*
is,qui accuſatur,locum defendendi accipiat. 2. attendenda eſt in 2.
hac vocatione diuina miſericordia,quæ nos præuenit & *Vocat Deus*
vocat,priuſquã iudicet. Hæc.n.vocatio eſt, qua peccatorẽ *hominem,vt*
ſæpè vocat,increpatq; vt remediũ q̃rat. Sic vocatus eſt E- *remedium*
zechias. Diſpone domui tuę,quia morieris,& non viues. *quærat.*
Sic vocati ſunt Niniuitæ. Magna Dei miſericordia eſt vo- Exempla.
care ſemel;ſed ſæpiꝰ,maxima eſt. Vocat autẽ te in pueritia *à N.B.*
in adoleſcentia,in ſenectute,omni deniq; ætate & tẽpore. *Iſaiæ 50.*
Quot cõciones,quot Dei monita in corde diuerſis ætati- *Prou.1.*
bus audiuiſti? Nulla peccatori relicta eſt excuſatio: quia, *Subſtantiã*
*Vocaui,*inquit, *& non erat, qui audiret.* *domini qua-*

Sed quid dicit vocato ſeruo Dominus? *Redde rationẽ vil-* *liter diſsipe-*
licationis tuæ. Reddenda eſt ratio omni homini. Diſſipaue- *tur.*
rat Domini ſubſtantiã Villicus, ſed quibus in reb. alio ex *Lucæ 15.*
loco facilè colligitur. Diſſipauit.n.ſubſtantiã minor filiꝰ Exemplum
viuẽdo luxurioſè. Hoc idẽ Villicus fecit: & hoc eſt quod parabolicũ.
Petr.ait. *Sufficit præteritũ tempus his,qui ambulauerũt in luxu-* 1.Petr.4.
rijs.

Eccli.15. *rijs, desiderijs, vinolentijs, comessationibus.* Meritò verò ab homine exigitur ratio, quia liber arbitrio cùm sit, & *relictus in manu consilij sui*, rationem tenetur reddere eorum, quæ facit, vt iuxta meritum vel demeritum eorum aut præmio afficiatur, aut pœna. Meritum verò aut demeritum sciri non potest absque examine, & iudicio. Quia verò omne bonum & malum priùs est in anima, quàm in corpore exteriori; ideò anima priùs iudicatur, & præmio aut pœna afficitur, & deinde corpus. Iure igitur Dominus ait: *Redde rationem*. Timendum profectò verbum peccatori. Pertinet enim ad Dei iustitiam infinitam, vt nullum malum, etiam minimum, sit impunitum, & nullum bonum irremuneratum. Nunc ergò attende, an tibi timendum, sit, cùm innumera receperis à Deo beneficia, & respondere non poteris vno obsequio præstito mille Dei muneribus. Iure ergò *Villicus ait intra se. Quid faciam?* Ecce speciem pœnitentis; considerat se suaque & extremum in quod deuenit periculum, vt sibi prouideat. Impunitum quidē peccatum Deus non patitur; aut ergò homo illud puniat, aut Deus puniet. Hinc Iob. *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti.* Hinc Paul. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino.* Ne ergò blandiaris peccatis tuis. Ne ad tribunal Dei veniat peccatum tuum, deduc illud ad tribunal mentis tuæ: fac te iudicem & vindicem peccati tui, non patronum: sic enim Dei iudicium euadere poteris. Parcit enim Deus derelinquenti, sed qui de seipso vindictam sumit. Hinc Psalt. *Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.* Non enim *punit Deus bis in idipsum.* Illis ergò diuina misericordia & propitiatio seruata est, qui iudicant seipsos; qui cum villico dicunt, *Quid faciam?*

Rationē reddere cur teneatur homo.

Animæ iudicium cur præcedat corporis iudicium.

Cur peccatori sit timendum.

Pœnitentis exemplar.

N. B.

Iob 9.

2.Cor.11.

Peccatis non est blandiendum.

Psal. 118.

Nahum 1. iuxta 70.

Sed attendendum est Villicum non dixisse, Quid dicam? sed, *Quid faciam? Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*, in opere: Et, *non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* &c. Sicut Isaac non attendit verba dicentis, sed manus attrectauit, per quas opera significantur: ita Deus non respicit verba, sed opera.

Deus verba non respicit, sed opera.

1.Cor.4.

Matth. 7.

Genes.27.

Typicum exemplum.

Scio quid faciam Cogitanti remedium adfuit. Laudatur verò villicus iniquus, non de iniquitate, quam denuò admisit, iterum dissipans & donans bona Domini sui; sed de solertia, qua sibi prouidit. Quemadmodum cùm dicitur tibi:

Chrys. serm. 125. & 126.

Villicus iniquus quomodo laudetur.

tibi: Vigila in orationibus; quoniã latro vigilat, vt furetur & occidat: & orna animam tuam, vt Deo placeas; cùm videas mulierem impudicam se ornare, vt mũdo placeat; non laudatur latro, aut mulier illa, sed eorum solertia in exemplum nobis proponitur.

Simile.
Glossa.
Laudatur nõ fraus sed prudentia.

Sicut autem iste ait, *Fodere non valeo, mendicare erubesco*: ita nunc plurimi dicunt; Dura pœnitentiæ opera exercere non valeo; & orare multum non possum: hoc *mendicare* à Deo est, illud *fodere*, quibus remedium eleëmosynæ restat. Sic Dan. dicit Regi. Non potes orare iugiter, *peccata tua eleemosynis redime*. Sicut hic villicus fecit largè tribuẽs: sic tu quære pauperes, & obsecra, vt eleëmosynas accipiãt. Sic Abraham fecisse legitur, sic Loth, sic Tobias. Sic discipuli Christum coëgerunt in Emaus.

Dura videntur pœnitentiæ opera.
Pauperes quærendi & cogendi.
Gen. 18.
Gen. 19.
Tob. 2.
Lucæ 24.

Expendendum, quod ait Villicus, *Vt recipiant me in domos suas.* Et quod Christus subinfert; *Vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Ex quibus colligitur, diuitem in cælo non habere domum suam, sed pauperem: & ideò si diues cælum ingressurus est, recipi debet in domo aliena: recipiendus vero est à paupere, cui benefecerit. In hoc mundo diuites habent proprias domos, pauperes secus: in futuro seculo è diuerso erit, ibi pauperes domos habent proprias. Hinc Christus: *Beati pauperes, quoniam vestrũ est regnum cælorum*. Si eorum esse dicitur, ergò domos in illo proprias habent. Si ergò recipi vis à pauperibus in cælo, eos recipe in terra. Hinc Paul. *Vestrà abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ sit inopiæ supplementum.* Est itaque quidam vitæ modus, nec tam malę, vt his, qui ea viuunt, nihil prosit ad capessendum regnum cælorum largitas eleëmosynarum, quibus etiam iustorũ sustentatur inopia; & fiunt amici, qui in æterna tabernacula suscipiant: nec tam bonę, vt ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis, quos amicos fecerint, misericordiam consequantur: *Quique sui memores alios fecère merendo.* Negandum interim nequaquam est diuitem proprijs meritis cęlum intrare sic ut pauperem; & ideò cùm dicitur regnum cælorum proprium esse pauperum, non diuitum, vel per quandam appropriationem accipiendum est, vel de pauperibus voluntarijs, qui vt iudices regnum cęlorum alijs distribuent. & cæt.

Diues in cælo propriam domum non habet.
N.B.
Matth. 5.
Pauperes in terra recipiendi, vt recipiamur ab illis in cælum.
2. *Cor.* 8.
Aug. li. 21. *de ciu. Dei c. vl.*
Vita nec tam bona, nec tam mala est, cui non opituletur eleemosyna.
Virg. 6. *Aen.*
Diues etiam proprijs meritis cælũ ingredi potest.

DOMINICA NONA POST TRINITATEM.

THEMA: *Videns ciuitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Luc. 19.

Duplex in mundo Ierusalem. FVIT in mundo Ierusalem, quæ malis suis effecit, vt Dominus in mundo ploraret; fuit verò altera, quæ ipsum exultare fecit & gaudere, de qua Psal Regius: *Psal. 36.* *Si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Et sicut lætatur sponsus super sponsam charissimam, ita lætatur de Maria Deus. Ad eam ergò accedamus nos, qui peccatis nostris Christum flere compellimus, vt nobis gratiam obtineat.

Si aliquando, nunc maximè apparet veritas sententiæ *Isaiæ 55.* Isaiæ. *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes* *Figura & veritas.* *meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à vijs vestris.* Hodiè enim lætatur & exultat Ierusalem, excipiens Agnum in *Isaiæ 62.* Paschate immolandum, & Christũ Dominum; idq; præ*Zach. 9.* cipiētibus Prophetis faciunt: *Exulta satis, & iubila filia Sion,* *Causa luctus Christi.* &c. Christus verò in communi omnium lætitia plorat: & luctus huius causa Ierusalem est. Summa profectò homi*N. B.* nis infamia est, quòd solus ipse inter vniuersas creaturas *Psal. 103.* efficiat, vt Deus ploret. De reliquis creaturis Psal. dicit, *Lætabitur Dominus in operibus suis*: quia omnis creatura Deo grata est, & ei obedit. Propter solum hominem aliquãdo *Gen. 6.* dixit; *Pœnitet me fecisse hominem*: & tunc hominis causa la*Prou. 10.* chrymatur: quia *filius sapiens lætificat patrem; filius verò stultus mæstitia est matris suæ.* An non miseranda & infelix creatura illa est, quæ cùm multa bona à Deo receperit, talem se præstat in operibus suis, vt Deum plorare compellat, ac *1. Reg. 15.* dicat, *Pœnitet me fecisse hominem*: sicut de Saul ait; *Pœnitet me, quòd eum constituerim Regem.* Simile quid Paulo acci*2. Cor. 12.* dit. *Timeo*, ait, *ne fortè cùm venero, non quales volo inueniã vos.* &c. *& lugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* Si filius inuenit contristandum patrem *Simile.* non solùm, si ingens malũ fecerit, sed etiã multas fusurũ lachrymas, abstinet à scelere: quomodo ergò, ô homo, facinus perpetrabis, cùm scias, Deũ super eo contristandũ?

Sed quoniam tristitia magna non facilè animam sapientis

entis & magnanimi subintrat: operæpretium erit videre, quod sit malum, quod nunc Christum vsq; ad lachrymas contristat. *Tempus est ridendi et tempus flendi.* Esdras cū legeret in die solenni in libro legis oēs plorare cœperunt: ipse verò ait: *Nolite contristari, quia sanctus dies Domini est.* Cur ergò Domine nunc in die festo, præcipuè verò Paschate lugere vis? Plorat Christus autem duabus de causis. — *Eccl. 3.* — *2. Esdr. 8.* — *Duæ luctus causæ.*

I. Prior est, quia videt excidium Ierusalem, & eius subuersionem; & mala etiam mundi vniuersi, veluti pater filijs compatitur. Si pater videret filiorum charissimorum mala, dolores, infirmitates, paupertates, calamitates, mortes & interitus, an non viscera eius commouerentur videns tot mala? Quē putas Christum esse, nisi patrem futuri seculi, patrē amantissimum, & dulcissimū? Videt verò vniuersa Ierusalem mala, & totius mundi; quid mirum si dulcissimum eius cor cōmoueatur, & lachrymas fundat? — Simile. — *Isaiæ 9.*

II. Secunda est, quia videt peccata Ierusalem, eius reprobationē & derelictionē Synāgogæ; peccata item totius mundi, quæ mala sunt culpæ, & multis partibus excedunt mala pęnæ; & ideò lachrymarū vim continere non valet. Hinc ipse per Proph. *Super hoc plangā & vlulabo, vadam spoliatus & nudus, faciam planctū velut draconum & luctum quasi struthionū; quia desperata est plaga eius. &c.* Sed, Domine, quid doles de excidio Ierusalem? An non inimica tua est? Diuersum Dei ingenium ab homine est. Cū homo sumit vindictā, lętatur: sed De⁹ pro sua misericordia tristari dicitur. Audi loquētem. *Heu consolabor de hostibus meis.* Vindictā sumpturus ait *Heu*; quia dolēs facit. Hinc laturus sententiā diluuij, *tactus dolore cordis intrinsecus*, eam tulit. Non est Deo natiuum vlcisci, & ideò cum vltiones adhibet, quasi cōpulsus id agit. Pergebat Deus in Sodomā, vt eā vastaret: venit in Abrahę domū, vt eū Abrahā oraret, ne Sodomā perderet. Orat eū Abrahā, si inuenerit 50. iustos, tandē si 10. non perdat ciuitates istas. Annuit Deus. Ibi stetit Abrahā, nec amplius orauit: & vastati sunt. Remansit aūt Abrahā, & *Angeli nocte peruenerant Sodomā*; cùm possent priùs peruenire, sed tardè ambulant: quia ad vlciscendū Deus lento pede procedit. Et cū tres in domū Abrahę venerint, vnū verò adorauerit: in Sodomā duo saltē peruenīūt; is. n. qui Dei personā agebat, interesse supplicio noluit: q̄a nō delectatur in perditionibus nostris. Et ideò nūc videns euersionē Ierusalē plorat, — *Mich. 1.* — *Deus in exercenda vindicta contristatur* — *Isaiæ 1.* — *Gen. 6.* — Exemplū. — *Gen. 18.* — Exemplū. — *Deus lentus ad vindictā.* — *N. B.* — *Tob 3.*

Videns ciuitatem, fleuit super illam. Sed quid inter lachrymas loquitur? Certè verba concisa, in quibus sensum non perficit; significant verò animi commotionem maximam, qui verba perficere non solet. Ait ergò.

Aposiopesis.

Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Duplex est sensus. Prior, Si in hac die pacis & prosperitatis nosses, quæ mala in te venirent, non rideres: & quia ego illa video, idcircò ploro. Sicut prius fecerat Ieremias: *Deducant oculi mei lachrymas per noctem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita est filia populi mei, plaga pessima vehementer. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: si introiero ad ciuitatem, ecce attenuati fame.* Loquitur Ieremias de excidio Ierusalem, quod adeò fuit crudele ac miserũ, vt simile non legatur factum in vlla ciuitate. Mortui fuerunt plusquàm mille milia. Fames fuit validissima, ita vt matres filios manducarent. Pestis grauissima, vt acerui corporum inuenirentur in vijs publicis. Persecutio latronum, & grassatorum maxima: & in ciuitate relictus non est lapis super lapidem. Qui capti sunt, ita vili pretio habebantur, vt triginta darentur pro vno argẽteo.

Mala excidij Ierosolymitani. — Ierem. 14. — Ioseph lib. 6. & 7. de bello Iudaico.

Sed quid ad nos hæc spectant? Multum certè. Id enim quod Ierusalem accidit, omni similiter peccatori continget. Est nunc peccator in temporali gaudio & felicitate; nec nouit, vel non considerat mala, quæ eum expectant. An non meritò peccator dicitur phræneticus, qui Deum amisit, & ridet? Sicut autem pater super filium phræneticum, & ridentem, sed morti proximum, quod ille ignorat, amarè flet: ita Christus super peccatorem. O anima peccatrix, quæ habuisti aliquando Deum in sponsum, & per peccatum illum amisisti, ciula, si eum nõ inueneris, & dic cum Psal. Regio: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidiè, vbi est Deus tuus?* Quomodo te rectè potes habere sine Deo tuo? impossibile hoc est: sicut nec malè cũ illo. Quòd si hoc nunc non agnoscis, tempus aderit citò, in quo id videas. *Væ enim impio in malum. Venient dies in te,* in quibus *extrema gaudij luctus occupet*: in quo *fel draconum vinum eorum. Et circundabunt te inimici tui vallo.* hora scilicet mortis: hac parte dolores corporis; illâ peccata vniuersa, quæ perpetrasti: istac dæmones vniuersi & diuina iustitia; & *coangustabunt te,* sicut ouem ab innumeris lupis circundatam. Si respexeris inferius, videbis infernum paratum,

Peccatoris mala. — Aug. ser. 59. de ver. dom. & 9. de ver. Apost. lib. 50 hom. hom. 23. Serm. 59. de temp. — Simile. — N. B. — Psal. 41. — Isaiæ 3. — Prou. 14. — Deut. 32. — Gregor. hom. 30. in Euang. — Lucæ 19. — Simile.

tum,

tum, vt te deglutiat: si sursum oculos leuaueris, videbis Deum iratum, & sanctos paratos in vltionem, de quibus Psalt *Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictā in nationibus*. Quid tunc facies, miser, ab omnibus derelictus. *Quid facietis in die visitationis? ad cuius confugietis auxilium? Ad terram prosternent te*; Quo dolore tangetur anima, cùm audierit; non est tibi pars in cęlo inæternum, sed prosternenda es in terra? *Et non relinquent in te lapidem*: non remanebit vlla fortitudo: Audi Isa. *Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ*. Quæ fortitudo est in fauilla, vt igni resistat? *Succendetur, & non erit, qui extinguat*. Mirum profectò hoc est; infirmam tūc animam esse, vt resistat igni & malis; & robustissimam, vt semper cùm ardeat, consumatur nunquā. Terret nimiùm hæc pœnarum æternitas: quam si homo consideraret, vt par est, non eam incurreret pro momētanea delectatione. Quia verò peccator ita fatuus est, vt hæc non attēdat, plorat Christus, & potiùs hac de causa plorat, quàm propter Ierosolymitanum excidium. Hinc Sap. *Super mortuum plora; defecit enim lux eius: & super fatuum plora; defecit enim sensus eius. Luctus mortui septem dies; fatui autem & impij; omnes dies vitæ illorum*. Vides Christum pro peccato tuo plorantem, & peccas? Vides Deum plorātem, flagellatum, crucifixum & mortuum pro peccato tuo; & tu in peccato persistes? Nunquam adeò graue est peccatum homini, ac nunc post mortem Christi. Hoc Dei in peccatum est odium, vt illud crucifigi Pater voluerit, crucifixo primùm Filio charissimo: & Christus crucifigi voluit, vt simul cum eo crucifigeretur vetus homo noster. *Nunc autem abscondita sunt hæc ab oculis tuis*; & vidēs hæc non vides: quia nimium terrenis intentus videre cælestia non potes. Attende hominum vitam & mores, terrenorum cupiditatem & superfluam curam; & dices, *Oculos suos statuerunt declinare in terram*; ideò cælum non suspiciunt.

Psal. 149. *Isaiæ 10.* *Isaiæ 11.* Simile. *N.B.* *Peccator non attendit ventura mala.* *Eccli. 22.* *N.B.* *Peccatum cū Christo crucifixum.* *Rom. 6.* *Psal. 16.*

Secundus sensus est illorum verborum: *Si cognouisses & tu. &c.* id est; Si nosses, ô Ierusalem, occasionem tibi nunc oblatā, cùm ego clementer te visito, & pacem tibi offero, quam oblatam reijcis. Duplex à Deo collatum est populo Israël beneficium. Primùm cùm eum sibi elegit in populum peculiarem, & segregauit à Gentibus de quo Moyses. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam. &c. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæredita-*

Duplex populo Israeli collatum beneficium. 1. *Exod. 19.* *Deut. 32.*

reditatis eius. Et ideò dicebatur, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & Deus Israel*. Hoc verò beneficiũ maximum fuit. Sed huic beneficio ingrati fuerũt, dũ sæpè Deũ relinquentes idola coluerunt. Hinc Psal. *Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.* Secundũ beneficium infinitũ illi populo collatum fuit. cùm ad eos misit Filiũ suum. Quod nũc Christus vocat *tẽpus visitationis suæ*: sicut & Zacharias, *Visitauit nos oriens ex alto* & Psal, *Visita nos in salutari tuo.* Quãta verò gloria & quot bonis ornãdus esset populus ille, si agnosceret hoc beneficiũ, & Christũ recepisset, nullus sermo explicare sufficiet. Si, n, oleastro in oliuam inserto (populo scil. gentium) tanta fuit gloria, quid naturalibus ramis futurum, si in bonitate permansissent. Et hinc factũ est, vt hi, qui de populo illo Christũ receperunt, maxima à Christo dona acciperẽt, vt Apostoli & discipuli Christi. Meritò ergò nũc ad eos Christ⁹ dicit: *Si cognouisses & tu*; hoc scil. Dei beneficiũ, hoc donũ, ꝙ Pater donauit, cùm me tibi dedit.

Psal, 105. *II. beneficiũ.* *Luc. 1.* *Psal. 105.* *Simile.* *Rom. 11.* *Rom. 3. 9.* *Deut. 4.*

Id verò ipsum nobis omnibus dicetur; *Si cognouisses & tu*; &c. Qui in agro suo haberet absconditum thesaurũ infinitum, quo reperto Dominus vniuersi esse posset; meritò audiret ab eo, qui thesaurum ibi esse nôsset, *Si cognouisses & tu.* In hac occasione fuit populus Iudæorũ, & in simili nos versamur, qui eundem Christũ habemus in Eucharistia, qui in lege gratiæ sumus. Si sciremus, quantum nostra intersit, ad Sacramenta frequenter accedere: si sciremus, cùm dæmon nobis offert, vel alienam substantiam, vel delectationem carnis, velut pomum alterum Adæ, infinita mala, quæ sub eo latent, & infinita tormẽta inferni, quæ parata sunt nobis, si peccauerimus; aliter nos haberemus, quàm habemus. B. Gregor. legit: *Si cognouisses*, & ibi sistit, & quasi diuersam clausulam legit, quod sequitur. *Et tu* q. d. Et tũ Ierusalem, dilecta à me, & multis affecta beneficijs, in me insurgis? me crucifigis? tu desolanda es, & perdenda. Videns Cęsar Brutũ volentẽ cum alijs ipsum occidere ait, Et tu quoq; fili? An nõ iure ad nos Christus dicet, TV in Deum peccas? TV, qui sacerdos Christi? qui fidelis es? qui in Ecclesiam vocatus? qui Sacramenta participâsti? Quod in me peccet Ethnicus vel Turca, non adeò mirũ; sed mirandũ valdè, ꝙ TV, qui innumera à me recepisti beneficia, cui plura ignoui scelera, iterum ea repetis? *Tu verò*

Simile. *Tempus visitationis non agnoscimus.* *N. B.* *Gregor. hom. 39. in Euan.* *Luc. 19.* *Sueton. in Iul. Cæs.* *Καὶ σὺ τέκνον.* *N. B.* *Rom. 2.* *Psal. 54.*

homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos? *Videns* ergò *ciuitatē fleuit super illam,* & verba dulcia ei loquitur, priusquam in eam ira eius desæuiat. Respicit iustos, & lętatur, & *quasi pater in filijs complacet sibi.* Respicit peccatores, vt puniat, quia inimici sunt; iuxta illud Psal. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eius.* Sed antequā iustitia peccatores respiciat in vltionē, misericordia eos respicit in bonum, vt eos conuertat. Sic Petrum respexit negantem: sic nunc respicit Ierusalem misericordia motus. Homo enim respicit inimicū, vt vltionē capiat; Deus, vt eum conuertat. Sed cùm non redit homo ad mentē, tunc respicitur à Deo in ira; tunc non lachrymatur eius causa, sed ridet. *Ego quoq; in interitu vestro ridebo* &c. Hanc verò Dei irā in hostes miris verbis describit Moyses. *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarißimo. Dentes bestiarum immittam in eos. Foris vastabit eos gladius & intus pauor &c. Et dixi. Vbinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorū.* Ne ergò hæc nos inueniat ira, agnoscamus, & quæramus misericordiam, &c.

Respectus Christi in iustos & impios. *Prou. 3. 6.* *Psalm. 33.* *Iob 10.* *Prou. 1.* *Isaiæ 56. b.* *Ier. 7. c.* *Deut. 32.* *Psalm. 33.*

DOMINICA DECIMA POST TRINITATEM.

THEMA: *Omnis, qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 18.

OMNES diuinorum voluminum paginæ hanc vbique sententiam spirant: DEVS SVPERBIS RESISTIT, HVMILIBVS DAT GRATIAM. Et hoc omnis diuina historia comprobat. Sed illud manifestū fit, si attendamus Mariam & Luciferum. Superbia fecit, vt altissimus creaturarum Lucifer omnium minimus fieret. HVMILITAS fecit in MARIA, vt minima creaturarū super omnes puras creaturas ascenderet. Licet verò experientia res sit manifesta, difficilè tamen suadebimus hominibus humilitatem; & ideò necessaria gratia est. quam nobis humillima Maria obtinebit. &c. Aue Maria.

Propositio & Gnome. *Aug. in prol. lib. de doctr. Christ. libr. 1. c. 35. 36. 37. 38 39. 40.* *Epist. 3. 56. 119. cap. 21.* *Iac. 4.*

MAXIMVM homini insitum desiderium est ascendendi: sed si rectum ascendendi ordinē non teneat, facilè peribit, & ad infernum detrahetur. Ascendere voluit Lucifer, dicens, *In cælū conscendā, & super astra Dei exaltabo*

Ascendendi desiderium. *Isaiæ 14.* Exemplū.

Lucæ 10. *solium meum; Similis ero Altißimo*: sed *detracta est ad inferos*
Genes.3. *superbia* eius,& visus est *tanquam fulgur de cælo cadere*. Ascen-
Exemplũ. dere voluit Adam,cùm esse voluit sicut Deus; sed se & v-
Humilitas niuersam posteritatem miserè deiecit in peccatum & in-
ascensus est: numeras miserias. Sed ais: Quomodo ergò recta via con-
superbia des- scendã,& Deum consequar? Hoc nobis hodiè Christus o-
census. stendit verbo & exemplo hominum duorũ. Ascensus via
Exempla. HVMILITAS est; descensus,SVPERBIA.Hoc in Publi-
Gen. 4. cano & Pharisæo manifestũ est. Vt hoc nobis significaret
Gen. 6. Deus,ab initio mundi patuuli ei placuerũt,& ab eo electi
Bar. 3. sunt. Duo filij Adæ fuerunt Cain & Abel:hic minor natu
Gen.25. Deo placuit. Sic fuêre *Gigantes,viri famosi,statura magna,sci-*
Mal. 1. *entes bellum*:sed *nõ hos elegit Dominus*. Abrahã duos habuit
Rom.9. filios Ismaël,& Isaac;sed hunc minorem natu elegit Do-
minus. Duo filij fuêre Isaac, Esau & Iacob: sed *Iacob Deus*
Genes. 29. *dilexit,Esau autẽ odio habuit*, licet maiorem natu. Sic Iacob
30.35. plures quidem habuit filios, sed minores natu, Ioseph &
Beniamin,præ cæteris dilecti. Et Iacob filijs Ioseph sini-
stram Manasse,qui maior natu erat, dextrã verò Ephraim
Gen.48. imposuit,*constituitq; Ephraim ante Manassen*. Electurus dein
de Regem populo suo primum Saul elegit, qui de se ait.
1.Reg.9. *Nónne filius Iemini ego sum,de minima tribu Israel,& cognatio*
1.Reg.15. *mea nouißima inter omnes familias de tribu Beniamin*? Sic Sa-
muel. *Nónne,cùm paruulus esses in oculis tuis,caput in tribubus*
1.Reg.16.17. *Israel factus es*? Vis exaltari? esto *paruulus in oculis tuis*. Electu
Psal. 77. rus Deus secundum Regem, minimum inter filios Israel
2.Reg.12. Dauidem elegit,de quo pater: *Adhuc paruulus est reliquus,et*
3.Reg.1. *pascit oues*. quo præsente, ait Deus Samueli: *Surge, & vnge*
Matth 19. *eum;ipse est enim*. Sic & minimus filiorum Dauid Salomon
& 18. thronum regni accepit. Sic & Christus in mundum veni-
Marc.10. ens,increpat prohibentes paruulos accedere ad ipsum;&
Lucæ 18. ait: *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælo-*
N.B. *rum* Num placent Deo,qui pueri sunt corpore? In myste-
Aug.serm.2. rio hæc facta sunt, vt ostendat Deus placere sibi humiles.
de asc. Dom. Audite miraculum magnum,fratres: Eriges te,& Deus fu
175.de temp. git à te; humilias te, & Deus descendit ad te. Quare hoc?
serm.70.ad *Quia excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cog-*
fr at.in Erẽ. *noscit: quia humilia respicit in cælo & in terra*, in Angelis &
& 12. hominibus. Ideò ergò minores in pretio habẽtur à Deo,
Psal.63.& quia figura humilium sunt. 2.Par.3 1 Par.21.Gen.22. Gigã-
112.137. tes verò superborum simulachra, vt & maiores.

Appri-

Apprimè verò Christus in duobus hominibus depingit humilē & superbum. *Duo homines ascenderūt in templū*, quod in monte Sion erat: *Vt orarent*, nō vt vana viderent, non vt cōfabularentur, sed vt preces funderent. *Pharisæus stans hæc apud se orabat*. En expressam superbi figuram, qui licèt multis bonis ornatus esset, Deo non placuit, brauium non accepit, sed superbia elatus omnia bona amisit. Sed sigillatim eius mentem superbam attendamus. *Superbia Pharisæi.*

I. Oraturus Deum *stat*: quo situ cor altum ostendit. Salomon orat genibus flexis: similiter Daniel. Et Moyses in faciem cadebat, vt oraret. Et Christus oraturus Patrem, *procidit in faciem suam*. Pharisæus verò stat, & mentis elationem abscondere nequit. Cætera enim vitia aliquando abscondi solent; superbia verò nullibi, nec in ipso templo coram Deo. *2.Reg.8. Dan.8. Luc.22. Num.36. Superbia abscondi non potest, nec coram Deo.*

II. Pharisæus *hæc apud se orabat*. Dicitur apud se orare; quia ab eo proficiscebatur illa oratio, nec erat à Deo inspirata, vnde nulla erat. *Quia nos quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed spiritus postulat pro nobis*. Hinc fit, vt oratio, quę non est à Deo, sed à nobis, non ascendat ad Deum. *Rom.8. Oratio, quæ est à nobis, non ascendit ad Deum.*

III. Hoc manifestum fit, si illius orationem attenderis; ait enim: *Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum*. &c. Orationem exorditur à suis laudibus; cùm *iustus in principio orationis accusator sit sui*: hic verò ait, *Non sum sicut cæteri hominum*, id est, *nō sum sicut omnes homines*: ego iustus, cæteri autem peccatores. Vbi notandum, duplicem esse hypocrisin: Alterā crassam, qua videt homo se peccatorē, & tamen iustū se simulat, vt hominibus in pretio habeatur: alteram occultam, qua se ipsum quis decipit, putans se iustum, cùm peccator sit. Huiusmodi hic Pharisæus erat, qui sibi iustissimus videbatur. *Pro.18. Aug.ser.36. de verb dō. Hypocrisis duplex. Greg.1.dial. cap.10.*

Sed vnde ortum habuit huius superbia, & Publicani humilitas? Hinc profectò, quod Publicanus in se aspicit ea, quæ à se habet: Pharisæus verò respicit ea, quæ à Deo habet, non attendens illa aliena esse. Interrogatus Ionas est, *Quod opus tuum? quæ terra tua? et quo vadis?* Interroga à te, ô homo, Vnde es? quo vadis? quæ est terra tua? Certè de nihilo conditus. Quid tu eras ante centum annos? Certè nihil Quid ergò inflaris? Dic quo vadis? Certè in puluerem. *quid ergò superbis terra & cinis?* Quod est opus tuum? certè peccatū. Hæc non aduertit Pharisæus. Putauit opus *Superbiæ et humilitatis origo. Ion.1. Ioan.1. Tu quis es. N. B. Eccli.10.*

suum, & à seipso virtutem esse; cùm sit opus Dei. Vnde Isa. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Opus verò hominis sine Deo peccatum est. Qui ergò *se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Ille autem putat *se aliquid esse,* qui existimat aliquid boni à se processisse; cùm tamen omnia bona à Deo sint. Nam licèt opera virtutis nostra etiam sint; Vnde Sap. *Laudent eam in portis opera eius.* Et Ioã. *Opera enim illorum sequuntur eos*: præcipuus tamen author boni operis Deus est, qui ait; *Sine me nihil potestis facere.* adeò vt benè cogitare sine illo non possimus. dicente Paulò. *Non quod simus sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Homo verò Dei instrumentum est. Sicut ergò gloria & honor pulcherrimę imaginis depictæ redditur opifici, non penicillo; sic virtutis gloria Deo, & non homini. Hinc Isa. *Nunquid gloriabitur securis contrà eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eũ, à quo trahitur?* Et Ideò Psalt. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Licèt ergò homo vt instrumentum Dei opera virtutis perficiat, Deus tamen gratiam cõtulit, vt Paul ait, *Non ego; sed gratia Dei mecum:* ergò sibi inde gloriam & nomen non arroget. Sed obijcis: Licèt instrumentum Dei sim ad opera bona perficienda, vt serra & securis, quæ se nõ mouent, ego verò liberè Deo concurro, qua propter meritũ est in opere meo. Resp. ita se rẽ habere; sed quòd tu concurras, & velis, Dei opus est te mouentis, vt velis: quia *non est volentis neq; currentis, sed miserentis Dei.* Summa est: Licèt homo aliquid faciat, qua ratione mereatur gloriã, tamẽ adeò paruũ ac minimũ, est id, quod ipse pręstat, & adeò magnũ ac maximũ, quod Deus, vt gloriari homo nõ debebat, sed Deo sit gloria referẽda. Quid verò mirũ hoc nobis videri debet, cũ Ethnicus Dux Atheniẽsiũ Pytho, Cotyn rege interempto, hoc agnouerit, qui laudãtibus eũ Atheniẽsibus respondit; *Deo habẽda est gratia; quib. authoribus hoc præclarè gestũ est: nã ipse nihil aliud quã manum et operã cõmodaui.* Si Ethnicus hoc dicit, quid Christianus lumine fidei instructus? Sicut mater viro patit filios, qui præcipuus agẽs est; ita virtutis opera Deũ parentẽ habẽt, animã verò matrẽ, quę cum dolore hos parit filios: nomẽ ergo & gloria Deo referẽda est, cui dicũt: *A facie tua, domine, cõcepimus, et parturiuimus spiritũ salutis.* Vtilitas vero operum vniuersa homini seruatur, non Deo; pro eis enim

Isa. 28. *Gal. 6.* *Quis se aliquid esse putet.* *Pro. 13.* *Apoc. 14.* *Ioan. 15.* *2. Cor. 3. & 12.* Simile. *Isa. 10.* *Psal. 113.* *1. Cor. 15.* *Opera bona omnia ad Deum referenda.* *Rom. 9.* *Plutarch. li. de sui laude.* Exemplũ. Apophthegma. Simile. *Gen. 16. 17. 21. & 24.* *Isa. 64.* *Vtilitas bonorũ operũ*

nim immẽſa gloria donabitur; & non tantũ vtilitas, ſed *homini cedit*
& gloria & honor. Nã *gloria & honor in omnẽ animã homi* *non Deo, ſed*
nis operãtis bonũ, Iudæi primũ et Græci. Hunc vero honorẽ vo *à Deo præſta-*
luit Deus nõ ab homine quæri, ſed à ſe præſtari; & ſic me *tur.*
lius honori hominis iuſti cõſultum eſt: Deus enim da- *Rom. 2.*
bit illũ immensũ. Vult quidẽ Deus hominẽ exaltari, ſed
noluit, vt ſe homo exaltaret, verũ humiliaret: quia *Domini*
eſt aſsũptio noſtra, et ſancti Iſrael regis noſtri. Sic vniuerſis cre- *Pſalm. 88.*
atis *adduxit ea Adã, vt videret, quid vocaret ea;* quo ſic homi- *Gen. 2.*
nẽ exaltaret: at noluit, vt homo ſibi nomẽ imponeret, ſed Exemplũ
Deus ei nomẽ indidit *Adã.* q. d. Reliqua nomine bono im allegoricũ
poſito exaltet homo, ego verò ipsũ exaltabo eũ honorifi *Ioan. 12.*
cabo. Hinc Chriſtus: *Honorificabit eũ Pater meus.* En ergò ho
mini datur vtilitas boni operis, & gloria ac laus, ſed à Deo.
Hãc verò tandẽ ſibi vſurpare Phariſęus voluit, & gloriari *Pſalm. 48.*
in virtutũ operibus, ſicut illi, *Qui cõfidũt in virtute ſua, & in*
multitudine diuitiarũ ſuarũ gloriantur. Exterius quidẽ gratias
Deo referre videtur, ſed dum in virtutũ officijs gloriatur
inaniter, ſibi interiùs gratias agit, & propriã quaſi manũ
exoſculatur, quod talia præſtiterit virtutũ officia. Et ideò *Greg. lib. 22.*
de eis erat, *qui in ſe cõfidebant* ſuperbus, arrogans aliosque *Moral. c. 5. in*
deſpiceris ad quos hodiernã parabolam Chriſtus dixit. *Iob. 31.*

Publicanus verò à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum le- *Humilitatis*
uare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens, DEVS propitius eſto mi *deſcriptio.*
bi peccatori. En humilis deſcriptionẽ. I. De eo dicitur, *quod* *Verecundia.*
à longe ſteterit; indignum ſe diuino conſpectu iudicans, *Thedoret. li.*
in vltimo templi angulo orat. Quo docemur in templis *5. hiſt. Eccl.*
primum locum non quærere. II. Non audet præ confu *c. 17. De con-*
ſione *oculos ad cælum leuare.*: non aſpicit, vt aſpiciatur. Ni- *ſecr diſt. 2. c.*
hil enim Deo gratius in peccatore, quã humilitas & vere *Sacerdotiũ*
cundia. Hinc Manaſſes: *Non ſum dignus intueri altitudinem* *& c. peruene-*
cæli præ multitudine iniquitatum mearum. Et Eſdras. *Deus me* *nit.*
us confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te; quoniam in *2. Par. vlt.*
iquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & deli Exempla.
cta noſtra creuerunt vſque ad cælum. Sic Achab. *demiſſo vultu* *2. Reg. 21.*
incedebat. Qui enim cùm peccauerit, non erubeſcit, veni- *1. Eſdr. 9.*
am à Deo non obtinebit.

III. *percutiebat pectus ſuũ.* quo in loco cor eſt: quaſi dicat *Percuſsio*
Cor perpetrauit delictum, cor illud perſoluat, & ob ſcelus *cordis.*
puniatur. Nam *de corde exeunt malæ cogitationes,* & cæt. quæ *Matth. 17.*
coinquinant hominem. Et cùm manus ſit totius corpo- *Marc. 7.*

ris

ris instrumentum, vniuersa corporis membra ei vices suas tribuat, vt cor percutiat quasi malefactorem. Sic percussit cor suum Dauid, cùm populum numerasset, dicēs. *Peccaui valde in hoc facto.* 2. percutit cor, vt sicut silex percussu scintillas emittit, sic percussum cor scintillas illas igneas verba ignita daret, *Deus propitius esto mihi peccatori.* 3. sæpiùs cor percutit, vt sicut percussa petra, largissimas dedit aquas; sic cor percussum lachrymas vberes fundat. & sicut res dura percussione conteritur, sic cor conteratur: *Cor contritum, & humiliatum, Deus non despiciet.* Percutit ergò se, ne percutiatur à Deo: Deus enim percutit non percutientem se. Vltionem de se sumit, se iudicat, ne iudicetur. Sic Ierem. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostēdisti mihi percussi fæmur meum; confusus sum, & erubui.*

IV. Sed quid percusso pectore orat? *Deus propitius esto mihi peccatori.* Si seruasset in se homo, quod in illo creauit Deus, semper laudaret eum lingua & vita: nūc verò de se addit homo peccatum, quod propitiatione opus habet. Optima igitur oratio illa, in qua peccati venia petitur; quam statim exaudit Deus, si pleno corde fiat. In hac verò oratione humili manifestè patet illud Sap *Oratio humiliantis se, nubes penetrat*: quoniam *descendit hic iustificatus ab illo*, id est, præ illo, qui sibi sanctitatem præripere putauit. Geminas aurigas, & duas bigas in stadio positas vides: in altera quidem iustitia & superbia; in altera, peccatum & humilitas. Et vides bigam peccati superare iustitiam humilitate coniuncta: illam verò deuictam non fragilitate iustitiæ, sed tumore superbiæ Ex quibus colligendū nobis est: Si humilitas tantum valet cum peccatis, vt ea deleat, & Pharisaicam sanctitatem superet: quid faciet virtutum operibus coniuncta? & rursū: Si adeò detestabilis Deo superbia est, vt pluribus virtutibus admixta, eas destruat, quid faciet peccatis coniuncta? quo hominem detrahet?

V. Tandem hi duo venerunt, vt eleëmosynā à Deo peterent. Sed Pharisæus diuitias ostendit, & ideò nihil recepit. Et vt Ezechias, diuitias ostentās, audit eas auferendas à Rege Babylonis; ita ostentatas à Pharisæo diuitias dęmō abstulit. At Publicanus rectius eleëmosynā petit, paupertatē ac miserias ostendēs: sic.n. pauperes à diuitibus eleëmosynam obtinere curant. impletumque est illud Christi; *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* ecce Publicanū præ-

Marginal notes: 2. Reg. 24. — Simile. — *Aug. libr. de pæni. medic. c. 2. in Psa. 31. Ser. 8. de ve. Do. Matt. 11. confiteor. ser. 48. de temp. & 41. de Sā.* — 1. *Cor.* 11. — *Ierem.* 31. — *Oratio.* — *August.* — *Vide ser. 5. post Dom. 5. Quad.* — *Eccl.* 15. — *Bigæ duæ.* — *Chrys. ho. 5. de incompr. Dei nat cōt. Anom. Hō. 3 & 4. de verb. Isa. Vidi Do. in Ps. 29.* — N B, *Ostensio miseriæ.* — *Aug ser 36. de ver. Dom.* — Exemplū. — *Isa.* 39. — Simile. — *Matth.* 21.

præcedentem Pharisæum: Sic & meretrix melior iudicata est Pharisæo. Neminem ergo despexeris; sed cum Paulo, *in humilitate sibi inuicē superiores arbitrātes*. Despicit Pharisæus Publicanum, & ipse à Deo spretus est. Vnde Isaias. *Væ qui spernis, nónne & sperneris?* Et Malach. *Nunquid nō pater vnus omnium nostrum? nunquid non vnus Deus creauit nos? Quare ergò despicit vnusquisque nostrum fratrem suum?* Fortè is, quem despicis, in Dei conspectu te superat, sicut Publicanus Pharisæum &c. Hinc Sap. *Ne spernas hominem in visu suo. Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Prudentior verò ape Publicanus fuit: illa enim ex floribus mel conficit; sed Publicanus ex veneno peccati sibi medicinam cōfecit humili confessione. &c.

Phi.2. *Aug. lib. 2. de pecc. mer. et remis. c.5. lib 50. hom. homil. 44.* *Isa 32.* *Mal. 2.* *Eccli 11.* Comparatio. *Aug serm. 3. de verb. Apost.*

IN EADEM DOMINICA.

TRIPLEX peccatorum genus in mundo est. Primū eorum, qui manifesti peccatores sunt, & ipsi sciūt se damnatos esse ad infernum. Nam *anima, quæ peccauit, ipsa morietur.* Infelix homo, qui Deū eijcit, & dæmonem recipit, qui eum secum ducet in gehennam: qui Deo dicit; Recede à me; dæmonem enim volo recipere.

Ezech. 18.

Secundum hominum genus est eorum, qui putant se in cælum viam agere, nec agunt; putant se iustos, & non sunt de quib. Sap. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouißima eius ducunt ad mortem.* Quorum summum est discrimen; quia non agnoscunt infirmitatem suam, sed se sanos putantes medicamina non adhibent. Ij sunt, qui Deum ex toto corde non diligunt; sed aliqua exteriora opera iusta præstant, quibus decipiūtur, putantes se iustos esse; cùm aliquid lateat in corde, vnde damnentur. Horum hominum figura in Euangelio nobis proponitur, dum Pharisæus procedit in templum, qui sibi iustus apparebat, cùm tamen non esset; quia Deum ex toto corde non diligebat, sed quædam exteriora bona habebat in quibus confidebat; ideoq; ingreditur oculis ac facie erectis, quasi nihil haberet, quod erubesceret, & orationē fudit, de qua Psal. *Et oratio eius fiat in peccatum.* Licèt enim exterius gratias Deo agere videatur, interius tamen sibi eas referebat, quia iniustum cum non esse, sibi confidebat. Si in te, & non magis *in Domino gloriaris*, propriam pro-

Peccatorum genus periculosißimū. *Pro. 14. 16.* *De bonis operibus non est gloriandum, nisi in Domino.* *Psal. 108.* *Bern serm. 4 in Cant.* *Iob. 31.*

Greg.22. Mor c.6. alia edit.cap. 4. & 5.

profectò *manum*, & non domini *osculatus es ore tuo, quæ est iniquitas maxima, & negatio cõtra Deum altißimum.* Sunt verò nonnulli similes huic Pharisæo, qui cum bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum penitus obliuiscuntur, & considerant bona opera, atque adeò se perfectos existimant. Qui si districtionem iudicis vigilanter attenderent, plus de malis suis metuerent, quàm de imperfectis bonis exultarent. Nec enim absolutus est debitor, qui multa, sed qui omnia reddidit: nec ad brauium victoriæ peruenit, qui magna in parte cucurrit, sed qui cõprehendit. More itaq; viatorum nequaquam debemus aspicere, quantũiam iter egimus, sed quãtum superest, vt peragamus. Amplius debemus inspicere, quæ bona necdum fecimus, quã ea, quæ iã nos fecisse gaudemus. Sed habet hoc humana infirmitas propriũ, vt plus ei intueri libeat, quod sibi in se placet, quã quod sibi in se displcet Sed si verè iusti sumus, ab eo, in quo nobis placemus, mentis oculos auertere decet, & omnẽ in nobis de peractis bonis lætitiã deprimere: & penè soli bona nostra non videamus, quę in nobis videnda alijs ad exẽplum præbemus; sicut Christus monet: *Sic luceat lux vestra coram hominibus,* &c. Habent enim sancti viri proprium, vt bona quidem, quæ agunt, videant, & tamen cum peregerint ab eorũ memoria oculos auertãt. Vnde Paulus dũ expleta in se bona postponit, & sola adhuc reliqua per agenda cogitat, dixit: *Ego me non arbitror apprehendisse.* Et vt posset se de bonis, quæ agebat, humiliare, studebat ad animum præterita mala reducere, dicens, *Qui priùs fui blasphemus, persecutor, contumeliosus.* &c. Vt discipulos Corinth. instrueret, de se magna referebat; vt verò se in humilitate custodiret, cõsiderationis oculũ non in virtutibus, sed in infirmitatibus fixerat, dicens: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis.* &c. Vnde etiam rectè Iob ait, postquam enumerauerat multa bona sua: *Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè.* &c. per solem opera bona, per lunam famam bonam intelligit: ac si apertè diceret: opus meum ad præsumptionem non attendi, nec famam bonam aduerti; sed cum de eo extolli timui, ab ijs intuendis oculos auerti. Quia ergo Iob, nec sua bona attendebat, vt gloriaretur, non vidit solem splendentem, quia nec famã & fauorem populi, nec etiam attendebat lunam, nec *osculatum fuit manum suam,* quia sibi bona non tribuit, quæ operatus

Simile. Phi.3. 1.Cor.9. Simile. N. B. Bona facienda, & non facta, in spicienda sunt. Matth.5. Exemplũ. Phil.3. 2.Tim.1. Gregor.18. Moral.c.7. in Iob, 27. & 19.c.14, in Iob 29. 2.Cor.11. Exẽplum. Iob 31. Greg li.23 c. 4. in Iob.32. & c.11. in Iob.33.

Hinc Paul. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sācti enim viri, quicquid in se mali viderint, sibi tribuunt; quicquid boni, *Dei* gratiæ. Cuius oppositum dicit Iob iniquitatem & Dei negationem. Hoc verò Pharisæus corde agebat in se cōfidens. Bona igitur sua iactat, & gloriatur in virtutibus suis, putās se vndiq; perfectum, nihilq; sibi deesse. Et ideo cùm oratu rus ascēderet, orauit nihil: nihil enim sibi dari postulauit: Et ideo de illis est, de quib. Ioan. *Dicis quia diues sum, & nullius egeo; cùm sis pauper, miserabilis, cæcus, et nudus.* Quia enim se perfectum putat, in se cōfidit; quod *D*eus execratur valdè. Et mirabili ac stupendo prorsus exemplo hoc ostendit in filijs Israël, qui contra Beniamin, scelus infandum in vxorem Leuitæ perpetratum vlturi, Dei præcepto, ob iustam causam, duce à Deo designato, bellum gerentes, prima die 22000. & altera die 18000. amiserunt, quia *Filij Israel & fortitudine & numero confidentes aciem direxerunt contra Gabaa Beniamin:* donec fleuerunt coram Domino, ieiunaueruntq;, & obtulerunt holocausta, atq; pacificas victimas; & sic deleuerunt vniuersam ferè tribum Beniamin. Adeo Deo displicet is, qui in se confidit. Sic Samson *nesciens, quòd ab eo recessisset dominus,* suis viribus infixus, putauit se posse euadere periculū, & ideo captus est; posteà verò orās, *Rede mihi domine fortitudinē reddita est ei,* & oppressit inimicos. Sic Dauid, iuuenis inermis, superbū Goliath in clypeo & hasta confidentem deiecit; ideo Dauid ait. *Tu venis ad me in clypeo & hasta, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Hic ergo Phariseus iactat virtutes suas, & ideo à Publicano superatus est, qui *descendit iustificatus in domum suam, præ illo.*

1. Cor. 4.
Sancti mala sibi tribuūt, bona Dei gratiæ.
Vide infra Domini. 16.
Apoc. 3.
Exēplum.
Iud. 19.
Iud. 20.
Confidens in se Deo displicet.
Iud. 16.
Exēplum.
Exēplum.
1. Reg. 17.

Sed dubiū est, cū virtutis opus sit ab homine elaboratū, cur in eo gloriari nō possit? 1. Quia iustitiæ nostrę incertæ sunt. Sicut. n. aurū & aurichalcū similia sunt; ita iustitia vera & falsa. Nescimus verò, an opera nostra Deo sint grata; & an nos Deo grati simus, ignoramus. Hinc Iob. *Etsi simplex fuero, hoc ipsū ignorabit anima mea.* Hinc & Paul. *Nihil mihi cōscius sū, sed non in hoc iustificatus sū.* Et Sap. *Nescit homo vtrū amore an odio dignus sit, sed omnia in futurū seruātur incerta.* Donec ergò à iudice iusto iudicētur iustitiæ nostræ, nihil nobis certi est. Hinc Pet. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebūt?* Multa. n. opera in oculis hominum iustissi-

Cur in virtutis opere à se facto homo gloriari non possit.
Simile.
Iob 9.
1. Cor. 4.
Eccles. 9.
1. Petr. 4.

iustissima apparent, quæ in Dei iudicio praua apparebũt; non ergò nobis gloriandum est in illis.

Secunda ratio est, quia opera bona nostra plena sunt imperfectionibus. Hinc Isa *Facti sumus immundi omnes nos; & quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ*. Et Iob: *Cæli non sunt mundi in conspectu eius. quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Sicut ergò artifex non gloriatur in opere imperfecto, ita nos gloriari non oportet in operibus nostris.

Opera nostra imperfecta. *Isa 64.* *Iob 15.* Simile.

Tertia ratio est: Quia iustitia nostra stabilis & firma non est. Iustus es? sit ita: multis bonis operibus abundas? concedo: demusq; id diuina reuelatione notum esse: scito tamen te facilè posse mutari, quasi folium arboris potest sal euanescere. *Noli ergò altum sapere, sed time*. Cecidit Lucifer ab arce cœli; Adam in paradiso; Dauid sanctissimus vir secundùm cor Dei; Salomon sapientissimus; Petrus Apostolorum princeps; quis ergò securus erit? Damnatur Iudas, saluus fit latro: præfertur Magdalena & Publicanus Pharisæo; quis alterum despiciet? Cauendum ergò nobis à superbia Pharisæi, qui ciuitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustrà per ieiunium & orationem clausit. Sic etiam multi sunt fideles, qui multa pietatis opera præstant, quibus quasi muro ciuitatem cordis custodiunt; sed in aliquod vitium labuntur, quo damnantur. Hic iurandi consuetudinem non relinquit; ille honorem colit; ille diuitias; ille mulierculam; ille detrahit proximo. Sicut erga seruās ciuitatem, & eam ab hostibus custodire volens, curat, vt nulla pars muri diruta sit, qua hostes ingredi possint: ita qui cor suum custodit, caueat ne foramen relinquat, per quod hostes intrare possint. Hinc Sap. *Omni custodia serua cor tuum*. Quia ergò Pharisæus cor à superbia non custodiuit, perijt.

Iustitia nostra instabilis. *Rom. 11. & 12.* Exempla. *Greg. lib. 19. Mor. c. 12. in Iob. 29.* A simili. *N.B.* *Pro 4.*

Iam tertium genus hominũ in Publicano videamus. *Publicanus autem à longe stans.* &c. Cùm se in tẽplo vidit, tremore cõcussus est, dicẽs. Egóne in domo dei mei apparebo? recordatusque verecundia peccatorum suorum ait: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Et quia ille peccata sua respexit, Deus ab eis oculos auertit. Sic Dauidi contigit, qui ait: *Peccatum meum contrà me est semper*; & ideò rectè orat, *Auerte faciem tuam à peccatis meis*. Sed quatuor sunt, quæ in

Tremor peccatoris salutaris. *Aug. serm. 36 de ver. dom. & in Psal. 50.*

in hoc peccatore pœnitente contemplari libet, 1 à longè stat, timore compulus. 2. non audet oculos in cælum leuare, verecundia suffusus. 3. percutit pectus. 4. orat *Deus propitius esto mihi peccatori.*

I. Verè pœnitens se Deo confert, & acta sua cum diuinis misericordijs, quas à Deo suscepit, & infinitè se à Deo distare videt: & sic timore & reuerentia cōcussus, nō audet ad Deum accedere. Sicut in natura videmus opera procedere ab imperfecto ad perfectū: ita in gratia timor imperfectus est, qui *est initiū sapiētiæ*, amor verò perfectus, qui *foras mittit timorem*. Timet homo mortem & æterna supplicia, & sic terroribus anima concussa ad Deum redire disponat, & à longè stet, timens Dei in se iram: sicut filius vel seruus, patrem timens aut dominum, non audet propè accedere. Hinc Christus; *Ostendam vobis, quem timere debetis, eum, qui postquàm occiderit corpus, potest animam mittere in gehennam.*

Verèpœnitēs se Deo confert.
Aug. lib. de catechiz. rud. c. 5.
Simile.
Psal. 110.
1. Ioan. 4.
Aug. in Psal. 590.
Matth. 10.

II. Quia omninò à Deo recedere non valet (*quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* ait Psal.) videns se corā Deo, verecundia suffunditur; agnoscens peccata sua, ingratitudinem, & Dei maiestatem & beneficia: sicut adultera coram viro constituta. Hinc procedit in anima pusillanimitas; quia dæmon illis pingit Deum asperum ac durum, & grauissima scelera eorum eis ostendit, quę prius leuia dixerat, vt in peccatum induceret. Rectè pater mendacij astutissimus hic serpens dictus est à Christo: in vtroque enim mentitur. Peccanti enim Deus durus est plusquam *Leo, velut vrsa raptis catulis*: sed pœnitentibus plusquam indulgentissima ac benignissima mater. *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* In his quæ ex iustitia petimus, proponimus iustitiam nostram; in his verò, quæ ex misericordia, proponimus miseriam nostram; quæ eò magis mouet, quo maior est: at remissionem peccati ex iustitia petere non possumus, ergò ex misericordia. Et ideò quo maior miseria peccati, eò plus misericordiam expectemus. Hinc Psalt. orat: *Propter nomen tuum, domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim.* Ideò remissionem petit, quia multū peccatum est. Et iterū: *Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarū*

Verecundus suffunditur.
Psalm. 138.
Chrys. hom. 3. de pœnit.
orig. tract. 35. in Matth.
Ioan. 8.
N. B.
Ose. 13.
Rom. 5.
Deus bonis mitis; malis durus.
Psalm. 24.
Psal. 49.

Cōparatio. *antiquarū;citò anticipent nos misericordiæ tuæ;quia pauperes facti sumus nimis: & propitius esto peccatis nostris propter nomen*
Esth.5. et 15. *tuum.* Visa Assueri maiestate Esther animo concidit: sed Assuero benignè accurrente, & blandè loquente vires
Ierm.5. resumit;ita anima, quæ ad Deum conuertitur, attendet
N. verba Dei bona, verba consolatoria; *Reuertere auersatrix Israel, & non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus ego sum, & non irascar in perpetuum.* Agnosce,ô homo, peccatū tuum,& statim Deus amplexabitur te,dabitq; tibi non dimidium regni sui,sed integrum regnum.

3. Pectus percutiebat Publicanus,quasi è somno euigilare faciens, vt peccati fœditatem agnosceret,& ad bona opera agenda surgeret. Percutiendum enim est cor dolore anteactæ vitæ, vt in nouam surgat,vt opera & fructus dignos pœnitentiæ exerceat. Sed quia nos ipsos nimium diligimus,nec opera pœnitentiæ,vt decet,facimus,Deus nos punire solet,vt dicamus cum verè pœnitente latrone: *Nos digna factis recipimus.*

Pectus dolore anteactæ vitæ percutitur.
Theoph.in Luc.18.
Luc.23.

4. ait: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Non excusat aut tegit peccata sua,sed confitetur:iuxta illud Psal. *Dixi; cōfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino:* & continuò fructum ostendit, *& tu remisisti impietatem peccati mei.* Ita *descendit hic iustificatus*;quia peccatum suum non abscōdit,vt homo;nec excusauit,vt Adam. Quia *qui abscondit scelera sua,non dirigetur:qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quid tu,verè peccator,excusas peccata tua,& *ad excusandas excusationes in peccatis*,dicis;Amicum fuisse in causa,quòd peccares, vel nactam occasionem? Tu peccāsti volūtate propria, ideò confitere, & dic cum Publicano, *Deus propitius esto mihi peccatori.*

Confeßio peccati.
Psal.31.
Gen 3.
Prouerb.28.
Psalm.140.
N.B.
Aug. in Psal.31.
Confitebor.

IN EADEM DOMINICA.

CONCLVDIT Deus vniuersa quę ad Iob de Behemoth & Leuiathan, id est,diabolo dixerat, his verbis: *Omne sublime videt, & ipse est Rex super omnes filios Superbiæ.* Alia vitia eas solūmodo virtutes impetūt, quibus ipsa destruātur;vt ira patientiā,libido continentiā expugnat. Superbia autē, omniū vitiorū radix,hoc ab alijs vitijs differt,quòd nequaquā vnius virtutis extinctione cōtenta,contra cuncta animę membra se erigat,& quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpat, v quic

Superbiæ malum.
Greg.lib.34. Moral.à cap.15. vsq; ad finem lib.
Superbia quomodo ab alijs vitijs

quicquid illa inuadēre agitur, etiāsi esse virtus ostēditur, non per hoc Deo sed vanæ gloriæ seruiatur. Quasi enim tyrannus quidā obsessam ciuitatē intercipit, cum mentē superbia irrūpit; & quo ditiorē quemq; ceperit, eò in Dominio durior exurgit: quia quò amplius virtutis sine humilitate geritur, eò latius ista dominatur. Quisquis verò eius in se tyrānidē captiua mēte susceperit, hoc primū dānū patitur, quòd clauso cordis oculo iudicij ęquitatē perdit. Nā cūcta, quę ab alijs benè geruntur, displicēt, & sola ei, quæ ipse vel prauè egerit, placēt. Sic Pharisæo cōtigisse Lucas testatur, qui nullū sicut se esse putauit. Vnde rectè dicitur: *Omne sublime videt*, id est, cunctos infra se positos quasi de sublimi respicit. Cui Isa *Væ qui sapiētes estis in oculis vestris, et corā vobis metipsis prudētes.* Et ideò Paulus monet: *Nolite prudētes esse apud vosmetipsos.* Quasi altū verò & grandē se respexit Phariseus, dū se prętulit alijs. Hoc autē propriū esse specimē electorū solet, quòd de se semper sētiūt infrà, quā sunt, verè æstimātes, posse aliquid esse occultū in alio, quo nobis superior sit. Hinc Psalt. *Si nō humiliter sentiebam, sed exaltaui animā meā.* Et Christus cōfitetur patri, *quia abscōdisti hæc à Sapiētibus et prudētibus et reuelâsti ea paruulis.* Quia sicut iniusti est putare se omnibus superiorē; sic iusti, omnibus se putare infimum. Et iniustus bona sua inspicit; iustus verò mala: & mira Dei dispēsatione agitur, vt mala iusti, dum ea respicit, ei vertantur in bonum; & cōtrà bona iniusti, dum ea inspicit, ei vertantur in malum: dum de eis hic superbit, ille humiliatur.

differat. Simile. Simile. *Superbiæ damna.* *Isa.5.* *Rom.12.* *Electorū specimen proprium.* *Aug lib 83. q q.71.in Phi. 2.* *Psal 130.* *Matth.11.* Cōparatio. N.B.

Sed hæc mētis elatio quibusdā cōtingit propter tēpora liū copiā; quibusdā verò propter spiritualia dona, vt Pharisæo. Eadē quidē superbia est, sed diuerso amictu. Quod si efferri propter spiritualia stultū est; an non stultissimū est, propter tēporalia superbire, cū nihil sint? vera enim bona nō sunt, sed fallaces diuitię, vel fallacia diuitiarū, & visa mēdacia. Qui ex carnalibus superbit, audiat Isa. *Omnis caro fænū, et omnis gloria eius sicut flos fæni.* Qui ex spiritualibus, audiant post ingentia miracula dici multis: *Nescio vos.* Audiāt illi: *Diuitiæ si affluāt, nolite cor apponere.* Audiā isti, quia fatuę Virgines multa bona tulerūt: sed quia oleū eis defecit, perierūt. Et ad hoc vnigenitus Dei despectus apparuit, vt superbū non debere esse hominē doceret humilis Deus. Quāta ergò humilitatis virtus est, propter quā solā veraciter edocendam

Superbiæ origo. N. B. *Isa.40.* *Psalm.6.* *Luc.13.* *Matth 7.25.* *Psal. 61.* *Matth 25.* *Matth.11.* *Discite à me quia mitis sum et humilis corde.*

Christi humilis & diaboli superbi comparatio.

is,qui sine æstimatione magnus est,vsque ad passionem factus est paruus?Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei: Hostis quippe noster, magnus inter omnia conditus,videri super omnia voluit elatus.Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Videte horum Principum diuersitatem. Ille ait,*In cælum conscendam:* iste autem:*Repleta est malis anima mea*. Ille dicit: *Super astra cæli exaltabo solium meum:*iste dicit;*Ego sum vermis & non homo*.Ille dicit, *Similis ero altissimo*: iste verò, *cùm in forma Dei esset,non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit*.&c. Sicut verò diuersa loquuntur per se,ita etiam per membra sua Christus enim per suos dicit: *Domine, quis similis tibi?* Dæmon verò per membra sua dicit:*Nescio Dominum*.Dæmon membra sua docet,vt omne sublime videant, omne culmen appetant: Christus patiens & humilis suos alloquitur: *Si quis mihi ministrat,me sequatur*. Manifestissimum ergo reproborum signum est SVPERBIA, & electorum HVMILITAS. En;cui quisque regi militent, hoc signum ostendit. *Dæmon rex est super omnes filios superbiæ*; Christus super humiles.

Isa.14. Psal.84. Psal.21. Philip.2. Psal.34.70.88. Exod.5. Electorũ & reproborum signum. Greg. lib.34. Mor.c.18.

Publicanus cur Pharisæo prælatus. Simile. *Greg.libr.33. Moral.c.9 in Iob.41. Psalm.15. Psal.67. Luc.7. Matth.21.* Typus. *Rom.9.*

Hæc verò diuersa signa hodiè videre licet in duobus hominibus,qui in Euangelio proponuntur. Vnus enim diabolo,alter Christo militat.In quibus apparet, quàm sint oculta Dei iudicia Nam vt accidere solet,cum sortes mittuntur, vt regi nulla, seruo autem optima contingat, sic Pharisei sors nulla apparet;Publicani verò preclara,vt dicere posset;*Sortes mihi ceciderunt in præclaris*:Verè *pluuia voluntaria* est diuina gratia,quam in angulo templi pluit super Publicanum,& aridus relictus est Pharisæus. In Magdalena ostendit meretricem præcedere Pharisæum;hodiè ostendit Publicanum precedere;quia peccatum suum agnoscebat;ille verò in se confidebat.Et hac de causa Deus Ecclesiam dedit gentibus, quæ agnouerunt peccatum, & *iustitiam apprehenderunt:Israel verò sectando legem iustitiæ in legem non peruenit:quia non ex fide,sed quasi ex operibus*.q.d. Israël non diuinæ gratię sed operum meritis innixus elato ad Deum animo accedebat, gentes verò fide & spe diuina nitebantur, vt Publicanus. Et licèt obmurmurent Pharisæi,quòd Christus peccatores recipiat, recipit tamen eos,

qui hu-

qui humiles sunt, & gratiam Dei agnoscentes, peccata sua confitentur.

Sed duos hos homines contemplemur;& primū Pharisæum,qui sic ait:*Gratias tibi ago,quia non sum.&c.* Aperit vniuersos suos thesauros. *Superbia bona sua iactat.*

Primus effectus superbiæ est,velle ostendere bona sua: sed quia hoc vitium reputatur, induunt illud veste religiosa,nempe gratiarum actione.Et sic superbus dicere solet:*Gratias ago* Deo meo,quia omnia bona mihi cōcessit, nihil mihi deest.Sed quid mali perpetrauit, dum gratias egit? Hinc disce innumera tua discrimina & laqueos. quos vt te capiat dæmon parauit Hinc Psal *Narrauerunt, vt absconderent laqueos:dixerunt;Quis videbit eos?* adeò subtiles sunt,visum effugiant Quis enim sub gratiarum actione superbiam latere putaret?Sed Christus id nobis ostendit:quia sibi niminm placebat in benè gestis. *Gratiarum actio quomodo Deo non placeat.* *N.B.* *Psalm.63.*

Secundus superbiæ effectus,est despectus proximi,cū ait,*Velut etiam hic Publicanus.* Quibus verbis multa cordis sui mala Pharisæus ostendit. 1. cùm singularis vult esse superbus,& omnibus superior; hinc oritur, vt reliquos despiciat, vt ipse maximus habeatur. 2. latet hic dolus dæmonis, qui nos superbire facit, propositis nobis aliorum prauis exemplis,quibus vitam nostram conferentes iusti apparemus.de qua re Dominus, *Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaritricis Iudæ.* Qui speculum confractum aut lutulentum inspicit, faciem suam videre non potest: sic qui alium peccatorē respicit,non agnoscet fæditatem suam.Hinc Psal.*Lauabo inter innocentes manus meas* id est,candidam iustorum vitā contemplabor, & sic in charo speculo me videns, rectè me componam. 3. defecit hic Pharisæus, conferens se peccatori. Diuinum iustarum artificium est conferre se peioribus,vt sic superbiant.4. peccauit Pharisæus iudicās Publicanum, & accusans illum coram Deo, qui dominus eius erat. Hinc Sap.*Ne accuses seruum ad dominum suum.* Vera iniustitia peccatores excusat:falsa verò accusat. Adeò Deus amicus est hominis,vt licèt inimicus eius sit,velit tamen, vt eum excusemus coram eo, & non accusemus.Sic placuit Abraham Deo orans pro Sodomitis. Sic Moyses orans pro populo ne eum doleret. Et licèt Deus diceret, *Despicit proximum.* 1. *Singularitas.* 2. *Fraus dæmonis.* *Ierm. 3.* Simile. *Psal.25. 72.* 2. *Collatio cum peiore.* *Iusti se melioribus conferunt vt humilientur* *Prouerb.30.* 4. *Accusatio fratris.* *N.B.*

Luc. 23. diceret, *Noli orare*: intelligebat ille, Deum significare, vt
1. Ioan. 1. & ardentius oraret. Sic Christus pro crucifigentibus orat, &
2. excusat dicens, *Nesciunt, quid faciunt*. Est ille peccatorum
5. aduocatus, qui orat, vt ira Dei descendat in se, & miseri-
Sua meliora cordia in peccatores; pro quorum salute spinas, flagella,
reputare & crucem sustinuit. Displicuit ergo hic sermo in conspe-
quam sint. ctu Domini, quòd Pharisæus mala de Publicano loquere-
Matth. 15. tur. 5 errat Pharisæus, se suaq; meliora reputãs, quã sint. Si
6. Christus audiens; *Magister bone*, respondit: *Quid me vocas*
Eleemosyna *bonum? Nemo bonus nisi solus Deus*; qua ratione vilis homo
rum negle- se dicet bonum & iustum, cùm Christus eum titulum re-
ctus. spuerit. Si ergò Deo placere vis, defectus tuos considera, &
Luc. 16. & proximi virtutes. 6 orat Pharisæus, sed eleëmosynæ, quæ
10. orationis ala est, nihil meminit, quam si præstitisset, sine
Ber ser. 3. de dubio dixisset. Sed *deridebant Iesum Pharisæi, qui erant aua-*
Epiph. *ri*, & eleëmosynam non dabant: & ideò orantes miseri-
Aug. ser 59. cordiam non consequebantur, quam non præstabant.
de temp. Qui ergò oraturus Deum est, eius ingenium exploret. Sed
Iudith 9. quod hoc est? *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit*
Eccles. 35. *deprecatio*. Et, *Oratio humiliantis se nubes penetrat*. Qui ergò
Chrys ho 71. superbè orat, & despicit proximum, Dei amicitiam amit-
ad pop. tet, vt Pharisæus. Si verò humili corde orat inimicus, ami-
Aug lib. 50. cus fiet, & omnia obtinebit, quæ volet. Quod verò Sancti
hom. ho. 42. aliquando bona sua enumerarunt, vt Paulus, Iob, Ezechi-
2. Tim. 4. as, fecerunt in summa humilitate tempore mortis, vt Pau-
Iob. 31. lus, vel tempore tentationis & calamitatis, quando ad de-
3. Reg 10. sperationem trahere conatur dæmon, vt Iob & Ezechias.
Sancti quo- Non sic Pharisæus, sed elatione motus; ideò *displicuit ser-*
modo bona *mo illius in oculis Dei*. Publicanus verò *ascendit in templum vt*
sua enume- *oraret*, & a se diuersus descendit. Similis est oratio Christi
rant. corpori, qui illud digne manducat, vitam manducat; qui
1. Reg. 18. indignè, *iudicium sibi manducat*: Ita *oratio* indigna *facta est*
2. Reg. 11. Pharisæo *in peccatum*, & Publicano in gratiam. E sacrifi-
Ioan. 6. cio prodit Abel sanctificatus in martyrem; Cain verò dæ-
1. Cor. 11. moni persimilis. Saul sacrificium obtulit in superbia, &
Simile. amisit regnum & Dei gratiam.
Psal 108. Vidimus in Pharisæo quæ nobis fugienda sunt: videa-
Genes 4 mus in Publicano, quæ imitanda. Ingreditur templum
Exempla. humilis & pœnitens, & sic obtinet cuncta, quæ vult. Pri-
1. Reg. 13. & mò, *A longè* orat, sicut Magdalena ad pedes Christi iacet.
15.
Publicanus quomodo & in quibus imitandus. 1. Luc. 7.

Quo longiùs recedis à Deo per tuiipſius cognitionem, eò Deus magis ad te accedit. Sic accidit Petro dicenti; *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum;* & Chriſtus ait: *Noli timere, ex hoc eris homines capiens*. Idipſum Publicano accidit; à longè orat, & Deus ei apropinquat 2. *Nolebat nec oculos ad cælum leuare* præ verecundia ne audiat; *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Si Abner aſpicere Ioab fratrem Azael, eum inſequentis, verebatur, ſi eum interficeret; quo pacto ad cæleſtem Patrem oculos leuabit is, qui eius filium toties crucifixit? Tertiò, *percuſſit pectus ſuum.* Naturaliter manus mouetur ad locum, in quo dolor eſt. Si manum cordi quis admouet, ibi dolore premitur. Hinc Ioel: *Scindite corda veſtra.* Nam arbor, quæ radicitus euellitur, terram, in qua hærebat, deiicit: ita ſi à corde tuo radicitus peccatum euellis, terram cordis commotam & deiectam relinques. Hinc Pſal. *Commouiſti terram & conturbaſti eam. ſana contritiones eius, quia commota eſt.* Ad quod ſe veniſſe Chriſtus dicit, *vt mederer contritis corde.* Quartò orat. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Dulciſſimum Deo eſt, ſi te peccatorem dicas, & eum miſericordem. Licet iratus Deus valdè ſit, cùm hæc pleno corde te orantem videt, propitius erit.

Exempla. Luc. 5. | 2. Verecundia. | Ierem. 3. | Ab exemplo. | 3. | Ioel. 2. | 4. Sic Moyſes Exod. 32. & 34.

Sed audi orationis effectum. *Deſcendit hic iuſtificatus* id eſt, factus eſt Dei filius ex dæmonis mancipio; homo cæleſtis ex terreno, ex carnali ſpiritualis. Mirus profectò artifex Deus eſt, qui non ex auro vel argento, ſed *ex ſcoria pretioſum vas conficit in gloriam ſuam*, quando vbi *abundauit delictum ſuperabundauit & gratia.* Et hac ratione graues iuſtorum caſus & ſcelera maxima permittere ſolet, vt ipſi magis in humilitate radicentur. Sic Dauid: *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis.* Et iterùm: *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Sicut enim abſcindi membra ſolent, vt vita ſalua ſit: ſic in grauia peccata cadere iuſti permittuntur, ne ſuperbia eis dominetur; Grauiſſimum ergo peccatum eſt ſuperbia de quo Pſalmiſta. *Emundabor à delicto maximo.* id eſt, ſuperbia. Secundò his verbis; Deſcendit hic iuſtificatus, Dei ingenium attende. Nihil nouit Deus auferre, niſi melius donet. Patriam abſtulit Abrahæ, ſed maiorem concedit hæreditatem. Si domum patris tollit, ſeipſum præbet in mercedem, dicẽs; *Ego ero merces tua magna nimis.*

Orationis effectus. | *Aug. lib. 1. de ciu. Dei c. 28.* | *Iſaiæ 1.* | *Rom. 5.* | *Iuſtorum caſus cur Deus permittat.* | *Pſ. 37 et 118.* | Simile. | *Pſalm. 18.* | *Gloſſa ibidẽ.* | *Aug. in Pſal. 58. cõc. 1. et 2.* | *Geneſ. 15.*

Improbo vno repudiato alium Deus sibi prouidet. Si verò is, à quo res aufertur, idoneus non est, vt recipiat, alium hominem Deus parat, cui conferat, quod ab eo abstulit. Hinc ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Sic abstulit regnum à Saul, & parauit Dauidē, cui illud contulit, & ait: *Prouidi mihi Regem ex filijs Isai.* Sic repudiaturus Heli, enutrit Samuelem. Sic Pharisæus amittit gratiam superba oratione, & accipit eam Publicanus humili confessione, & impletur illud, *Omni habenti dabitur, & abundabit; ei autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Opera enim illa, quæ superbus habebat (quia ea operabatur) auferentur ab eo, & humili dabuntur, vt ea exequatur.

Matth.21. Exempla. *1.Reg.16.* *1.Reg.2.3.* *Matth.13. & 24.* *Marc 4.* *Luc.8. & 19.*

Ex his illud reliquum est, quod Ioan. monet: *Tene, quod habes; ne alius accipiat coronam tuam.* Si enim superbieris & inobediens Deo fueris, vt Vasthi regina Assuero, non de erit Esther, quæ in eius succedat locum. Ideò Christus ait: *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur foras.* Et Ioan. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* &c. *Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Non enim Deus est, vt homo, qui hoc ministro sic indiget, vt similem inuenire non possit; de lapidibus ministros suscitabit, *qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* &c.

Epilogus adhortatorius. *Apoc.3.* Exemplū. *Matth.8.* *Matth.3.* *Luc.3.* *Rom.4.*

DOMINICA XI. POST TRINITATEM.

THEMA: *Benè omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui. &c.* Marci 7.

Christus est Deus. HIS verbis Christus Deus ostenditur: Dei enim proprium est, *Benè omnia facere.* Vnde Sap. *Vniuersa Domini opera bona valdè.* De homine verò dicitur: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* De inde ostenditur Christus Deus, quia surdos facit audire, & multos loqui. Opus enim Dei est auris audiens; ipse etiam linguam donat mutis. Vos nunc aure indigetis; ego lingua; petamus hæc ab eo, qui *omnia benè fecit.* Petamus verò per intercessionem Mariæ. &c.

Eccl.39. *Eccl.7* *Prouerb.29.* *Sap.10.*

Surdi & Proponitur nobis hodie mutus & surdus, Christi contactu

tactu sanitati redditus. Mutus verò & surdus in bonam & *muti dupli-*
in malam partem in Scriptura accipi solēt Attende mutū *ces in Scrip-*
& surdum optimum. *Ego autem tanquam surdus non audiebā,* *tura.*
& sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo *Psal. 37.*
non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Cùm ini- *Boni.*
micorum conuitia dissimulabat, cùm malum pro malo I.
non reddebat, cùm iniurias Semei humiliter tolerabat, *2.Reg. 16.*
tunc quasi surdus ac mutus erat. Talis fuit Saul, *cùm paruu-* Exempla.
lus esset in oculis suis, quem despexerunt viri Belial, ille verò *1.Reg.10.*
dissimulabat se audire. Sic mutus Iob fuit, in tribulatione
sua, cùm *nihil stultum locutus est contra Dominum,* sed nec ad- *Iob. 1.*
uersus proximos. Illustre exemplum hac in re nobis dede-
runt Sancti omnes; præcipuè tamen Christus, qui Pilato
non respondit vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehemen- *Matth.27.*
ter. qui quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os *Isaiæ 53.*
suum. Quo docemur, cùm iniuria lacessiti fuerimus, si in- *1.Petr.2.*
terius tanquam homines commouemur, exterius tamen *Psal. 140.*
linguam frænemus, ne *procedat in verba malitiæ.* Gratissi- *Silentium*
mum Deo silentium hoc est. Si ergò appetitus non quies- *Deo gratum.*
cit, quia voluntati non ita facilè paret; linguam, quæ re-
niti non potest, tene & liga; & mutum optimum, Deoque
charissimum præstabis. Sic enim & Christus solam lin- Exemplū.
guam patientia & mansuetudine ligauit, quam inimici
totum corpus vincientes ligare non potuerunt. 2. Est sur- II.
dus & mutus, Deo placens, qui intentus cælestibus, ea quæ
mundi sunt non attendit. Sicut nimium attentus alicui Simile.
rei, non attendit alia: ita qui nimium cælestibus intendit,
peritura temporalia non attendit. Quod significat Psal.
d. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ la-* *Psal.140.*
bijs meis. Nō poni parietem ori suo, sed ostium petit, quod *Greg 3 part.*
videlicet aperitur & clauditur, vt os nostrum congruo tē- *curæ pastor.*
pore vox aperiat, & taciturnitas claudat: quia *tempus est* *adm. 15.*
loquendi et tempus tacendi. Et, *Sapiens tacebit vsque ad tempus,* *Eccl.3.*
vt oportunè loquatur & sileat. Vir autem linguosus non dirigetur *Eccl.20.*
in terra. Et, *sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir,* Simile.
qui non potest cohibere spiritum suum. Tremendum profectò *Psal 136.*
verbum illud Christi: *Omne verbum otiosum, quod locuti fue-* *Prou.15.*
rint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. *Matth.12.*

In malam verò partem surdus & mutus accipiuntur, *Mali surdi*
quia sunt surdi & muti, qui à dæmone facti sunt per pec- *& muti.*
catum. Surdus ille est, qui Dei verba non audit: mutus ve-

Exemplũ. ro, qui peccata confiteri non vult. Huiusmodi erant filij
1.Reg.2. Heli, *qui non audierunt vocem patris sui*: sic peccatores non solùm à Deo recesserunt, sed nec Deum audire volunt:
Ierem. 8. De quibus Ierem *Hæc dicit Dominus: Nunquid qui cadit, non resurget? & qui auersus est, non reuertetur. Quare ergò auersus est populus iste auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium,*
Simile. *& noluerunt reuerti.* &c. Qui in limum incidit, an non curat se mundare? Si ergò in peccati lutum incidisti, an non curabis emundari? cur contentione auertes te à Deo? Qui obfirmauit in peccato faciem suam, hic auersione con-
Simile. tentiosa à Deo recedit; similis equis effrænibus in præci-
Psalm 57. cipitium ruentibus. De eisdem loquitur Psalm. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas; quæ non exaudiet vocem incantantium, & ve-*
Incognitus. *nefici incantantis sapienter* Sicut Aspis serpens, ne audiat in-
Simile. cantatorem, qui carbunculum, quem gerit in fronte, vult
Aug. in Psal. 57. eripere, aurem vnam ponit in terrà, & alteram cauda obturat: ita indurati homines aures suas claudunt, ne Dei
Actor 7. vocem audiant, qua ex latebris peccatorum educantur. de
Isaiæ 42. quibus Lucas: *Continuerunt aures suas.* De his etiam Isa *Quis*
Isaiæ 43. *cæcus nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuncios misi?* &c. De his idem indignans ait: *Educ foras populum cæcum, & oculos habet; surdum, & aures ei sunt.* Ecce ergò hominem, quem dæmon surdum & mutum reddidit; quia Dei voces non audit, & verba confessionis non profert.

Duro cordi singulare remedium necessarium. Ais verò: Ego duro sum corde, estne mihi medicina? Est certè in Christo Domino. Excellens gratia, singulare auxilium necessarium est ei, qui duro corde est: hoc verò à
Ezech 30. Christo datur, De quo Propheta ait; *Auferam à vobis cor la-*
Iansen. conc. *pideum, & dabo cor carneum.* In huius verò hominis curati-
Euang c.62. one videbimus, quo pacto hanc gratiam assequemur.

Plin. lib. 5. cap. 18. *Venit Iesus inter medios fines Decapoleos.* Regio ista nominabatur Decapolis, à decem præcipuis vrbibus: quæ verò
Ioseph. libr. 3. illæ fuerint, non est adeò certum apud authores. *Et addu-*
de bel. Iud. *cunt ei surdum, & mutum* Præclarum munus Christo defe-
cap 16. runt & quod illi gratissimum est. Multi iusti Deo mune-
Hieron. de loc. Hebraic. ra offerunt grata quidem: hic ieiunium, alter eleëmosynas, aut orationes, &c sed pauci sunt, qui curent ad Chri-
Munus Christo gratum stum peccatorem ducere. Putant enim munus hoc solùm ad sacerdotes pertinere: cùm tamen *vnicuique mandauerit*
Eccl. 17. *Deus de proximo suo.* Vis ergò Deo gratissimum munus ferre

ferre? adduc ad eum ſurdum & mutum : ſi aliquem pecca-
torem ad eum adduxeris, maximum ei munus obtuliſti.
Attendenda hac in re Pauli cura, qui ait: *Cùm eſſem liber, o-* Exemplũ.
mnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & omnibus om- 1.Cor.9.
nia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. An putas parum ali-
quid eſſe, ſi Deo adiutor fueris in peccatoris conuerſione?
Ex oppoſito illud facilè iudicabis. Filij Heli impedimen- A contra-
to erant, ne ſacrificium arietem & hircorum offerretur, & rio.
ait de patre & filijs: *Ecce verbum facio in Iſrael, quod qui au* 1 Reg.2.
dierit, tinnient ambæ aures eius. Arietem ſibi ſublatum dolet, *N.B.*
& animam ereptam non dolebit? quam ei furaris, cùm eã
in peccatum pertrahis, cùm filios doces vindictam exer-
cere, aut alios contemnere. &c. Tantùm verò hoc pecca- 1.Reg. 2.
tum eſt, vt Heli dicat: *Si peccauerit vir in virum, placari poteſt* Compara-
Deus: ſi autem in Domino peccauerit, quis orabit pro eo? Sicut er- tio.
gò maximũ piaculũ eſt, homines à Deo auertere: ita maxi *N. B.*
mum Deo obſequiũ præſtatur, ſi animã peccatoris Deo *Chriſti ma-*
tradideris. Cùm Deo obtuliſti animã, gemmam ei obtuli *nꝰ neceſſaria*
ſti, quam tanto in pretio habuit, vt ſanguinem & vitam li *poſt correcti-*
benter pro ea dederit; quam gratiam ab eo non recipies. *onem noſtrã.*

Quia verò correctio tua ſatis non eſt, vt ſurdus hic & *Eccl.7.*
mutus ſanetur, niſi Chriſtus manum ſuam admouerit, id- *Pſal. 76.*
cò ſubdit Euangeliſta; *Deprecabantur eum, vt imponat illi ma* Allegoria.
num. Orandum enim tibi eſt, vt Deus manum ſuam appo- 4 Reg. 13.
nat huic operi: *quia nemo poteſt corrigere, quem ipſe deſpexe-* Simile.
rit; & mutatio iſta dexteræ excelſi eſt. Sicut ergò Propheta *Vide de orat.*
manum ſuam admouet manui regis Ioas, vt ſagittas mit *pro peccat.*
tat, & Syriam ſuperet : ita cùm Dominus manum ſuam *fund. infra*
appoſuerit, lucraberis fratrem tuum. *Dom. 18.*

Sed quid rogatus Chriſtus facit? *Et apprehendens eum de* *Educit de*
turba ſeorſum. Educit hominem à turba. Quando ſingulare *turba*
alicui beneficium conferre vult Deus, primum eum à *Baſil. in Reg.*
mundo & hominum turba educit Sic ad Abraham ait: *E-* Exempla.
gredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. *Geneſ.12.*
Sic cum Iacob, Moyſe, & alijs factum eſt. Vis, ô homo, à *Geneſ.27.*
Chriſto ſanari? exi à malorum conſortio In peccatis es to *Exod.2.*
tus? *venundatus es, vt facias malum?* Si animæ tuæ ſalutẽ vo- *3.Reg. 21.*
lueris, vita diſſimilis priori tibi arripienda eſt: nec ſolũ pec *1.Petr.4.*
cata manifeſta tibi relinquẽda ſunt, ſed & illa omnia, quæ *1.Cor. 15.*
te in peccatũ trahunt. Fuge prauorũ hominũ conſortiũ, *Matth.7.*
fuge ludos, & comeſſationes; ingredere per viã arctam, in *Luc. 13.*

Luc.13. qua pauci ambulant, vt de te dici possit: *Dißimilis est alijs*
Via multorũ vitæ turbæ. *vita eius.* Via multorum vita turbæ est: multi enim hanc
viam tenent, quæ ducit ad inferos. Dux ipse Samariæ in
Luc.13. turba positus conculcatur & moritur. Ideò Baptista deser-
4. Reg. 7. tum petijt. Imple igitur Pythagoræ consilium: *Per viam*
Pythagor. *publicam ne incesseris*: vitam tuam sic compone, vt viam ar-
Hieron. in ctam teneas. Si hoc non peregeris, animæ tuæ nunquam
Apol. aduer. medèberis: sicut nec valetudinarij, qui quæ ad tuendam
Ruff. valetudinem pertinent, non obseruant. His similis eris,
Simile. cùm hodiè ad Sacramenta accedis; cras cum amicis ludis
& iocaris: hodiè cras, oras maledicis; hodiè ædificas, cras
destruis.

Vi extrahit Christus. 2. Expende verbum illud: *Apprehendens eum de turba*
seorsum: quasi vi arripuit eum Christus, & traxit seorsum à
Psal. 143. turba. Nisi enim Dominus *emittat manum suam de alto*, &
Exemplũ. te ad se traxerit quasi vi quadam, nunquam turbam dimit-
Gen. 19. tes. Audi simile quid in Loth, cuius *manum apprehenderunt*
Angeli, & manum vxoris & duarum filiarum eius, eò quòd par-
ceret Dominus illi, eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciui-
Vis dulcis. *tatem*. Sicut Angeli cogebant Loth; ita Dominus quasi
cogit, trahitque ad se 1. vi quadam dulci; sed dissimulat ho-
Vis potens. mo: & tunc 2. apprehendit Deus manu sua potenti homi-
nem & eum educit: non quòd voluntati vim inferat, sed
quia efficaciter hominem impellit, & mouet, & extra tur-
bam educit. Manus enim Omnipotentis, apprehendens
hominem, eum facit à vita vulgi discedere, & viam
arctam tenere. Quod in conuersione maximi peccatoris
quotidiè vsu venire solet, cuius cor sæpè Deus tangit; ille
Iob 26. verò dissimulat, differtque, donec *obstetricante manu eius e-*
ductus est coluber tortuosus, à via mala, & à turba eductus. Id-
Psal. 143. eò Deum ora: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera*
me de aquis multis &c. Sed quid educto Loth Angeli dicũt?
Gen. 19. *Salua animam tuam: noli respicere post tergum, ne stes in omni*
circà regione, sed in monte saluum te fac: sic tu à faucibus dæ-
monis ereptus, eductus de turba, noli respicere post tergũ:
Luc. 17. *Memento vxoris Loth.* Noli *in veterem conuersationem redire*;
Col. 3. quæ sursum sapere cura; alta perfectaque virtutum fasti-
Cur tot cære- gia pete; vbi securis eris à Sodomæ incendio.
monijs vsus Sed audi, quid amplius Christus peregerit: *Misit digitos*
sit Christus in *suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspi-*
hoc sanando. *ciens cælum ingemuit, & dixit illi: Epheta, quod est, adaperire.*

Meri-

Meritò inquiri potest, cur tot adhibitis circunstantijs hũc 1.
Christus sanauit? 1. Vt ostenderet humanitatem, a Verbo *Gregor. hom.*
assumptam, instrumentum esse operum illius, & commu *10. in Ezech.*
nicata esse homini idiomata diuina, sicut Deo humana: *Theoph in*
vt dicatur Deus factus mortalis, passibilis; &c. & homo di- *Marc. 7.*
catur Deus, infinitus, creator omnium, omnipotens. &c. *in Matth. 8.*
Vt hæc ostendat, media humanitate, hodie hominem sa *& 14.*
nat. Olim sine manibus, verbo solo, operã sua perficiebat *In Luc. 5. 7.*
Deus: modò etiam sine manibus opera perficere poterat, *Conc. Ephes.*
sed noluit nisi media humanitate opera facere, vt eam
honoret. Nam *Pater omne iudicium dedit Filio; vt omnes ho-* *Ioan. 5.*
norificent Filium, sicut honorificant Patrem: quia humanitas,
vt vnita Verbo, adoratur adoratione Latriæ, sicut ipse
Deus. *Omnia* ergò *dedit ei Pater in manus*, & ideò manibus
eius opera perfecit vniuersa, quæ nostram salutem spe-
ctant. Vt ergò ostendat humanitati hæc omnia concessa
esse, illâ vt instrumento miracula perficit.

2. Vtitur tactu, saliua, suspirio in cælum, vt his supple 2.
ret omnia, quæ facere deberet infirmus, vt salutem conse *Priuilegium*
queretur; qui tamen ea non præstabat: quia similis trunco *legis gratiæ.*
insensibilis erat. Qua in re veluti in exemplari nobis o-
stendit eximium legis gratiæ priuilegium. Et illud est,
quòd habet Sacramenta gratiam continentia; & quæ fa *Concil. Trid.*
ciunt ex attrito contritum, supplentque defectus eorum, *Sess. 14. c. 4.*
qui ad ea accedunt. Conuenienter verò legi gratiæ hoc *Ratio priui-*
priuilegium concessum est, vt nũc suppleret gratia, quod *legij.*
homini deerat. Duobus enim concurrentibus ad aliquod Simile.
opus, si alterum est potentius, supplet socij imbecillitatẽ.
Cùm ergò Sacramenta concurrant cum actibus hominis
ad iustificationem, vnumquodque in suo genere; vis ea,
quæ in lege gratiæ est in Sacramentis maxima, supplet ho
minis infirmitatem. Qua ratione Sacramenta medicinæ
dicuntur: quia sicut medicina naturam iuuat, & eius sup Simile.
plet defectus; ita & Sacramenta. Ex quibus multa colligi
possunt. *Sacramento-*

1. Innumeros nunc fideles saluari, qui in lege naturæ *rum Collatio*
& Moysis perirent in æternum. Nam Sacramentum nul *in lege natu-*
lum habebat, quo fieret ex attrito contritus. Vnde sola *ræ & Moysis*
contritio tunc illi remedium erat, quæ difficilè habetur: *cum lege gra-*
At verò nunc Sacramenta suscepta hominum defectus *tiæ.*
supplent. *1. Defectus.*

supplent. Quę doctrina summæ cōsolationis est fidelibus:
Rom. 13. *nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus*: faciliùs operamur salutem nostram, faciliùs iustificamur. Si ergò anxius es, quia non eum maximum de peccatis dolorem habuisti, qui tibi opus erat; si propterea dubitas,
Rom. 5. an in gratia Dei es: nunc *iustificatus per gratiam Christi, pacem habes ad Deum*: si enim Sacramenta suscepisti, illa defectus tuos suppleuerunt, illa infirmitatē tuam inuenerunt.

2. *Sacramenta infirmis non esse neganda.*

2. Colligitur, non facilè Sacramenta infirmis esse neganda: fortè enim qui infirmatur, attritus est, & Sacramēto suscepto fiet contritus. 3. demùm colligitur, frequentāda nobis hæc diuina Sacramenta esse. Frequenter peccamus; & licet contritione reparari ac saluti restitui peccator possit, non tamen ea facilè acquiritur; nec certus es, an feceris vniuersum, quod potes; conueniens tibi & expediens valdè est, si Sacramentum suscipias, quo facilè poteris peccata pellere, & oleum diuinæ gratiæ suscipere de quo Zachar. *Vidi, & ecce candelabrū aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius.* Candelabrū hoc aureum Ecclesia est. *Aureum* verò *totum* dicitur propter perpetuitatem, & doctrinæ veritatem integram. *Lampas* verò *eius super caput ipsius*, id est, in summo stipite, Christus est, à quo Ecclesia illuminatur; qui ideò dicitur *lucerna super candelabrum posita*. *Septem lucernæ* multitudinem iustorum significant, de quibus Paul. *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Septem verò dicuntur, quia vsu Scripturæ multitudo septenario numero significari solet. *Septem infusoria* autem *lucernis*, septem vasa, ex quibus oleum suscipiunt, vt luceant, sunt septem Sacramenta, quæ cùm gratiam contineant, meritò vasa dicuntur. Rectè verò dicit, lampadem supremam non habere infusoria, sicut septem lucernas: Filius enim Dei verum lumen est, quod non mutuatur foris, sed ipse habet naturaliter: *de cuius plenitudine nos omnes accepimus*. Reliqui verò iusti infusorijs indigent, sicut lucerna, ne extinguantur; in est, Sacramentis egent, quibus lumen gratiæ conseruatur, &, si amissum est, recuperatur: quæ verò *aurea* sunt propter summum eorū pretium, continent enim sanguinem & gratiam Christi. Sicut ergò sæpè in lampadem ex infusorio vase oleum mittis: ita sæpè nobis opus est gratia, quam à Sacramentis accipere debemus.

[Margin notes: 3. *Sacramenta ab infirmis petenda ardenter.* — *Zach. 4.* — Allegoricū exemplum. — *Ticonius nomine.* — *Aug. in hom. 8. in Apocal.* — *Matth. 5.* — *Apocal. 1.* — *Cyrill.* — *Phil. 2.* — *Ioan. 1.* — *Pretiositas Sacramentorum legis gratiæ.* — Simile.]

DOMINICA XII. POST TRINITATEM.

THEMA: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis,* &c. Luc. 10.

SI beati oculi & aures diſcipulorũ, cùm adhuc imper- *Andreas*
fecti eſſent, iure Maria beatiſſima dicenda eſt, quæ per *Cretenſ.*
fectiſſimo corde meruit filio ſuo frui ab inſtanti con- *Pſalm. 84.*
ceptionis vſq; ad mortem: fuit. n perpetua Chriſti aſſecla, *Lucæ 2.*
& terra optima, quæ vniuerſa doctrinæ verba & exempla *Matth. 13.*
eius in corde optimo recondidit. Vt verò noſtri oculi & *Lucæ 8.*
aures beati dicantur, gratia nobis opus eſt: eam exoremus,
Aue Maria.

Hodiernum Euangelium miſericordia Dei plenũ eſt, *Agnoſcere*
& INSIGNE DIVINAE MISERICORDIAE in nos *diuinam mi-*
dici poteſt. Agnoſcere verò diuinam miſericordiam ma *ſericordiam*
xime nobis conducit. Et hanc nobis præcipuè manifeſta *nobis expe-*
re voluit factus homo; quia ad eius ingenium & natiuam *dit.*
conditionem maximè pertinet. Et ideò qui miſericordiã *Bar. 3.*
Dei nouit, præcipua ratione Deum cognoſcere dicitur. *Mal. 3.*
Sicut enim Principis nobilitas & potentia omnibus ſunt Simile.
nota; at eius ingenium, mores, & affectus animi, non niſi
domeſticus & familiaris agnoſcere poteſt: ita Dei ſcien-
tia, potentia, diuitiæque Dei communia ſunt. At diuina *Epheſ. 2.*
miſericordia, eiuſque agnitio, propria fidelium eſt, qui *do* *1 Cor. 1. 2.*
meſtici & familiares Dei a Paulo dicuntur. Hanc Philoſo *1. Petr. 1. 6.*
phi vix attigerunt, & cũ hanc Apoſtoli prædicarent, ſtul
titiam putauerunt, non credentes, tantam ineſſe poſſe
miſericordiam, vt talia pro homine ageret. Nos verò hæc
credimus, & agnoſcimus Deum, cuius miſericordiam in-
finitam confitemur. Proficua ergò nobis eſt diuinæ mi-
ſericordiæ agnitio; 1. quia eâ cognitâ Deus intimè cog- 1.
noſcitur: 2. quoniam charitatem accendit: diuina enim 2.
beneficia, quæ à miſericordia procedunt, etiam ſaxea cor- 3.
da trahere poſſunt. 3. Spem roborat; vt ad Deum acceda-
mus plenum miſericordia. Præcipuè hanc ſpem auget,
noſſe, tantam Dei miſericordiã eſſe, ꝙ in ipſum grauiter
peccet, qui ad aliũ, & non ad ipſum in neceſſitate accedit:
ſicut offenderetur vir, ſi vxor ab alio neceſſaria peteret; Simile.
& pa-

Exemplũ. & pater, si filius. Quã vero id sit Deo odibile, testis est O-
4.Reg.1. chozias, qui Dei misericordiã ignorans, ad Beelzebub nũ-
4. cios misit in necessitate constitutus. 4 misericordiæ diui-
Rom.12. næ agnitio arcet à peccato: quia à natura nobis insitum
Ierem.18. est non reddere malum pro bono. Idcircò & Deus priusquàm leges ferret contrà peccatum, misericordijs præue-
Gen.2. niebat eos, quos à peccato cohibere volebat. Adæ legem
Gen 9. imposuit, innumeris priùs collatis beneficijs. Sic Noe cer-
Gen.17. ta quædam præcepit, misericordia arcæ priùs exhibita. Abrahæ legem Circuncisionis imposuit, multa priùs pro-
Exod.14.16. mittens. Sic & Israeli multa contulit beneficia, antequam
17.20. legem daret. Ecclesiæ verò innumera contulit beneficia.
Psal.20. Ad vniuersa igitur vtilis est diuinæ misericordiæ cognitio.

Beatitudo temporis Meßiæ. Sed vnde hanc ex Euangelio cognoscemus? Certè vniuersum illud misericordiã eructat. Et primam summamque Dei in nos misericordiam ostendit, cui nos gratos exhibeamus; dicens, *Beati oculi, qui vident*, &c. Quibus verbis ostẽdit immensam mundo collatam misericordiam,
Baruch.3. cùm Deus homo factus *in terris visus est, & cum hominibus*
Exemplũ. *conuersatus est.* Beati profectò oculi, qui felicia & aurea
3.Reg.10. Messiæ secula viderunt. Si enim Regina Saba ait, *Beati viri*
2.Par 9. *tui, & beati serui tui, qui astant coram te semper, & audiunt sa-*
Eccl.48. *pientiam tuam*: Et de Elia Sap. ait, *Beati sunt, qui te viderunt*: multò certè beatiores discipuli, qui Christum viderunt, & audierunt, & amici ab eo appellati sunt, qui plusquàm
Matth.12. Salomon & Elias fuit. Hic enim Dominus; illi famuli fuerunt. Viderunt quidem Pharisæi Christum, sed solùm oculis carnis, ideò beati non dicuntur. Videmus nos non
Ioan.20. oculis carnis, sed mentis, & beati à Christo dicimur: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Viderunt verò discipuli oculis corporis & animæ, & *in amicitia eius decorati sunt*. &
Eccl.48. ideò omninò beati appellantur, beatitudine, non patriæ, sed quæ omne mundi gaudium superabat; dum cum homine omnium speciosissimo conuersabantur, eius verba audiebant, & miracula videbant. Sed spectant hæc quoque ad nos, qui eum non videmus? Multum per omnem modum. Videmus enim Christum non solùm oculis mentis, vt Prophetæ, sed & oculis corporis in Eucharistia quodammodò, & in lege gratiæ eo fruimur, in qua gratia abundat. *Beati* profectò *oculi*, qui vident Christum in diuinissimo

nissimo Eucharistiæ Sacramento *Beati oculi*, qui vident Sa-
cramenta plena gratiâ. *Beati oculi*, qui eam gratiæ abun-
dantiam vident, vt peccata, quibus onerantur, facilè supe-
rare valeant. *Beatæ aures*, quæ audiunt verba & doctrinam
à Christo traditam. Certè *multi Reges, & Prophetæ volue-* *Matth. 13.*
runt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ au- *Gen. 23.24.*
ditis, & non audierunt. Vis hoc videre? Attende Patriarcha- 25.35.49 50.
rum desiderium, qui voluerunt illic corpus suum sepeliri, *Psal. 131.*
vbi Deus, homo factus, futurus esset: nam adorandus lo- *N. B.*
cus, *vbi steterunt pedes eius*; quanto magis eum videre desi- *Chrys. hom.*
derassent? Felix profectò sors nostra est, fratres: nō solum 51. & 83.
sumus in loco, *vbi steterunt pedes eius*, sed os nostrum adhi- *in Matth. &*
bemus vulneribus Christi, quando Eucharistiam percipi- *60. ad popul.*
mus; imò sepulchrum illius, quo ipse includitur nos su- *Cypr. ser. de*
mus; ad eum in omni necessitate accedere possumus, quia *Cœna Dom.*
præsens nobis est non secundùm diuinitatem solùm, sed *Bernard. ser.*
etiam secundum humanitatem. *de cœn. Dom.*

2 His verbis Christus beatitudinem discipulorum com-
mēdat, quia plura mysteria regni Dei agnouerunt, quàm
antiqui Patres. ideoque dicit, *Beati oculi* mentis, & *beatæ*
aures illæ, quæ tot audierunt mysteria, vt eis dicat. *Iam non* Ioan. 15.
dicam vos seruos, sed amicos; quia omnia, quæ audiui à Patre
meo nota feci vobis. Huius verò beatitudinis pars magna ad
nos pertinet, qui Dei mysteria maxima cognoscimus. De
lege enim gratiæ scriptum est: *Non docebit vltrà vir proxi-* *Ier. 31.*
mum suum, & vir fratrem suum &c. *quia repleta est terra scien-* *Isaiæ 11.*
tia Domini. *Hebr. 8.*

3 Ex his verbis colligitur, quàm sint Deo minima, quę
mundo eminere videntur. Ecce prætulit Deus Regibus &
Patriarchis pauperes piscatores, & eis mysteria reuelauit. *1. Cor. 1.*
Hinc Paulus: *Ignobilia mundi elegit Deus & contemptibilia,* *Ierem. 9.*
&c. vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Non ergò glo- *2. Cor. 10.*
rietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec di- *Virtus corā*
ues in diuitijs suis. hæc enim omnia coram Deo nihil sunt. *Deo magnū*
Vnum magnum coram Deo Virtus est. Quid nobilius *quid.*
aut excelsius, quàm Dei esse filium: sed hoc nihil est co- *Psal. 81.*
ram Deo, si recta opera non præstiteris. Audi Psalt. ad asse- *N. B.*
rentem: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: vos autem sicut*
homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis. id est,
licet Dij sitis & filij Dei, si tamen sicut homines vixeritis,
moriemini, & quasi vnus ex Angelis prauis cadetis. Imò Exemplū.

Ioan.10. quòd mirabilius est: Ipse naturalis Dei filius Christus, non vult Dei filius haberi, nisi opera Patris fecerit. Ait enim; *Si opera Patris mei non facio, nolite credere mihi.* Quantò minus tibi proderit te dicere filium Dei, si Dei opera non perficis? Quantò minus proderunt diuitiæ, honores, principatus? Non hæc coram Deo te commendant, sed virtus. Ideò pauperes & ignobiles elegit, vt nihil præter virtutem Deo placere noueris. Cura ergò, vt iustus sis, vt Deo placeas.

Opera Dei non faciens filius Dei nō est.

Vidimus priorem Dei misericordiam, dum homo factus cum hominibus conuersari voluit; iam secundam consideremus: & ea est, quòd summa amicitia hominibus voluerit copulari; & ideò præceptum dilectionis eis imposuit. Ait ergò Lucas.

Misericordia Dei secunda.

N, B.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans eum, & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam poßidebo? Rectè interrogat: *Quid faciendo?* Non ait; Quid cogitando? non enim cogitatio bona satis est. Quid enim prosunt cogitationes, post annum restituam hoc vel illud; post annum pęnitentiam agam, &c. quæ in opus non procedunt? Nec interrogat; Quid loquendo? Multi nanque rectè loquuntur, & dicunt, *Domine, Domine, & non faciunt, quæ dico. Non est enim regnum Dei in sermone, sed in virtute* Ideò rectè ait; *Quid faciendo? Qui enim facit voluntatem Patris mei intrabit in regnum cælorum.*

Matth.7.
1.Cor.4.
Iac 2.
Aug. in præf. in Psal. 31.
Lib. de fid. & oper. c.14.

Sed audi miram Christi sapiētiam; ait enim: *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* quasi dicat: Dic tu mihi, quæ nosti. Sæpè nanque & bonum & malum quisque in sua conscientia legit; & si interroget conscientiam, ipsa bonum & malum ostendit. Multi de iniustis contractibus Dd. interrogant, qui si conscientiam suam consulant, facilè deprehendent iniustitiam suam. Hinc Paul de Gentibus ait: *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum, testimonium reddente illis conscientia ipsorum* &c. Et Dominus seruo nequam ait; *Ex ore tuo te iudico*. Multa verò à Doctoribus interroganda manifestum est.

Rom. 2.
Matth. 18. & 25.
Lucæ 19.

Audi quid Legisperitus in conscientia sua legerit: *Diliges Dominum Deum tuum.* &c. Nullibi profectò quiescit dilectio, nisi in Deo, qui amoris est centrum. Omnis creatura ex se nihil est, deformis est, nec amore digna; sed Dei infinita pulchritudo decoras facit vniuersas creaturas, & pulchras,

Deus amoris centrum.
Plato et eius Glossa in Conuiuio Amoris: Hunc di-

pulchras, & amore dignas. Cùm ergò omnis creaturæ per- *lectionis mo-*
fectio à Deo fit, non ab ipsa creatura, si ipsam diligis, Deũ *dum à Dio-*
diligere necesse est; diuinum enim quid vides in re dile- *tima fatidi-*
cta. Hinc verò colligitur tunc cor perfectè diligere, cùm *ca se didicisse*
Deum diligit: cùm enim reliqua videt, solum Deum *ait.*
videt ac diligit: cordis verò ac amoris centrum Deus
est, qui est super omnia diligendus. Sicut summum visibi- *Simile.*
le sol est, & tunc oculus perfectè videt, cùm solem ipsum
intuetur, qui seipso visibilis est, & reliqua visibilia reddit;
ita cùm amor ab omni re creata abstrahitur, & reliqua o-
mnia oblitus homo in Deum fertur, tunc perfectus amor
est, & homo amator consummatus.

Sed quomodo diligi Deum à nobis oportet? *Ex toto cor-*
de, ait: En omnium radicem; non linguæ dilectio satis est.
Fratres non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate. 1 *Ioan.* 3.
Nec operis dilectio satis est, nisi à corde procedat. Hinc
Paul. *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum; si* 1. *Cor.* 13.
tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non ha-
buero, nihil sum. Cordis verò figura ordinem dilectionis o- *D. Tho. opus.*
stendit: est enim superiùs latum, inferiùs acutum; quoni- *de amore*
am ad cælestia dilatandus affectus est. Inferiora quasi in *Præcipuum*
puncto tangere debet, solis necessarijs contentum. Licet *negotium no-*
ergò alijs negotijs inseruire cogaris, præcipuum tamen *strũ erit Dei*
negotium tuum sit Dei dilectio & obsequium. Sicut ho- *dilectio.*
mo negotio grauissimo totis viribus intendit, reliquis *Simile.*
cursim: ita licet pluribus intendas, tamen Dei amori *ex to-* *Ratio.*
to corde: quia ex hoc negotio vita æterna tibi pendet. de 1. *Thess.* 4.
quo Paulus: *Obsecro vos fratres, vt negotium vestrum agatis.*
Quod est primum & præcipuum tuum negotium, ô ho-
mo? Vt substantiam, vt honores acquiras? hæc ex toto cor-
de dilexisti? non viues in æternum. Si autem negotium tu-
um fuit, quomodo Deum diligas, quomodo ei placeas, ex
toto corde eum dilexisti.

Addit verò, *Ex tota anima tua*. Duplex est hominis vita;
naturalis, quam viuit per animam; supernaturalis, quam
viuit anima per Deum, qui dat animæ vitam, sicut ipsa *Deut.* 30.
corpori. Sicut ergò corpus vniuersum disponitur, vt susci- *Ipse est vita*
piat animam, ita anima tota disponi debet, vt suscipiat *tua.*
Deum. *Simile.*

Addit tandẽ: *Ex omnibus viribus tuis*: id est, omni tua po-
tentia spirituali, & corporea; ita vt intellectus Deũ quærat,

Thren 3. & huc intendat omnis illius astutia, eũ cogitet, & cõtemPsal. 141. pletur: memoria etiam illum teneat: deinde vires senAristot. 11. sitiuæ Deo obsequantur. Cùm enim sensus sint propter Metaph. intellectum, in his versari debent, quæ intellectui & voluntati inseruiunt. Denique *ex omnibus viribus* Deus diligendus est; quia secundùm vltimum potentiæ diligi debet tum intentione, tum continuatione. In patria id perfectè præstabimus; in via verò, vt potuerimus, præstare Gen. 31. debemus: Beatus ille, qui cum Iacob dicere potest: *Nostis, quòd totis viribus meis seruierim patri vestro.* Sit ergò in corde tuo Dei amor feruens Petere à Deo deberes mille corda, vt eum diligeres, mille linguas, vt eum laudares. Hinc iusti videntes se parum laudare Deum, omnes creaturas Dan. 3. inuitant, vt eos iuuent. Sic tres pueri in fornace: sic & DaPsal. 148. uid in Psalmis. Qua in re erubescere possumus exemplo eorum, qui mundo, eiusque vanitati inseruiunt, qui plus Ier. 48. facere conantur, quàm possint. Hinc Ierem. *Plus fecit, quã* Isaiæ 16. *potuit, idcircò perijt*

Matth. 13. Addit prætereà secundũ mandatum: *Et proximum tuum sicut teipsum.* Sæpissimè à Christo Domino charitas hæc cõmendata fuit: est enim charitas pretiosa illa margarita, 1. Cor. 13. quæ omnium virtutum vim habet Hinc Paul. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Simile. Sicut enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic Greg. hom. multæ virtutes ex vna charitate generantur.

27 in Euang. Volens autem Legisperitus se iustificare, ait: *Quis est* Ioan. 15. *meus proximus?* q. d. Paratus sum proximum diligere; sed *Proximus noster omnis qui ope nostra indiget.* quis talis censendus est? Cui Christus parabolam proponit, quà ostendit omnem illum, qui ope nostra indiget, proximum esse nobis. Vel ea parabola ostendit, quis fuerit misericors & dilector proximi, vt Legisperitus similiter se habeat. Hunc etiam proximum à nobis diligẽdum, Ambros. in Luc. 10. Christum esse asserit Ambros. & huc refert parabolam Samaritani, qua Christi misericordia in nos ostenditur, vt eum tanquam nobis proximum, & vulnera curantem, diligamus. Si ergo Deum diligere oportet, singulari quadam ratione Deus homo, qui nobis proximus est, diligi debet; cùm ipse singularem in se fiduciam habere volue-

rit

rit, dicens: *Creditis in Deum, & in me credite*, qui pro vobis *Ephes. 5.*
homo factus sum, crucem subij. qui caput vestrũ sum, &
vos *os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, qui vobis pastor,
rex, ac spõsus sum; qui verum Samaritanũ me vobis præ-
stiti, vulnera vestra curans, & innumera conferens bene-
ficia.

Sed inquiris, quæ sint singulares rationes dilectionis, *Christum di-*
Christo propriæ? Multæ profectò. 1. Similitudo, quæ cau- *ligendi rati-*
sa amoris est. Nam *omne animal diligit simile sibi* Homo e- *ones.*
nim licet similis Deo sit secundùm animam, Christo ta- *Eccl. 13.*
men etiam secundùm corpus; & ideò nobis amabilior red- 1.
ditus est 2 quia non solùm bona sua dedit nobis, sed & 2.
malis nostris communicauit, vt ea à nobis auferret, huma- *Arist.*
nâ nostrâ naturâ assumptâ. Quinque verò terribilia mala *Isaiæ 53.*
sunt; Infamia, inopia, ægritudo, inimicitiæ, mors. Hæc o- *2. Cor. 8.*
mnia suscepit: infamiam; cùm *reputatus est vilissimus homi-* *Isaiæ 53.*
num; inopiam, cùm *pro nobis egenus factus est* ægritudinem, *Psal. 68.*
cùm vulnera & dolores sustinuit, factus *vir dolorum, &* *Ioan. 15.*
sciens infirmitatem: inimicitias, cùm *odio habitus est gratis*: & *Phil. 2.*
denique mortem sustinuit pro nobis, *mortem autem crucis.* 3.
&c. 3 Consanguinitas; ideò inter fratres maximus conci- *Rom 8.*
liatur amor; Christus verò *primogenitus est in multis fratri-* *Hebr. 2.*
bus. Diligis fratrem? quomodo non diligis Christum, qui *Psalm. 17.*
non confunditur nos vocare fratres? per quem tibi creuit pater- *Matth. 28.*
nus amor & substantia? per quem ad hæreditatem admis- 4.
sus es? qui vitam suam pro te posuit? cùm fratres se inui- *Rom. 12.*
cem occidere soleant. 4. quia caput nostrum est, cuius nos *Ephes 1. 5.*
membra sumus: diligunt verò membra caput, & se pericu- *Peccati enor*
lo exponunt, vt illud tueantur: diligamus nos multò ma- *mitas.*
gis *caput nostrum*, à quo nobis bona cuncta proueniunt. *D Leo ser. 1.*
&c. *de ieiun. 10.*

PARS II. CONCIONIS.

mens Chrys.
ora. 5. in Iud.

Alterum diuinæ misericordiæ opus fuit, cùm se Samari- *Psalm 41. &*
tanum exhibuit: qua in re miseria nostra, & misericordia *Aug. ibid.*
Christi in nos ob oculos ponitur. Vtraque abyssus est, ex- *Tract 33 in*
cedens humanum ingenium; & *abyssus* miseriæ *abyssum in-* *Ioan 8.*
uocat misericordiæ. PECCATVM siquidem summa *Isaiæ 64.*
miseria est, & à qua reliquæ hominis calamitates ortum *Peccatum*
habuêre: est IGNIS; vniuersum hominem perdens: est *AVON he-*
INVNDATIO maxima, omnia vastans: est perdi- *braicè. ab*

tio & destructio totius hominis; nihil in eo boni relinquens, nihil vtile. Nec verò id mirandum est, cùm PECCATVM Deum ab anima auferat; quid enim boni ei reliquum esse potest, à quo Deus discessit? Hinc Saul consulens Samuelem audit: *Quid me interrogas, cùm Deus discesserit à te?* Si Deus tibi auxilium negat quis illud præstabit? Et hinc procedit inutilitas peccatoris; ad nihilum enim vtilis est, nisi vt igne ardeat. Hinc Ezech. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis?* Nulli rei aptus est palmes præcisus à vite, nisi igni, nullis humanis vsibus seruit. Sic non relinquit peccatum in homine quippiam boni; nec aures, vt recta audiat; nec oculos vt recta videat; nec pedes aut manus, vt bona operetur. Lucifer excellētissimus factus est infimus & miserrimus, exspoliatus omni bono propter peccatū. est. n. peccatū omnimoda vastitas & maledictio. Hinc ad peccatorem dicitur: *Maledictus eris in ciuitate; maledictus in agro; maledictū horreum tuū, & maledictæ reliquiæ tuæ; maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.* Sicut enim cùm anima à corpore recedit, illud relinquit omninò perditū, ita relinquitur anima, cùm ab ea recedit Deus. Apud Isa. mirè describitur peccatoris calamitas, dū similis dicitur *contritæ lagenæ*; & eius inutilitas, cùm dicitur, *parùm aquæ vel igniculi de incendio*, in ea deportari non posse.

Hanc verò peccatoris calamitatem describit Christus, dicens: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, &c.* Hæc vniuersa iuxta mysticum sensum ab omnibus sanctis Dd. de hominis casu, & Christi redemptione explicantur. Conuenienter verò describitur homo incidens in latrones inter Hierusalem & Hiericho: nam ibi locus fuit, dictus Adomim, id est, sanguinum; quia multus ibi sanguis hominum fundebatur à latronibus. Homo ergò *in Hierusalem* erat, cùm à Deo conditus fuit in summa pace. Hierusalem enim est visio pacis. Ibi homo diues & sanus erat, originali iustitia ornatus, Dominus sui & dominus omnium; gratia & omni virtute præditus. Nam *Deus creauit de terra hominem & secundùm imaginem suam fecit illum, et secundùm se vestiuit illum virtute*; secundùm se, id est, vt Deum decebat artificem, qui pater ipsius erat. Sed *descendit hic homo in Hiericho*: Ecce mali omnis initium; *Descendit*. Nec solùm *descendit* primus homo, qui statum innocentiæ amisit, sed omnis, qui à gratia in peccatum labitur.

AVACH id est, iniquè aut peruersè agere, peccare, incuruare. AVON id est, iniquitas peruersitas, pœna.

Ezech. 21. *in iquitatē pro ea Psal* 68.

1. *Reg.* 28.

Ezech. 15.

Aug. tract. 81. *in Ioan.* 15.

Simile.

Isaiæ 14.

Ezech. 28.

Deut 18.

Leuit 26.

Simile.

Isaiæ 30.

Hieron in Isa 30.

Hieron epist. 27. *in epitap. Paulæ matr.*

Eccl. 17.

Homo descendens

Philip. 3.

bitur, *descendit*: qui enim in Dei gratia est, in cælis conuersationem habet. Cùm auis in superioribus est, laqueos non offendit; cùm descendit, tunc in discrimine versatur: ita homo, cælestia quærens & diligens, securus est à dæmonis laqueis: terrena verò appetens, facilè capitur. An non descendit, qui filius Dei cùm esset, factus est mancipium dæmonis, & *cùm in honore esset* non intelligens, *comparatus est iumentis insipientibus*? Miserandus profectò casus ille filij prodigi, qui factus est custos porcorum, dæmonis seruus. Simile. *Rom.* 6. *Col.* 3. *Iacob.* 4. *Psal.* 48. *Lucæ* 15.

Disponis ô homo, discedere ab Hierusalē, vt in Hiericho descendas? è cælo descendis in infernum. Peregrè profecturi solent amicos & cognatos inuisere, eis itineris sui rationem reddere, & discessus causam. Tu ergò ciuis cùm sis cælestis Hierusalem, memorare plurimos tibi in ea amicos esse; à quibus discessurus cùm sis, discessus causam dicas, oportet. Est tibi Angelus custos, & plures Angeli te curantes, dic eis: Discedere à vobis volo, & ad apostatas angelos me transferre; vestra salutis monita relinquere, vt eorum mendacijs adhæream. Quòd si ab eis discedere non erubescis, memento ibi esse chorum pulcherrimum Virginum; attende choros esse Confessorum, Martyrum, Apostolorum, qui luminaria Ecclesiæ fuerunt; dic eis: Discedere à vobis volo, Hierusalem ciues inclyti, vt ciuis sim maledictæ Hiericho, & pecudum vitam agam. &c. Forsitā tenebunt te, nec abire permittent. Quòd si eorum amor te non tenet, intende Matrem, quam in cælis relinquis dulcissimam, MARIAM, fontē pietatis, qua fronte ab ea discedere poteris? dic ei; Mater Dei à te discedere dispono: causa quidē nulla est; sed si occasionē dicere cogor; Muliercula petulās est, quę me trahit. &c. Quòd si hęc humanissima mater te non tenet, memor esto IESV CHRISTI, qui amicus, pastor, rex, frater, doctor, & spōsus est tuus. Dic ei: Discedere à te dispono, & à regno tuo, à regione lucis, in regionē tenebrarū, à summa gloria in locū sempiterni horroris. Alijs serua, ô Domine gloriam tuā, & fructū sanguinis ac crucis tuæ: ego ab eis me separo, tibi adhęrere nolo; dæmonis mancipium esse malo, quàm filius tuus esse. Quod si fecisti, audi diuinas in te querelas: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* &c.

N. B. Simile. *Causa discessus nulla.* *Ierem.* 2.

Maria Jesus

&c. Quid mali in Deo tuo vides, ô homo, vt eum derelinquas, vt eius seruitute discedas?

Dæmones quare latrones. Sed nunc audi mala, in quæ incidit, qui Deum derelinquit. *Incidit in latrones.* Sicut ouis errans incidit in lupos: sic discedens ab Hierusalem incidit in latronum manus.

Simile. Meritò dæmones latrones appellantur, & grassatores: eis
1. enim accidit, quod malefactoribus, & proscriptis accidere solet. *Greg. lib. 14. mor ca. 18 in Iob 19.* Priuati enim proprijs sedibus & substantia, grassari solent, & latrocinijs vitam agere: ita dæmones, priuati domicilio cælorum & omnibus bonis, terras infestant; *Origen. hom. 34. in Luc. 10.* 2. sicut latrones non viuunt nisi ex raptis; ita dæmones nihil aliud cupiunt, quàm nos deprædari, & perdere: 3. sicut latro occultè insidiatur, & aliquando se socium itine-
2. ris simulat; ita dæmon *transfigurat se in Angelum lucis*, & a- *Ambros. & Beda ibid. & hom 13. post Trin. 2. Cor. 11.* micum se simulans offert bona inania: 4. sicut latro nunquam ditescit ex raptis, sed malè parta pessimè dilabuntur; ita licet dæmon plura rapiat, & multos exspoliet, nihil tamen boni illi inde prouenit. Qui ergò viam agit, in qua latrones sunt, quærit viam tutiorem, & comites fide-
3. les adhibet; iter cautè & celeriter peragit: ita felices hi, qui
4. tutiorem religionis semitam inuenerunt, in qua plures

Simile. sunt socij mutuò se iuuantes; & in his quæ mundi sunt

Simile. non immorantur: Sicut enim Aegypti canes, Nili aquam *Orig. hom 9. in iud 7.* bibentes, ne à crocodilis intercipiantur, in aqua parùm immorantur sumenda: sic tibi immorandum non est in *Greg. lib. 30. mor ca. 17. in Iob 39.* his, quæ mundi sunt, sed cùm necessaria sumpseris, recede. Qui aliter se habent, à crocodilis capiuntur, & in latrones incidunt, vt hic miser, qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho.

Mala à latronibus illata. Sed attende mala, quæ latrones intulerunt ei: *Qui etiã despoliauerunt eũ, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.* Li-
1. gare solent latrones eos, quos ceperint; ita dæmon seruum
Iudic. 16. suũ ligat, ne bona operetur: sic ligatus Samson olim fuit à

Typus. Philistæis. Et ideò cũ eripitur homo à peccato, absolui di-
2. citur. Sed insuper *despoliauerũt eũ* gratia scil. & omni dono cælesti; qui thesaurus est incõparabilis, quem amittit ho-
3. mo peccans. Sed & *vulnera accepit, quibus semiuiuus relictus*

Figura. *est*: in naturalibus enim vulneratus fuit. Huius figurã vide

Iob 2. & 19. in Iob. *Spoliauit me gloria mea, et abstulit coronã de capite meo, & quasi arbori euulsæ abstulit spem meam.* Peccatum enim ab homine abstulit gratiam, quæ animæ *est gloria* & decor: Abstu-

Abſtulit originalem iuſtitiam, quæ *corona* erat, qua ſuper ſe & cuncta animantia regnabat: & abſtulit omnia bona, relictusque eſt homo, quaſi arbor euulſa. Amiſſa verò gratia & originali iuſtitia, natura vulnerata fuit ac corrupta. Hæc à latronibus accepta vulnera numerat Iob dicens: *Circundedit me lanceis ſuis; conuulnerauit lumbos meos; effudit in terram viſcera mea; conſcidit me vulnere ſuper vulnus.* Audi vulnera. Cæcitas intellectus, vnum eſt vulnus, & duritia voluntatis aliud, inſuper in appetitu ardor in malum, imbecillitas in bonum. *Lumbos* dicit vulneratos propter luxuriæ appetitum. *Viſcera in terram effuſa* dicit, quia affectus & deſideria in terram inclinantur. adeo vt videas homines in beluas degeneraſſe. Denique *vulnus ſuper vulnus* additum eſt, dum innumera peccata alia ex his fontibus procedentia homo admittit. *Semiuiuus* tandem relinquitur peccator, partim viuus ad mala, partim mortuus ad bona. *Sapientes ſunt ad mala; bene autem facere neſcierunt*: ad luxuriam & iram facilè mouemur; ad Deum diligendum, & de peccatis dolendum difficilè incendimur. Viuacitas nobis ineſt ad mala, torpor ad bona.

Vulnera accepta. *Iob. 16.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Ierem. 4.*

Viderunt Philoſophi hanc hominis infirmitatem, & vitium naturæ putauerunt, non ſupplicium culpæ: Curare hæc vulnera voluerunt, ſed non valuerunt. Medicinas miſit Deus. Prior fuit lex, qua bona probis promittit, mala improbis minatur. Sed non eſt Lege ſublatus hic morbus: imò auctus, non Legis, ſed hominis malitia. Vnde Paulus ait: *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Et iterum. *Cùm veniſſet peccatum, mandatum reuixit: & inuentum eſt mandatum, quod erat ad vitam, mihi eſſe ad mortem.* Cur ita? quia prohibitio peccatum irritauit: nitimur enim in vetitum. Hinc legem appellat *ſtimulum peccati, miniſterium mortis & damnationis*, vt oſtendat gratiæ neceſſitatem, & morbi magnitudinem, qui Lege auctus eſt, non ſanatus. Ideò *Sacerdos & Leuita* prætereunt, nec ſanant vulneratum. Sacerdos offert ſacrificia, Leuita Legem docet: nec ergò Lex, nec ſacrificia hominem ſanare valuerunt: quia *nihil ad perfectum adduxit Lex.* Quodnam ergo homini remedium? *GRATIA Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Hoc eſt argumentum Pauli ad Rom. vbi infirmitatē liberi arbitrij oſtendit, nec ſatis eſſe ad ſalutem Philoſophiæ & Legis remedia; & ſic gratiæ & redemptionis Chri-

Medicina vulnerum. 1. *Lege morbus auctus.* *Rom. 5.* *Rom. 7.* *1. Cor. 15.* *2. Cor. 3.* 2. *Heb 7.* 3.

sti necessitatem declarat. Ostendimus huc vsq; abyssum miseriæ nostrę:nunc abyssum misericordiæ diuinæ,qua SAMARITANVS vulnera nostra curauit,attendamus.

Misericordia Dei initium sanitatis. *Samaritanus autem quidam,iter faciens, venit secus eum, & misericordia motus est.* En initium curationis nostræ,diuinam scil.misericordiam:quę tanta fuit,vt *stultitia reputata sit*,nobis verò *Dei virtus,in salutem omni credēti.* Maxima enim misericordia fuit hominū curare vulnera; sed mirabilior & summè infinita, si modum attendas. Vt nos
N. B. à latronibus eriperet,ipse incidit in latrones: vt à dæmonibus liberaret,ipse in eorum potestatem traditus est.Vt vulneribus mederetur, vulnera passus est; vt semiuiuos eriperet,ipse mortuus est.Ipse vinctus est,vt vincula nostra disrumperet,ipse in labore fuit,vt vitam & requiem haberemus æternam.

Modus curationis. Explicat verò Christus hanc diuinam misericordiam ijs verbis *Samaritanus iter faciens* &c.Iter fecit Deus è cælo in terram.Solummodò autem iter fecit, vt misericordiā
1. exhiberet. *Appropiauit* verò nobis,cùm naturam nostrā in
Ioan. 16. duit factus homo. Descēdit de iumēto suo,quādo *factus*
Psalm. 18. *est obediens patri vsq; ad mortem*. Quo enim profundiùs se
2. demittere potuit diuina Maiestas?Quo peracto satisfecit
Phil. 2. Patri pro homine;& potior fuit eius obedientia,quàm in
3. obedientia Adæ.Sed quia satis non erat ad nostri medelam Patri satisfacere,nisi etiam hominis vulneribus me-
4. deretur, applicans homini merita & satisfactionem suā;
Gratia oleum. ideò infundit *vinum et oleum*,gratiā scil.& doctrinā. Gratia quidem oleum est,& oleū lętitię.Ea,quę mundi sunt, videntur oleum esse,dum animum leniunt,sed quia verā lætitiam animo non reddunt,oleū lętitię non sunt.Illud verò oleū lætitiæ iure dicitur;quia,vt ait Petrus, *credētes exultatis lætitia inenarrabili & glorificata,reportantes finē fidei vestræ,salutē animarum vestrarum.* Sicut autē oleū supernatat cæteris liquoribus: ita gratia Dei præ eminet vniuersis rebus.Vinum verò doctrina Euangelica est. Vinū vulneribus infusum mordet, sanat tamē & putredinē tollit; si verò vulneri non adhibeatur, dulce est,& lætificat cor hominis:Sic lęta quidē est Euangelij doctrina iustis;in ea enim æternæ vitæ promissio,& Dei in nos misericordia infinita ostenditur:sed vinum hoc asperum est,dum vulneribus, id est, peccatoribus adhibetur. An non durum

Simile: Doctrina Euangelica vinum est.

verbum

verbum crucis ijs,qui ſe nimium diligunt? caſtitatis, ho- Simile.
mini delicijs dedito?tolle vulnus, & aſperum non erit. *Ἰς πανδό-*
Solet inſipiens vinum à vulnere abijcere, ne paruum do- *χεῖον*
lorem patiatur; ita vir imprudens doctrinam ſalutarem *in diuerſo-*
abijcit,quia ei aſpera eſt.Hinc Sap. *Quàm aſpera eſt nimium* *rium.*
ſapientia indoctis hominibus? &c. Licèt ergò te mordeat do- 6.
ctrina ſalutis,eam ſuſcipe;vinum eſt,quod te curat.*In ſta*
bulum ducit Samaritanus infirmum,id eſt, in hoſpitium,
quod eſt Dei templum, & ſacerdoti eum committit cu- 7.
randum:cui *duos* dat *denarios*,ſcientiam ſcil. & poteſtatē;
vel duo teſtamenta. Promittit ſe ſoluturum, quod *ſuper-* *Matth.24.*
erogauerit.De ſuo enim ſacerdos ſupererogat, cùm doctri- *Dan.12.*
nam proponit,& ampliat quia *cōſtitutus eſt à Deo ſuper fa-* 1.*Tim.5.*
miliam ſuam,vt det illi cibum doctrinę *in tempore ſuo* Hoc ve-
rò munus præcipua retributione dignum eſt.*Qui ad iuſti-*
tiam erudiunt multos,fulgebunt tāquam ſtellæ in perpetuas æter- *Cur tot nunc*
nitates;& duplici honore digni ſunt. *adhuc ſint*

Sed ais:quomodo nunc tot ſunt infirmi vulnerati,cū *infirmi.*
venerit è cælo Samaritanus, & medicamina Sacramen- 1.*Cor.* 11.
torum attulerit?Ego verò dico:quid medicamina prode- Simile.
runt,ſi ab infirmo non ſumantur?ſi in domo phamaco-
plę maneāt?Quid Medici peritia proderit,ſi eius pręcep-
ta non audiantur?*Factus eſt* Chriſtus *omnibus obtemperanti-*
bus ſibi cauſſa ſalutis æternæ,non dormientibus,non negli-
gentibus.Si ergò ſalutem conſequi vis,Medicum acceſ- *Rom.6.*
ſe,eum conſule,Sacramenta frequenter ſuſcipe, Samari-
tani beneficia conſidera;& tunc mirabilem ſalutem ſuſ- *Iſa.* 14.
cipies:tunc dæmones, & omnem eorum potentiam ſu-
perabis:tunc irridebis exactores tuos,dicens cum Prophe-
ta admirabundus. *Quomodo ceſſauit exactor? quieuit tributū?*
contriuit Dominus baculum impiorum,virgam dominantium,cæ-
dentem populos in indignatione plaga inſanabili, ſubijcientem in
furore gentes,perſequentem crudeliter.Conquieuit omnis terra,et *Col.1.*
ſiluit,gauiſa eſt,& exultauit &c. Hęc omnia anima illa
loquetur,quæ per Samaritanum IESVM *eru-*
ta eſt de poteſtate tenebrarum,& tranſlata
in Dei lumen & regnum.
& cæt.

DOMI-

DOMINICA DECIMATERTIA POST TRINITATEM.

THEMA: *Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè & leuauerunt vocem, dicentes: IESV præceptor miserere nostri.* Lucæ 17.

Propositio. PROPONITVR nobis hodiè sanitas reddita Leprosis à Christo Domino; non solùm vt id nouerimus factum, sed quia *quæcunque scripta sunt, ad nostram*
Rom 15. *doctrinam scripta sunt*, vt agnoscamus in hodierna historia,
Diuisio. quis, Deus & qualis sit; & qui nos simus & quales Deus ita bonus & misericors, vt statim mala nostra rogatus tollat; nos ita ingrati, vt à decem vnus redeat gratias acturus. Si-
2. mul etiam agnoscamus infirmitatem nostram, quæ Lepra est; & illius remedium, quod in Christo & Sacerdotibus est. Ad hæc omnia agnoscenda, opus est gratia, quā petamus interuentu Mariæ &c.

Peccatū summum est malorum omnium. Summum malorum omnium PECCATVM est, & facilitas peccandi: quę ex ignoratione malitiæ peccati prouenit: quam si homo agnosceret, nullo modo id admitteret. Audi Anselmum. Si hinc peccatum esset, illinc infernus, & alteri eorum succūbere deberem, prius me in inferno demergerem, quàm me in peccatū admitterem: Tāta
Ansel. lib. de Simil. c. 180. est peccati malitia, vt omnes creaturæ explicare nequeāt; & non solùm verbis, sed & cogitatione comprehendi nō possit. Nulli certè rei comparari potest, nisi Dei bonitati
Bonauent. lib. de diet. salut. opponamus. Sicut enim Deus summum est bonum, eorumque omnium causa; ita peccatum summū est malū,
Bern. ser. 3. de resur. dom. malorumq; omniū causa. Si alijs rebus, quàm Deo, peccatum opponas aut conferas, omnia inferiora reperies peccati malitia.

Lepræ & peccati cõparatio. Nunc verò Lepræ simile dicitur, in qua re aliqua pecti mala explicantur, quę operę pretium erit contemplari.

1. Lepra humores corrumpit, ideoque hominem deformem reddit: ita peccatum animam, quæ erat speculū diuinæ

diuinæ pulchritudinis, reddit diaboli simulachrū. Quid enim pulchrius anima iusti? ad quam cælestis Sponsus loquitur: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra.* repetitione vocabuli pulcherrimam ostendit. Sed lepra peccati adueniens ita animam inficit, vt dicat Proph. *Abominabilem fecisti decorem tuum:* & quicquid peccator tangit, abominandum facit *Et coinquinabar,* ait Dominus, *in medio eorum.* quia quamuis non omnia opera peccatoris sint peccata, tamen plura sunt peccata, & reliqua inutilia.

Cant. 1. *Ezech.* 16. *Ezech.* 21.

II. Lepra inficit alios: & ideò Leprosi separabantur à castris, & ciuitatibus, ne reliquos inficerēt: ita peccato nihil facilius nobis adhæret: facilè illud contrahimus, si socios nos peccatoribus adhibuerimus. Ad vitium quasi stipula sumus apti; ad virtutem quasi humida materia, in quàm difficilè ignis intrat. Caue ergò à consortio prauorum Hinc Psalt. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Lepra enim & pecte infectus me inficiet.

Num. 5. *Agg.* 2. *Psal.* 100.

III. Lepra halitum inficit; ita peccatum. Quid enim ex mortua intus anima prodire potest, nisi quod ex sepulchro aperto? Hinc Psal. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Ideò verba peccatoris sunt iuramenta, maledictiones, contumeliæ, verba lasciua, mendacia, &c. Ecce fœtores sepulchri. Grauissimum ergò malum peccatum est. *Ne ergò dixeris; Peccaui, & quid mihi accidit triste?* quid mirum quod peccauerim? Imò verò dic: Summo malo succumbo: vbi mens & ratio fuit, cùm peccaui? Quo pacto à tāto malo liber esse potero? Attende decem Leprosos mundatos; vide eorum medicamina; vt discas, quomodo salutem consequaris, si eam optes.

Lepra inficit halitum. *Psalm.* 5. *Eccl.* 5.

Dum iret Iesus in Hierusalem, & ingrederetur quoddam castellū, occurrerunt ei decem viri Leprosi Quare in ingressu castelli consistit Christus: in porta vult esse, & non in agro, vt propè sit his, qui intus, & his qui foris sunt Quidam enim aiunt: *Non videbit dominus, et non intelliget Deus Iacob. Sed intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite; qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?* Alij dixerunt: *Vbi inueniemus Dominum?* Christus in porta consistit, vbi Leprosi, qui extra sunt, eum reperiāt, & qui intus versantur: & sic omnium dominetur Ergò *propè est Dominus omnibus inuocantibus eum.* Et hoc est illud Pauli: *Quem proposuit propitiatorē per fidem in sanguine ipsius.*

εἰς τινα κώμην. *in quendam vicum.* *Psal* 93. *Hieron. in Amos* 5. *Zach.* 8. 2. *Reg.* 19. *Psalm.* 126. *Psal.* 144. *Rom* 3.

Propo-

Proponere est palàm & ad manum ponere, vbi eum facilè reperias. *Proposuit* itaq; in domo sua *propitiatorem*, vt illũ facilè adeatis: accedite ad illũ, & obtinebit semper misericordiam delinquentibus. In cuius rei figuram ait Dominus ad Abimelech: *Abraham orabit pro te; quia Propheta est.* Et ideò ad Christũ accedunt leprosi, tãquam ad *propitiatorem*, vt pro eis Patrem oret, & vltionẽ lepræ tollat. 2. accedunt ad Christum, antequam ingrederetur castellum; illi enim intrare non poterant. Ergò antequam Spõsus ingrediatur locum nuptiarum, veni ad eum cũ oleo: si enim semel ingressus fuerit; licèt clames, audies & tu; *Nescio vos* Postquam homo mortuus est frustrà Medicus vocatur. Accede ad *propitiatorem*, sed tempore opportuno. *Operamini*, inquit Christus, *dum lucem habetis: venit enim nox, quando nemo potest operari.* Alioquin dicet cum Iephte. *Ad quid venistis ad me, quem reiecistis* in vita?

Gen. 20.

Matth. 25.

Simile.

Ioan. 9.

Iudic. 11.

Sed cùm decem essent Leprosi; nouem Iudęi, vnus verò Samaritanus; quis eos coniunxit, vt simul essent: *Non enim Iudæi Samaritanis coutũtur*? Certè hos infirmitas & paupertas coniunxit. Sicut è diuerso nihil sic diuidit homines, etiam coniunctissimos, quàm diuitiæ & potentia. Sicut in Abraham & Loth videmus. Paupertas iungit hos leprosos: diuitiæ verò diuidunt parentes à filijs, fratres à fratribus; imò & à Deo separant. Quare ergò bona dicenda sunt, & non mala? 2. Voluit Dominus Samaritanũ iũgi Israëlitis in ipsorum confusionem: dum ille solus inuentus est gratus. Vt fideles cõfundantur, infidelis adiũgitur: Voluit Deus Arcã à Philistæis capi, vt sacerdotes confunderentur, videntes maiorem à Philistęis exhibitã Arcæ reuerentiam, dũ eam collocant iuxta idolum suũ; cùm illi coram Arca furarẽtur, & inhonesta perpetrarẽt. Duxit Christus Apostolos in Samariam, vt à muliere Samaritana discãt Apostolicũ munus exercere: ea enim *hydriâ relicta ciuibus* suis prædicat Christum, & totam ad cũ trahit ciuitatem. Et Chananęã eis proponit, vt discant orare perseueranter. Hinc etiam Christus fideles confundit per infideles dicẽs: *Ideò viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista.* Et iterum. *Væ tibi Capharnaum*, &c. *quia si in Tyro & Sidone hæc facta fuissent. olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* &c.

Paupertas coniungit homines.

Ioan. 4.

Potentia disiungit.

Exemplũ.

Gen. 13.

Fideles infidelibus cur adiuncti.

Exemplũ.

1. Reg 4. et 5.

Exemplũ.

Ioan 4.

Matth. 12.

Matth. 11.

Sed attende, quid faciant Leprosi: *Steterunt à longè.* Et

Inde eos Christus melius audit, quàm si propè accessissent. Putant aliqui melius à Deo se exaudiendos, si propè altare sint, & falluntur. A longè stetit Publicanus & exauditus est; propè verò Pharisæus, & non exauditur. Sic Abraham orans pro Sodoma, humiliat se: *Loquor ad Dominum meum cùm sim cinis & puluis*. Hi ergò leprosi à longè stant, vt reuerenter orent. Deinde, *à longè stant* præ verecundia. non enim audent immundi accedere ad purissimum Christum. Qui enim nouit, quid sit peccatũ, & quid sit in Deum peccâsse, egregium ac maximum perpetrât facinus, ac mirandum, si audeat coram Deo apparere: verecũdia enim & cõfusione operitur; vt Magdalena; aitq́;: Tantum Deum, talem patrem, tantum sponsum contempsi? tot beneficijs ingratus fui? Attende qua confusione adultera coram viro; proditor coram Rege; infidelis filius coram patre appareat; illâ ergò peccator debet coram Deo apperere, ac dicere *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me*. Christus oraturus Patrẽ, quasi verecũdia suffusus *procidit in faciem suam*: in quo licet propriè verecundia & confusio esse nequiuerit, oraturus tamen pro hominum peccatis, quasi confusione opertus se gerit. Non ergò mirum, quod verecundia afficiatur peccator, & à longè stet, nec audeat oculos in cælum leuare, sed dicat: *Nobis Domine confusio faciei*; Sed ais: Quomodo ergò clamabo ad Deũ? quomodo sperabo? Timuerant fratres Ioseph, nec audebant ad eum accedere videntes proditionem suam: sed accessit ille, & osculatus est eos, plorauit super singulos, & tũc ausi sunt ei loqui: sic Christus ad nos venit, & vocat nos omnes. *Venite ad me omnes, qui laboratis*. &c. plorauit super singulos nos in cruce, & *exauditus est*. Audeamus ergò & speremus nos, & cũ Leprosis clamemus, *IESV, præceptor miserere nostri*: sed à longè simus, reuerenter oremus. Hac ergò ratione à longè stant, & orant leprosi. Sed quid illis Christus indicit, vt sanẽtur?

Humilitas. *Luc.18.* Exempla. *Genes.18.* *Theoph.in Luc.17.* Verecundia. Exẽplum. *Luc.7.* *Ioan. 11.* Similia. *Psal.43.* Exẽplum. *Matth.26.* *Marc.14.* *Dan.3.9.* Exemplũ allegoricũ. *Matth.11.*

Hoc planè: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Paruum quid & facilè præcipit. Sed, domine, quid Lepræ cum Sacerdotibus? Lex hoc pręcipiebat. Sed qua ratione ad Sacerdotes? an non melius ad Medicos referri posset? Hoc ostendit legem illam aliquid spirituale respexisse. hoc verò est, quod Lepra peccatum significat, quod ad iudicium pertinet Sacerdotum. Quia ergo peccati remissio ad Sacerdotes perti-

Cur ad Sacerdotes mittat leprosos. *Leu. 3.14.* *Orig. hom.8. in Leuit.* *Aug.lib.2 q. Euan. c. 49*

pertinet, ideò leprosi ad eos mittuntur, vt seipsos sacerdotibus manifestent. Sed, Domine, tu non poteras eos sanare? vt quid eos ad sacerdotes mittis? Sicut cùm aliqua à rege petuntur, ille petentes remittit ad Consiliarios iuxta petitionis modum; si bellica ad belli; si iustitiæ, ad iustitiæ consiliarios, & per illos petitionibus Rex respondet: Ita vt ostenderet Christus, sacerdotes sibi à consilijs esse, in his quæ misericordiam pertinent & peccatorum remissionem, ad sacerdotes mittit ista petentes. Vis, ô homo, gratiam plurimam? sacramenta pluries frequenta. *Venit Christus, vt vitam habeant, & vt abundantius habeant*, ideò ad sacramenta mittit homines, Si Dei gratiam optas, vt aulicus Regis fauorem, ad sacramenta accede, & inuenies. Desideras corporis pulchritudinem, cur non animæ? si hanc optas, ad Sacramenta accede, ibi eam accipies. *Confeßio & pulchritudo in conspectu eius*, ait Psalm. Prius est confessio, quàm pulchritudo. Vis pulcher esse? confitere, & pulcher eris. Peccator es? confitere, & iustus eris. Sed ais: Vt quid frequenter confitear? Vt plurimam gratiam consequaris & gloriam. Sed ais iterum: Optimũ hoc consilium, verùm irridebor ab hominibus iniustis. Irride tu illos. Num à Rege vocatus, vt beneficia magna reciperes, non ires, quia ille vel ille obmurmuret? Audi, quid à te loquatur Dominus per Isa. *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis*, &c. *Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fænum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui? qui tetendit cælos, & fundauit terram*, &c. Quibus verbis inuehitur Deus in eos, qui hominum metu relinquunt ea, quæ ad eius obsequium pertinent.

Simile.

Gratia Dei & remißio peccatorum quomodo impetranda, Ioan. 10.

August. Psalm 95.

Frequenter confitẽdum. Irrisio hominum nihil curanda. Simile. Isa. 51.

Hieron in cap. 51. Isa.

Prætereà, *Ostendite vos sacerdotibus*: voluit sacerdotes conuincere hoc miraculo, vt eo viso conuerterentur, & in eum crederent. Attende miraculorum Christi certitudinem; in inimicorum manibus ea ponit, vt *inimici nostri sint iudices*. Sed num tanto miraculo profecerunt in bonum? Nequaquam: imò credibile est, eos dixisse leprosis, non à Christo sanatos fuisse, sed quia legem seruassent; & ideò nouem Iudæi ad Christum non redierunt: *vnus alienigena Samaritanus* rediit, qui eis non credidit.

Deut. 32.

Sed interim obedierunt omnes leprosi Christi verbo. *Et factum est, dum irent, mundati sunt*. Ecce impletum illud Psal-

Psal. *Dixi*, id est statui, *confitebor aduersum me*, nõ aduersum alios, *iniustitiam meam Domino, & tu remisisti*, antequam cõfiterer, *impietatem peccati mei*, quia ante confessionem peccatum remittitur per contritionem, licèt per ordinem ad confessionem. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus*, licèt enim sanctissimus sis, *de propitiato peccato noli esse sine metu* & ideo pro illo orare oportet *in tempore oportuno*: nam *in diluuio aquarum multarum ad eum non approximare* valebunt, in inferno scilicet vel in iudicio. *Psal. 31.* *Eccl. 5.*

Sed beneficio accepto, quid fecerint leprosi videamus. *Vnus ex eis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem suam ante pedes eius, gratias agens.* Qui prius steterat à longe, nunc propè accedit, & ad pedes Christi aduoluitur. *Et vos, qui eratis longè, facti estis propè in sanguine ipsius.* Secura enim conscientia confidere ac sperare facit, sed reuerenter ac humiliter: ideò *cadit in faciem suam*. Et Christus ait: *Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Miseri profectò & deplorandi sunt, de quibus Iesus ait: *Vbi sunt?* Sic de primo peccatore ait, *Adam vbi es?* Ignorat certè Deus eos, qui beneficijs ipsius ingrati sunt, & dicet aliquando ad eos: *Nescio vos.* Cõtrà vero ad iustum ait: *Noui te ex nomine, quia inuenisti gratiam coram me.* *Ephes. 2.* *Ingratos ignorat Deus* *Exemplũ.* *Genes. 3.* *Matth. 25.* *Exod 33.*

Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena: Pro tanto accepto beneficio sanitatis solam gratiarum actionem Deus requirebat. Sed si hi ingrati extitére; quid nos, qui salutem animæ accepimus, & sanguine Christi ad hoc intincti sumus, vt olim leprosi intingebantur. Secundò his verbis significatur grauitas peccatorum, quæ à fidelibus committuntur propter maiorem ingratitudinem ad diuina beneficia. Nam *seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.* Et ideo grauissimi fuêre casus Luciferi & Adę quia plura receperunt dona, & maximam veritatis cognitionem. Ostendit & Paulus grauissimam eorum pœnam, qui *post agnitam veritatem voluntariè peccant, quibus relinquitur terribilis exspectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Peccati enim grauitas pensanda est ex ingratitudine ad beneficia: *Cui multum commendauerunt, plus exigent ab eo* Ne ergo ingratus inueniatur Samaritanus, gratias egit, & ait: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in-* *Ingratitudinis graue peccatum.* *A minori ad maius.* *Bern. ser. cõt ingr. pess. vitium.* *Luc 12.* *D. Leo ser. in 8 Apost. Petr & Paul. de ingrat vit. & 10. Lep.* *Hebr. 10.* *Lucæ 12.* *Psalm 33.*

Ingratitudo diaboli inuẽtum. *ius in ore meo.* Adeò verò naturalis gratitudo eſt, vt feris animantibus à natura ſit indita. Verè diaboli inuentum ingratitudo eſt, vt nobis aditum præcludat ad diuina beneficia capeſſenda. Nobiſq; contingit, quod filijs Iſraël, qui egreſſi ex Aegypto innumera mirabilia Dei experiebantur, nec tamen grati erant benefactori ſuo: Ita nos circundati vndique diuinis beneficijs, ea non inſpicimus vt Dei dona, nec grati ei ſumus: & quaſi ab alio accepta eſſent, ita nos gerimus. Si non dat Deus beneficia, vnde ergò ea, quæ poſſides? Vnde hæc innumerabilia, oculos, aures, & animum demulcentia? tot arbuſta non vno modo frugifera? Vnde ſpiritus tuus? vnde ſanguis? vnde lux? vnde vita? Quid ad hæc dicet fidelis homo, qui hæc ſe recepiſſe credit, & multò maiora: &c.

Exemplũ. 2. Par. 32. Iudith 7.

Seneca lib. 4 de benef. N. B.

DOMINICA DECIMAQVARTA POST TRINITATEM.

THEMA: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Matth. 6.

Maria nulli quàm Deo ſeruiuit. INTER mortales MARIA fuit, quæ vnicum ſemper Dominum habuit Deum, nulli alteri vnquam ſeruiuit vel in minimo. Nos verò non ſic, ſed Deo ſeruire volumus & Mammonæ, ſimiles Heliotropio, ſe cum ſole circumagenti. Multi enim cor ſuum Mammonæ tradiderunt, & exteriori cultu & verbis Chriſtũ ſequuntur: qui tamen Deo placere nõ poſſunt. Vt doctrinã iſtam per neceſſariã intelligamus, & ea audita proficiamus, oremMariã, vt nobis gratiã obtineat, ſalutantes eã, Aue Maria.

Simile.

Simile. Sicut vniuerſus cælorum motus ſuper duos polos fit, Arcticũ & Antarcticũ, quorũ vnus in noſtro hemiſphærio, alter in altero dominatur: ita ſpiritualis motus animorũ ſuper duos amores ſiunt, Deũ & Mammonam, cælũ & terrã. In hoc Euãgelio Chriſtus oſtẽdit impoſſibile eſſe ſimul vtriq; inſeruire. 2. oſtẽdit, cui inſeruiendũ nobis ſit, Deo ſcilicet. 3: remouet impedimentũ, quod nobis cario obijcere poteſt, temporalia nobis ob id defutura, oſtẽdens longè aliter id futurum. Hęc ſumma Euangelij eſt.

Diuiſio.

Deus ſolus vult eſſe dominus. De primo ait: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Vnicũ tibi cor eſt, vnica domus, vnicus in ea futurus Dominus

eſt. Vnde Sap. *Væ duplici corde, labijs ſceleſtis; peccatori terrā*
ingredienti duabus vijs. Hæc Dei noſtri natiua cōditio eſt, Eccl. 2.
vt ſolus haberi velit dominus, & vltimus finis noſter, nec
ſocium admittat. Hinc ait: *Dominum Deum tuum adorabis, et* Deut. 6.
illi ſoli ſeruies. Et iterum *Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit* Deut. 32.
alius Deus præter me. Alij Dij gentium dum colerentur,
nihil curabant, ſi alij etiam vt Dij haberentur: non ſic
Deus verus: ſed ait; *Gloriam meam non dabo alteri, & laudem*
meam ſculptilibus. Permiſit Dagon Arcā Dei in altari ſibi Iſa. 42.
dicato locari: ſed Arca illū nō ſuſtinuit, ſed in terrā deie- 1. Reg 5.
cit. Nec mirū Deū hoc velle, poſtquā homo factus ſe to- Typus.
tum homini dedit, iure poſtulat, vt ſe illi homo tribuat. N. B.

Sed quid infert Chriſtus ex eo aſſumpto? *Non poteſtis*
Deo ſeruire & Mammonæ. id eſt, diuitijs. Attende, non dicit: Chaldaicè
Non poteſtis diuites eſſe, & mihi ſeruire: plures enim re- Mammon et
ges & Patriarchæ Deo ſeruierunt, cùm diuites eſſent: ſed Syriacè, di-
ait: *Non poteſtis Deo ſeruire & diuitijs.* Si diuitiæ tibi ſeruiūt, uitiæ latinè.
potes eas habere, & Deo ſeruire; ſed ſi ſeruus es diuitiarū,
Deo ſeruire non potes. Sed qua in re agnoſcemus, an di- Hieron in
uitiæ ſeruiant homini, an homo diuitijs? Audi ſignum. Matth. 6.
Si diuitijs vteris tāquam dominus in bonum, & eas mit- Aug lib. 2.
tis in xenodochia, ad pauperum domos; dominus diui- de ſerm do.
tiarum tu es, non eis inſeruis. Si verò è diuerſo videns fa- in mont.
melicum ad te clamantem, & fidem, quæ te vrget, vt ele- Quis ſit do-
ëmoſynam facias, & indigenti ſubuenias, nihilominus minus diui-
non audes diuitias cōtingere, ſeruus es Mammonæ. Si in tiarum.
tēporaliū acquiſitione ſollicitus nimium es, & per ma- Quis ſeruus
re, per terras diſcurris, vt diues ſis; Mammon te vtitur vt diuitiarum.
mancipio, ſeruus es, non dominus. Hinc Pſalt. vocat eos
viros diuitiarum: quia non illi diuitijs, ſed diuitiæ illis do- Pſal. 75.
minantur: hi *nihil inuenerunt in manibus ſuis*; quia *non ſunt in*
manu eorum bona ſua. Bona autē in manu habet, qui deſpi- Iob. 21. ibi
ciendo temporalia, ſub dominio mentis ipſa ſupponit, Greg. lib. 15.
obediens illi, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Qui verò Mor c 28.
diuitijs ſeruit, non eas manu tenet, ſed tenetur; ideò, in- Pſalm. 61.
quit Iob, *conſilium eorum longè ſit à me.* Sed quodnam eorū
conſilium? Hoc planè; temporalibus frui, æterna neglige-
re: hoc conſilium longè à iuſto eſt, qui *primum quærit reg-*
num Dei. Merito ergò *nihil inuenerunt in manibus ſuis*, qui ni-
hil habuerunt, nihil poſuerunt in manibus Chriſti, nihil
in manibus pauperum.

Vtrc serui tus si eligen da ei an verò Mammonæ. Quæ verò seruitus nobis sit eligenda, vtrum Deo an Mammonæ seruiendum sit nobis, quasi manifestū Christus relinquit; Si Deo seruire vis, Mammonę seruire non potes. Si diligis Mammona, deum amisisti. Cui vis adhærere, ô homo? cui vis seruire? Deo, an Mammonæ? Quis nequior Dominus Mammona? misere tractat, & discruciat seruum; mittit eum in villam, vt pascat porcos, nec siliquis eum satiat. Vide quò seruum suum ducat Mammon. Achab non satiatur aula regia, non vineis & oliuetis optimis; sed impellit eum Mammon, vt Naboth occidat, eiusq; vineam rapiat. O mundi diuites vilissimi serui, de quib. Psal. *Famem patientur, vt canes.* Hinc Ioan. *Fratres, nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt.* Contrà verò Deus seruos placidos habet, & quasi filios tractat. Ais igitur; Deum mihi eligo in dominum, quia *mihi adhærere Deo bonum est*: si eū eligis, audi Moysem. *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius.* Audi ergò, quæ Dominus tuus præcipit.

Luc. 15.
Exempla.
3. Reg. 21.
Psal. 58.
1. Ioan. 2.
Ps. 72.
Deut. 26.

Quænam solicitudo inhibita. *Ideò dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori vestro, quid induamini.* Mira profectò illatio: *Ideò dico vobis, quia non potestis Deo seruire & Mammonæ, nolite solliciti esse* de cibo & vestitu: si enim de his solliciti estis, Mammonæ seruitis. Sed, Domine, non mihi comedendum est? Si diceres; ideò nolite furari; nolite fraudare inuicem; nolite superfluas vestes, vasa auri & argenti facere; tolerabile hoc esset: sed cibus qua ratione curandus non est? O diuersum Dei & hominum iudicium! Deus nihili æstimat diuitias, homo plurimi. Apostoli audientes, *Impossibile est, diuitem intrare in regnum cælorum;* stupefacti respondent. *Quis ergò saluus esse poterit?* Possemus dicere; quamplurimi; quoniam pauci diuites sunt, nisi diuitis nomine intelligeret eum, qui habet diuitias, vel eas cupit habere. Et hac ratione ferè omnes diuites sunt, quia vel diuitias possident, vel desiderant. Plurima verò mala de diuitijs dicta sunt duas ob causas. Prior est, quoniam illæ instrumenta sunt vitiorum omnium. Vindicari vis? desideras mulierem alienam? si diues es, facilè obtinebis *Pecuniæ obediunt omnia.* Diuitię etiam initium superbiæ sunt & ideò Paul. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* &c. Altera ratio est, quòd non diuitiæ damnantur, sed earum

N. B.
Matth. 19
Aug. lib. q. Euan. c. 29.
Diuitias desiderant omnes.
Cur tot mala de diuitijs dicta.
Eccl. 10.
1. Tim. 6.
Aug. serm. 3. de verb.

arum inordinatus amor;non cura corporis,sed sollicitudo:hanc Christus tollere nititur; quia multorum peccatorum radix est. Attende desideria tua vana;iam desideras pretiosas vestes; iam domum peramplam; iam vasa aurea,& gemmas: & propter hæc eleemosynas non tribuis;debita non soluis:superbus & arrogans es. Hæc sollicitudo diuitiarum immunera post se trahit peccata,suffocat verbum Dei,& tandem nos mergit in interitum æternum.Hanc Christus damnat; quia hæc *cupiditas radix est malorum omnium.* *dom. Lib.50.ho. hom.13. Vermis diuitiarum superbia. Luc.8. Matth.13. 1.Tim 6.*

Vt verò hunc inordinatum amorem,hanc sollicitudinem auferat Christus à nobis,pluribus vtitur rationibus in Euangelio: quas si rectè intelligeremus, liberi essemus à seruitute diuitiarum; & audiremus securi Apostolum,qui dicit: *Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis.* Sic Psal. *Dominus sollicitus est mei.* Si tu sollicitus tui fueris, Deus tui sollicitus non erit: sed si dicis: *Dominus regit me, nihil mihi deërit,* Deus sollicitudinem tuam suscipiet. Si tu curas te sollicitè,multa tibi deërunt: si Deus te curat, *nihil* tibi *deërit.* *1.Pet.5. Psal.54.& 39.* N. B.

Prior ergò ratio, quæ huic innititur fundamento, est: *Nonne anima plus est,quàm esca?* Multò excellentior atque nobilior est anima,quàm esca;& corpus,quàm vestimentum: si ergò Deus dedit, quod maius est; non negabit, quod minus est. Dic, ô homo sollicite de cibo & veste, quis infudit in corpus animam,Dei imaginem? num tu eam postulâsti?nequaquam:quis ergò sollicitus fuit?certè Deus pro sua bonitate. Qui ergò animam dedit,quam non petisti;non dabit escam, si ei seruiens ab eo petieris? *Spera ergò in domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius.* Extollit hanc rationem Paulus: *Qui proprio filio suo non pepercit,sed pro nobis omnibus tradidit illum,quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* Qui dedit Filium in crucem, num panem vilem negabit?qui panem Angelorum tibi comedit,panem de cęlo verum,panem de terrà non dabit? Qui animæ tuæ eam vestem concessit, de qua Paul. *Induimini Dominum Iesum Christum;* vestem corporis negare poterit? Manifesta ergò prior ratio est,qui dedit tibi corpus & animam,quod maius est, insuper & Filium; dabit quod minus est,cibum & vestem corporis. Ex perceptis ergo *Sollicitudinis abijciendæ rationes.* N B. *Psalm 36. Rom.8. Rom.13.*

Dilemma ad omnes Christianos. maioribus beneficijs, disce sperare minora. Aut enim dictis credis, aut non. Si nõ credis, infidelis es: si credis, quomodo minora non speras, qui maiora recepisti?

Satis hæc erat ratio, ad auferendam omnem sollicitudinem, sed audi aliam. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa: nõnne vos magis plures estis illis?* Dulcedine plena sunt verba hæc. Pater tuus Deus est, & hic pascit aues cæli, & cuncta animantia: negabitne tibi cibum, qui pater est? Vidisti aliquando in terra hominem, qui pascit animantia domus suæ, & filios patiatur fame interire? *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis pater vester cælestis id faciet? Qui replet omne animal benedictione; qui dat iumẽtis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum,* quos pascit quibusdam vermiculis in nido nascentibus, donec nono die plumescẽtes à patribus pascuntur; quo pacto deesse poterit homini, propter quẽ omnia condidit?

Simile. Luc. 11. Psal. 144. Psal. 146. Iob. 38. Luc. 12.

Sed hinc aliqui ansam sumere posse videntur non laborandi. Otiosus enim dicet: Pascet me Deus, etiamsi nõ laborauero; vt & animantia pascit, quæ non laborant. Absit. In paradiso voluit, vt operaretur Adam, quid faciet in exilio? Nos omnes operari Deus voluit, cum ait: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et Psal. *Labores manuũ tuarũ, quia manducabis, beatus es & benè tibi erit.* Et: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Non ergò labor prohibetur, sed sollicitudo. Nec aues in exemplum proponuntur non laborandi, sed sperandi in diuina prouidentia.

Otiosorũ cauillatio præoccupata. Genes. 2. Psal. 127. 2. Thess. 3.

Ex dictis pulchrè colligit Christus: *Quærite ergò primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Attende nunc diuinum pactum, quod tecum pepigit Deus: Quære Dei regnum, obedi mihi, & temporalia tribuam, adijciens illa, quasi rem paruam. Summa profectò Dei in nos benignitas, vt sic velit nobiscum pacisci. Sed forsan obijcis: Nõ video ego eam Dei curam in me, sæpe enim me derelictum video. At cõtrà Dauid: *Nõ vidi iustum derelictum.* Audi huius rei rationem, si deseraris. Cum pactum fit inter duos, DO, VT DES; si alter implet, quod promisit, alter implere tenetur: si secus primus fecerit, secundus pacto non alligatur. Si tu primũ quæris regnum Dei, tenetur Deus pacto; vt te pascat: si id non

Pactum Dei nobiscum. Psalm 36. Hieron. in quæst. seu trad. in Gen. & in Galat. 3.

præstas, Deus liber à pacto est. Si tu impleueris, quod ad te pertinet, *Deus negare seipsum non potest, fidelis est in omnibus verbis suis*, stabit promissis suis. Sed si tu non imples ea, ad quæ tu teneris; Deus iure dicet: *Non pascam vos, quod moritur, moriatur*. Et, *reliquistis me, & ego relinquam vos* &c.

Psal. 36. Psal. 144. Zach. 11. 2. Par. 12. 13. 14. 15.

IN EADEM DOMINICA.

Thema: *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Matth. 6.

MAXIMVM quid hodie molitur Christus, & quod solus Deus perficere potest. Sed quid id est? Certè vt homines diuitias nihili ducant; eis non inseruiant, solliciti non sint eorum, quæ ad corpus spectant. Hoc perficere quis valeat, nisi Deus? Ipse *consiliarius noster* nobis hodiè consilium præbet, quô sine sollicitudine temporalium vitam ducamus tranquillam, cælestibus similem: sed sollicitudo nostra versetur circa regnum Dei & iustitiam eius. Optimum profectò consilium. Quid desideras, ô homo, cælestia & temporalia? Vtraque facilè assequeris: esto sollicitus cum Deo tuo, & vtraque habebis. Attende, ô homo, qui circa temporalia sollicitus es, diuersa te incedere via, ab ea, quæ te decet: sollicitudo tua non in temporalibus impendenda, sed in spiritualibus. Audi Proph. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te*. Sed quid hoc est? *Vtique facere iudicium diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Iudicium tecum fac, iudicans & abnegans temetipsum: proximo misericordiam impende; Deo sollicitudinem, curans ei per omnia placere: Maximum negotium est salus æterna animæ, ideò sollicitè curandum. Et hanc sollicitudinē dominus VIGILIAM appellat. Sed sicut Pharao Israëlitas *in desertum secedere* volentes, *vt sacrificent Deo suo*, otiosos arbitrabatur, & ideo operibus opprimebat: sic diabol⁹ curis huius seculi opprimit de Deo cogitantes, vt hoc facere non valeant. Aduersus hanc diaboli astutiam consilium nobis Christus præbet: *Nolite solliciti esse*. &c. In mensura accipe omnem curam & laborē circa tēporalia, & p̄cipuè spiritualia cura; nec illa ista impediant: nec ideò putes defutura tibi, quia hęc *adijcientur* tibi; & nō dabūtur: q̄a aliud est, quod principaliter datur; aliud, q̄ superadditur.

Christi studium. Isai. 9. Cælestia & temporalia quomodo acquirenda. Mich. 6. Salus æterna maximum est negotiū. 2. Tim. 2. Matth. 24. Luc. 12. & 21. Allegoricum exemplum. Greg. libr. 15. Mor. c. 27. alia edit. cap. 20. in Iob 21.

Curam circa temporalia non habendam.

Sed Magistri nostri rationes potentissimas perpendamus, quibus probat, hanc curam circa temporalia non habendam. Et prior illa sit: *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ* Seruus diuitiarum dicitur auarus. & cultor earum: ideo auaritia dicitur *idolorum seruitus*. Commune quidem est omni peccato, vt auertat hominem à Deo, & ad creaturam conuertat; sed singulariter de auaro pronuntiat, Scriptura, quòd sit idololatra, duplici de causa. 1. quia diues seipsum colit, vt Deum, & coli ab omnibus vult: putat se omnibus superiorem, nullius egere, & ab eo pendere reliquos, omnia se credit in diuitijs habere. Sic eleuatum est cor Nabuchodonozoris & Amanis &c. 2. quia auarus speciali quadam ratione seruus est diuitiarum, & eas colit, vt Deum: quia non solùm propter eas Deum relinquit, sed eis se credit, & spem suam in eis collocat: credit melius sibi prouisum in omnibus, quàm si Deum haberet. Hæc omnia, quæ Dei sunt, diuitijs tribuit; ideò eas colere dicitur, & idololatra appellatur, Hæc verò non se ita habent in reliquis peccatoribus. Hinc Psalm. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*. Et alibi: *Videbunt iusti & ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum*. Hæc etiam idololatria in eo maximè ostenditur, quod cùm Deo debeatur amor & obsequium & ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus, hoc omne diuitijs præstat auarus. Seruus ergò Mammonæ seruit: quia *nemo potest duobus Dominus seruire* Ne ergò sollicitus sis circa diuitias; Deo enim vero hunc debes honorem.

Col. 3.
Eph. 5.
Auarus cur sit idololatra.
1.
Exempla.
2.
Hieron epi. 1. ad Heliod. epist. 4. ad Rustic monach ep. 8 ad Demetr. ep. 22. ad Eustoch.
Psal. 48.
Psal. 51.
Hier. ep. 83 ad Ocean & 103. ad Paulin.
3.

Sed iam rationes alias perpendamus, vt omnem solicitudinem abijciamus. Quia verò omnes innituntur in diuina circa nos prouidentia, notandum est, dupliciter hominem Christianum posse operari ea, quæ ad victum & reliqua humana pertinent. 1. eo modo, quo Ethnicus, adhibita humana diligentia absque vlla Dei memoria, vel oratione, aut spe in Deum Et hoc ferè modo multi fideles operari solent. Et ex hac radice procedunt omnia ferè mũdi mala successusq; tristes, quia Dei oblita est anima. 2. eo modo, quo fideles, qui nouit vniuersa à Deo pendere, & omnium curam apud eum esse, nec moueri folium absque eius nutu. Ex quibus iustus in Deo fidit, ab eo bona cuncta petit, sperat, & obtinet: & humana præstat opera

Operari quis potest dupliciter ad victum adipiscendum.
1.
Isa. 57.
2.
Psal. 126.
Luc. 12.

pera,non ijs fidens sed Deo Hinc Psal. *Reuela Domino viã tuam, & spera in eo, & ipse faciet* Plus facit iustus dormiens, quàm peccator vigilans. Hinc Psalt. *Vanum est vobis ante lucem surgere* &c. Plus proficit is, quem Deus iuuat, quàm qui summo mane surgit. Et licet multa tibi casu & fortuna euenire videantur, & non à diuina prouidentia: Deo tamen nihil; quia vniuersa, etiam minima, ab ipso curantur. Optimè Augustin. Multa nobis casu succedunt, Deo verò nihil Quemadmodum cùm tu mittis duos seruos, vt diuersis vijs peractis in vnum conueniant locum; tibi hoc præscienti, & intendendi, non casu & fortuna se mutuo inueniũt; illi verò casu se inuenire dicuntur; quia nesciebant, nec intendebant se mutuò inuenire: ita licet creaturis plurima casu eueniunt, sed non Deo.

Psal.36.
N.B.
Psal.126.
Casu nobis multa eueniunt: Deo nihil.
Aug. lib. 5. de ciuit. Dei. 11. primis cap.
Simile.

His suppositis, rationes Christi expendamus, ne solliciti simus. Duas priores non explicamus, quia superiori concione proposuimus. Ideò ad 3. descendimus; & illa est: *Quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturã suam cubitum vnum?* q.d. Non vis sollicitudinẽ abijcere? ergò sollicitus esto; cogita, discurre, festina, & dic: hæc & hæc agã. &c. *Ini consiliũ, & Dominus dissipabit illud; loquere verbum, & non fiet*: quia Deo non adhæsisti. Quot hominum sollicitudines vanæ sunt? Dic ergò, licet anxieris, poteris *cogitatione adijcere ad staturam tuam cubitum vnum?* Nequaquam Si ergò tibi non prodest, vt quid eam habere vis? Proijce abs te, & ad me accedens sollicitudinem missam fac. Sicut enim à diuina prouidentia pendet statura tua, nec vltra progredieris, quantumuis sollicitus sis: ita fortunæ bona ab eâdem pendent, & sollicitudo tua, si ei aduersetur, erit inanis. Vult autem Deus auferre, quæ noxia sunt: non quæ bona, & proficua: non prohibet tua curare, & laborare, sed sollicitum esse, quod tibi vtile non est.

Psal.32.
Isa.30. et 36.
Eccl. 11.

Et de vestimento &c. hæc enim omnia gentes inquirunt. Gentes, quæ aliam vitam non nouerunt, non mirum, quòd hæc quærant: sed fidelis, quia aliam exspectat, nihili præsentia æstimare debet. Ethnicus adorat deos inhonestos, ebrios, luxui debitos; nec mirum quòd eos imitetur: sed fidelis adorans Deum humilem factum, crucifixum, quid curet vestes & delicias? Esne Christi seruus? Sum, ais. Quomodo ergò ille humilis, tu superbus? ille nudus in cruce, tu pretiosis amictus? ille in cruce, tu in delicijs? Deinde ostendit

Gentes cur solicitæ.
1.
N.B.
Arist. 2. Physic.

Plutarchus stendit his verbis Christus longè diuersam spem in eo col
de Euripide. locandam à fidelibus esse, quàm Gentes in dijs suis. Gen-
3. Reg. 18. tes enim vel negant diuinam circa humana prouidenti
Psal. 113. & am, vel deos habent similes Baal, qui eos non exaudiunt:
134. & licet Deum credant cæli, vt Iudæi & Saraceni, non tã-
men credunt diuinam pietatem, qua homo fieri & mor-
tem pati pro hominibus voluerit. Fidelis ergò, qui nouit
Deum cuncta prouidere, patrem suum esse, omnia scire &
prospicere, & tanta pro eò restitisse, multò ampliorem in
Deo suo spem habere tenetur. *Quid igitur solliciti estis mo-*
dicæ fidei? Scit pater vester, quia his omnibus indigetis. Ille tan-
quam pater necessaria vobis subministrabit. Profectò ex
Isaiæ 43. quo Deus dignatus est hominum pater dici, omnem ab
Psalm. 111. eis meritò sollicitudinem abstulit. Audi Dominum. *Noli*
& 127. *timere Israel, quia redemi te, vocaui te nomine tuo. Meus es tu.*
Simile. *Beatus ergò vir, qui timet Dominum.* &c. Si enim magni Re-
gis filius adoptatus non debet esse sollicitus, quid come-
Exemplũ. dat, aut induat: sed tantùm, vt tanto patri placeat: sic tu
Genes. 32. sollicitus esto, quomodo patri tuo cælesti placeas: ille e-
nim non cibum & vestes solùm, sed & regna præstabit ti-
bi. Iacob in baculo suo transgressus est Iordanem, sed re-
Iusti cur ali greditur cum duabus turmis diues & potens.
quando pau- Sed obijcis: Multos video iustos, qui non abundant tem
peres. poralibus copijs, sed vel mediocrem, vel pauperem vitam
Sic Tobias degunt. Licet ergò ego sperem in Domino, & ei adhære-
de se. am, pauper ero. Ad hoc duo mihi explicanda sunt, aliam
Vita æterna esse rationem finis, & aliam mediorum, quibus finem cõ-
finis hominis. sequimur. Vita æterna finis est hominis; & gratia, & diui-
na dona, quibus eam consequimur, rationem finis ha-
bent: Bona temporalia non sunt hominis finis, sed media
potius: & inde est non nobis meliora esse, quia maiora;
sed quia fini consequendo conuenientiora. Non ideò ho-
mini melius est, quia ditior aut potentior, sed quia ea pos-
sidet, quibus conuenientius vitam æternam consequetur.
His suppositis obiectioni respondetur, aliquando iusto
expedire, multa bona temporalia possidere, vt eleëmosy-
2. Reg. 7. nis factis regnum cæleste mereatur: & tunc plurima bona
1. *Par.* 29. ei Deus concedit. Sicut Dauidi dedit, vt in templi ædifici-
Gen. 18. 29 um relinqueret. Sic etiam Patriarchis amplam dedit sub-
32. stantiam, quibus multa opera misericordiæ præstabant.
2. Aliquando expedit iusto habere victui necessaria: &
hoc

hoc contingit vt plurimùm. Et hoc sibi concedi Sapiens orat, dicens; *Duo rogaui te ne deneges mihi, antequam moriar: vanitatem & verba mendacij longè fac à me; paupertatem & diuitias, ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo necessaria.* & cæt. Hoc verò modicum melius iusto sapit, quàm illud multùm, quod peccatori datur. iuxta illud: *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Nouit enim iustus paucissimis contentus esse, nec plus desiderat: & ideò ditissimus est. *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia*, id est, animus sua sorte contentus Sic Paulus: *Ego scio in ijs, in quibus sum, sufficiens esse*, 3. Aliquando iusto expedit paupertas, vt Lazaro, qui *cupiebat saturari de micis*. Et tunc iustus derelictus non est, quoniam à Deo protegitur, qui ei patientiam subministrat, & merita magna. Iustis igitur Dominus tribuit *secundum propriam virtutem*. nouit enim cuiusque natiuam conditionem, ingenium, & mores: cuique concedit, quod maximè aptum est. Et ea sorte quisque debet esse contentus. & primùm *regnum Dei quærere*, certus, quòd temporalia, quæ ei fuerint conuenientia, concedet Deus &c. *Quærite ergò primùm regnum Dei*, & cæt. Quia illud non quæris, temporalia non recipis. Audi Prophetam id manifestè dicentem. *Ponite corda vestra super vias vestras. Seminâstis multùm, & intulistis parùm: comedistis, & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos; & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit illas in sacculum pertusum.* &c. *Quam ob causam, dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam* &c.

Prou. 30. — *Psal. 36.* — *1. Tim. 6.* — *Phil. 4.* — *Iustus pauper à Deo derelictus non est.* — *Matth. 25.* — *1. Cor. 12.* — *Rom. 12 b.* — *Ephes. 4. a.* — *N. B.* — *Aggæi 1.*

DOMINICA XV. POST TRINITATEM.

THEMA: *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Luc. 7.

QVID aliud defunctus hic, nisi peccatorem significat? Effectus enim causam repræsentat; mors verò peccati effectus est: nam *per peccatum mors.* Imò peccatum potiori ratione dici mors debet, quàm corporis interitus. Hinc Sap. *Homo per malitiam occidit* ani-

Propositio à sensu mystico. — *Rom. 5.* — *Sap. 16.*

Rom. 6. animam suam. Et Paul. *Serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam* Licet ergò peccator exteriùs viuere videatur, tamen mortuus est Hinc Ioan. Apoc. 3. *Nomen habes quòd viuas, & mortuus es.* Illud verò mirum est, quòd sepulchrum viuat, corpus scilicet, & anima mortua sit.

Mors spiritualis incipit ad instar corporalis. Efficitur verò hæc spiritualis mors ad instar corporalis mortis; in qua procedit languor, qui indies grauior factus, tandem mortem adfert: ita in animo incipit quispiã male se habere, donec tandem incurrit mortem peccati. Iac. 1. Infirmitatis verò spiritualis initium, statum & progressum ostendit Iacobus. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem* Attende ergo, ô homo, tentationem, & cùm eã videris, caue; quia 4. Reg. 4. *mors in olla*: &, si remedia non adhibueris, morieris. Tentatio enim inducens hominem ad lethale peccatum, grauissima est infirmitas, remedijs & curâ indiget. Ideò *sobrij estote & vigilate*, ne vos dæmon occidat 1. Petr 5.

Anima immortalis quomodo moriatur. Sed anima immortalis quomodo mori potest peccato? Vita dicitur in homine, quod est principium operandi: tale verò est vltimus finis. Vnde cùm propter Deum summè dilectum operatur quis, Deus est illi principium agendi, vnde & vita eius dicitur. D. Thom in Phil 1. *Mihi viuere Christus est.* Homo autem Deo coniunctus, quid mirum si viuat, cùm sit coniunctus vitæ per essentiã: sicut coniunctus igni ignitur. *Deus vita animæ.* Rebus verò alijs homo cõiunctus mori dicitur, quia nihil sunt: q̃a sine VERBO, per quod facta sũt omnia, sine quo oĩa NIHIL. Amisso ergo Deo, qui Vita hõinis dicitur, meritò non dicitur.

Peccator sibi ipsi mortem adfert. Sed hoc valdè mirandum est, quòd hanc mortem sibi inferat ipse peccator. Horremus audientes, quòd aliquis sibi mortem consciuerit: amor enim naturalis maximus est. Comparatio. Quomodo ergò non horremus, audientes, quòd quispiam sibi vitam adimat, quæ Deus est? An non hæc excellior vita, quàm naturalis? An non sibi crudelissimus hostis? N B. Tob 12. *Qui faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ.* Et, Psalm. 10. *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Plus mali tibi infers, cùm peccas, quã inferre tibi posset vniuersa creaturarum congregatio; licet Angeli, homines, dæmones, & effera animantia simul in te insurgerent: minus diximus.

imò quod maximum est: si Deus, summo te odio prosequens, omne malum, quod inferre potest Dei potentia absoluta, tibi inferret: adhuc tantùm malum inferre non valeret, quantum tu tibi infers, dum peccas. Ne autem putaueris, ex eo limitem poni diuinæ potentiæ, quæ infinita est. Deum enim peccare non posse, defectus non est potentiæ: imò si peccare posset, aut ad peccatum inducere, Deus non esset. Deus enim peccati causa & effector esse non potest: diuinæ siquidem bonitati repugnat: adeo vt mori quidem potuerit in assumpta natura, peccare verò nequaquam potuerit. Si peccati causa esset, peccaret, & deficeret, quod longè à Deo est. Omne igitur malum, quod creaturæ, quod Deus inferre tibi potest, malum est pœnæ, non culpæ. Malum verò, quod tibi infers, dum peccas, malum est culpæ. Malum autem culpæ multis partibus maius est omni malo pœnæ sensibilis, & damni, quod est carentia diuinæ visionis. Quia culpa facit hominem simpliciter & absolutè malum, non tamen pœna. *Puniri enim non est malum, sed fieri pœna dignum.* Ex quibus sequitur quantum sit homini formidandum, ac fugiendum peccatum, quod mortem esse, & mortem omnium miserrimã, initio proposuimus. Hic ergò defunctus adolescens effigies est peccatoris.

N. B.

Peccator quãtum malum sibi peccando conciliet.

Deus peccare non potest, et peccati causa non est.

D. Thom. 1. p. q. 48. art. 6.

Malum culpæ pœna est malo pœnæ.

Dionysi. ca. 4. de diu. nom.

Sed quomodo surget? Veniat IESVS in ciuitatem NAIM, quod fluctuationem significat. Vt à fluctuatione liber sit homo, veniat in fluctuationem Deus. Descendit ipse in mundum, vt mortuus suscitaretur, & nunc venit in ciuitatem Naim. Vnde Matth. ait: *Circuibat IESVS totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.* Pretiosa certè animarũ salus est, quam ita anxiè Christus quærit. Si. n. *diabolus circuit, quærens quem deuoret*: multo magis Christus circuit, quærens quem liberet. Desiderium hoc illum à ciuitate in ciuitatem trahebat. *Cucurri in siti*, ait ipse: hæc sitis ipsum cucurrere fecit; & hac fatigatus animam Patri reddidit. Hinc discant Ministri Christi, & omnes fideles, nullum non mouere lapidem, vt peccatorem suscitent, & à peccato reuocent. Hoc monet Sap. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Si Christus è sinu Patris descendit, & homo factus crucem subijt, vt hoc opus perageret, quomodo tu illud non magnifacies. Venit ergò Christus

Christi aduẽtus salutaris.

Naim, id est, cõmotio vel pulchritudo.

Matth. 4.

Animarum salus pretiosa.

1 Petr. 5.

Psalm. 61.

Ioan. 4.

Ioan. 9.

Prou. 24.

Sap.2.d. Rom. 5. in ciuitatem Naim commotam & pestilentem. Pestem inuexit diabolus, cùm homo præceptum Dei transgrediens, illi locum dedit, & peccatum incurrit, & per peccatũ mortem. Vt hanc Christus auferret, Naim venit. Ad eum ergò accedamus, vt suscitemur.

Mortis origo. 1. *Ecce defunctus efferebatur* Quare mortem incurrit? quia orphanus erat, *filius vnicus matris suæ*. Multi hodie intereunt, quia patrem non habent, vel si habent, negligens est in filiorum educatione. Hanc miseram hominum conditionem deplorat Propheta. Thren. 5. *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Vide Domine, & considera afflictionem nostram*. 2. Vel causa mortis adolescentia fuit, quæ rectæ rationi subdita non est, sed passionibus; quæ in illa ætate abundant, ratio verò debilis est. Arist. Eth. cap. 6. Summa cura necessaria est adolescenti, ne mortẽ animæ incurrat. Ideò Sap. Prou. 30. monet. Eccl. 6. *Fili à iuuentute excipe disciplinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam*. Eccl. 11. Et, *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ*. Eccl. 12. *Adolescentia enim & voluptas vana sunt*. Obiectionis præoccupatio. Sed forsan dices: Nunc adolescens sum, & si vitijs me tradidero, citò me ab eis expediam, cùm vir fuero. Audi Dei spiritum oppositum docentem: Prou. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*. Ideoque, Thren. 3. *Bonum est viro si portauerit iugum Domini ab adolescentia sua*. Et Psal. Psal. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos*. Quapropter parentes in adolescentiũ educatione vigilent: & ipsi adolescentes gratiæ remedia quærant, vt naturæ infirmitatẽ vincant, sicut Timotheus, 1. Tim. 4. de quo Paulus. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, cùm senex esset moribus. Sap. 4. Ad sacramenta frequenter accedant, & pia opera exerceant.

Efferebatur mortuus. Hic verò *adolescẽs* mortuus *efferebatur*. Mos fuit antiquis, extra vrbes sepulchra collocare. 1. Martyrũ reliquiæ primũ in Ecclesijs conditæ sunt, & in altaribus collocatæ. Deinde verò alij Confessores sancti in Ecclesijs humabantur, postea fideles omnes. 2. hoc verbo, *Efferebatur*, aliud innuitur malum, quod adolescentibus accidere solet, vt non Sap. 2. solùm peccatum admittant, sed & publicè peccare non vereantur, & ideò in publicũ efferuntur. de quibus Proph. Isaiæ 1. *Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*: Ier. 3. &, Prou. 2. *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*.

3. hoc

3. hoc verbo, *Efferebatur*, ostenditur abominatio peccatoris, quæ tanta est, vt ab omnibus proijciatur extra ciuitatem: nec vllus eum sustinere valeat in domo; nec ipsa mater. Quis enim cum mortuo habitare poterit? Quia sicut ille inficeret domum & ciuitatem; ita & hic omnibus scandalum est. Ideò peccans Adam extra paradisum pro ijcitur. Sic & Nabuchodonozor ab hominibus eiectus est, & cum feris commoratus, quarum mores imitatus fuerat. Meritò ab hominibus peccator separatur, ne eos inficiat. Simile. Typicum exemplũ. *Genes. 3. Dan. 4.*

Sed mirum hoc est, quòd tunc mortuus à Christo suscipitur, cùm ab omnibus eijcitur. A ciuitate mater proijciebat filium, & Christus eum excepit: vt verus inueniatur, qui dicit; *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Et iterũ: *Frater non redimit, redimet homo*: In die vltionis frater fratrẽ redimere aut iuuare non poterit: sed cùm omnis frater relinquit, est *primogenitus in multis fratribus*, qui te excipiat, iuuet, & redimat. *Christus eiectos recipit. Psal 26. Psal. 48. Rom. 8.*

Quomodo excitandus est hic mortuus? Primùm ait Lucas: *Tetigit loculũ.* Loculus dicitur loc⁹ emortui corporis. En qui locum grandem quærebat, & peramplam domũ, iam loculo contentus est. Sed loculum animæ Græci corpus dixerunt. Et sicut loculus operiri solet panno serico exteriùs, cùm intus sit corpus mortuum & fœdum: ita multi in pulchro corpore & ornato portant animas fœdas & emortuas. Et hi quidem adolescentes parùm proficiunt concionibus & admonitionibus, donec Dominus tangit loculum corporis graui aliquo morbo, & tunc resipiscere solent. Nec parua illis misericordia impenditur, cùm eorum animæ curantur, licet corpus affligatur: tunc enim detinetur, qui impetu currebat in infernum. Hinc Psal. *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Vt bestia tractatur à Deo peccator, qui similis bestijs factus est. Sic Manasses à Deo sanatus est, qui præceps in tartara ruebat. Sic Ionas, qui à Deo fugiebat. *Modus excitationis. Corpus animæ loculus.* Simile. *Loculi tactus mysticus. Psalm 31. Psalm. 48. & 72. Num. 22.* Exempla. *2. Par. 33 & vlt. Ion. 1.*

2. *Steterunt, qui eum portabant.* Principium remedij peccatoris est, stare paulisper, vt consideret viam suam, & illius exitum, & finem. Dic mihi, ó homo, quo viam agis? In cęlum, dices: in hoc enim natus & baptizatus sum. Sed num rectam viam tenes? *An non via tua, via inferni?* *Quando subsistendum. Pro. 1. 7 9.*

Quo

Sap 2.5. Quo enim te ducet libido? quo superbia? Certè ad inferos.
N. B. Ergo cùm à recta via declinaueris, siste, & dic: Quis terminus huius viæ meæ? an non præcipitium? Declinemus ergo ab hac via. Sic Dauid: *Consideraui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* (*Psal 118.*) Breuis voluptatis delectatio tristitiam parit sempiternam. Quis finem attendet peccati & illud committet? Ideo Moyses: *Vtinam saperent, intelligerent, ac nouissima prouiderent.* (*Exemplū. Apophtegma Euripedes. Deut.32.*) Fontium & fluuiorum aquæ dulces nunc sunt, sed earum finis est mare amarum, quo cùm peruenerint, amaritudinem induent. (*Simile.*) Dulcis ita nunc cibus optimus, lauta mensa, pretiosus amictus: sed *quorum finis interitus* (*Philip 3.*) Et, *extrema gaudij luctus occupat.* (*Prouer. 14.*) Omne malum peccatoris inde procedit, quòd finem non inspicit. (*Lucæ 6.*) Hinc plorat Ierem. (*Amos 8.*) *Sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis sui.* (*Thren.1.*) Tu ergo siste, & recordare finis, & inde initium resurrectionis tuæ erit.

3 Tandem C[illegible]ristus ait: *Adolescens, tibi dico, surge.* 1. Adolescens hic erat, nobilis, & diues, cùm turba multa ciuitatis eum [illegible]on[illegible]itaretur; & nihilominus mortem non euasit; & tu a[illegible] ais; cùm senuero, pœnitentiā agam: Quomod[illegible] senectutem peruenturum? 2. Diuina gloria hic [illegible]r, & hominis infima conditio. Vertit enim Deus in [illegible]erem iuuenes, principes, & reges. Circui nunc Princi[illegible] sepulchra, & ibi Dei potentiam videbis, qui in paruo [illegible]pulchro eum locat, quem totus mundus non capiebat. [illegible]c est Dei honos, *terribilis, qui aufert spiritū Principum,* [illegible]*is apud reges terræ.* Si ergo surgere à peccato vis, mo[illegible] cogita, quę adolescentibus, principibus, & regibus [illegible]a est. Viperæ exustæ cinis eiusdem morsibus medet[illegible] si te momordit caro tua, diuitiæ, mundi gloria; vis [illegible]entaneam medelam: hæc vniuersa in cinerem vert[illegible] consideratione tua, & salutem recuperabis. Israëlitæ, vitulos adorauerant aureos, quos Moyses vertit in cineres & illis tribuit bibendos; vt qui adorati illi fuerant in perditionem, in cinerem versi essent in medelam: Quid colis ô homo, in hoc mundo? Ille mulierculam, ille nummos, ille prædia &c. Verte hæc in cinerem, & non idola, sed Deum coles.

Vt Diogenes fecisse dicitur.
Hieron ep.1. ad Heliod.
Psal 75.
Simile.
Lact. lib. de ira Dei c.13.
Exod 32.
Typicum exemplum.

Mortui surgunt & non viui. Sed vocis Christi vim attende. *Resedit, qui erat mortuus,* quia *Dominus mortificat & viuificat; deducit ad inferos & reducit.* (*1 Reg. 2.*) Sed mirandum hoc valde, quia mortui *audiunt vocē*

Filij

Filij Dei, & statim surgunt: & viui non audiunt, nec surgunt. Quot ad te voces Dominus dedit, cuius *vox in virtute & in magnificētia: Adolescens* vel ętate vel moribus *surge, qui dormis, & exurge à mortuis*: nec tamen huc vsque audisti. Illud vero tibi pertimescēdum est, si non audis hîc Dei voces dulces, audies voces terribiles. Si hîc non audieris, *Venite ad me omnes*: audies vocem dicentis: *Ite, discedite à me maledicti in ignem æternum.* Ioan. 5. N. B. Psal. 28. Ephes. 5. Matth. 11. Matth. 25.

Et dedit illum matri suæ. Sicut Elias fecisse legitur, & Elisæus, qui filios suscitatos matribus dederunt. Potuit à se suscitatum alteri donare, vel sibi seruare, vt se sequeretur: noluit tamen, sed dedit matri, cui ea de causa prius dixerat: *Noli flere*, citò enim ei reddendus erat filius. Ex quo colligitur de malis temporalibus non nimium nobis dolendum: quia parua mala sunt, & citò nobis resarcienda, vel in hac vita, vel in futura; ideò Christus ait: *Noli flere.* Mala hæc temporalia philosophantibus nomina sunt tantùm, rebus carentia: VERA autem CALAMITAS EST PECCATVM. quod in beato Iob constat, cuius vulnera maioris pretij sunt, quàm omnes gemmæ; & plus splendoris emittit ex se corpus illius vulneratum, quàm sol: hic enim illuminat oculos corporis, illud oculos mentis. Vis nosse, pretiosiora illa vulnera esse, quàm gemmas? Mortuus est tibi filius; consolationem non suscipies, etiamsi gemmæ ostendantur. Si verò vulnera Iob tibi proponantur; si tibi dicatur: Tu vnum filium amisisti, Iob verò septem filios, & tres filias: tu filium, non substantiam, non salutem; ille verò, cùm omnia amiserit, gratias agit: tu ergò *noli flere.* His auditis consolationem suscipies. Ecce quomodo vulnera Iob pretiosiora sint margaritis. Nisi corpus illius plagis perforasset, radij animi non prodijssent, qui latebant: si in fimo non posuisset, ipsius non agnouisses diuitias. Nec enim tam splendens in solio Rex sedens, quàm insignis & illustris ille erat in fimo sedens. Etenim post regium solium mors; POST FIMVM GLORIA. Ne ergò defleamus mala, ex quibus tanta nobis bona parantur. Exempla. 3 Reg. 17. 4. Reg. 4. *De malis temporalibus nō est nimium dolendum.* Chrys. hom. 5 ad pop. Exemplū. N. B. *Vulnera Iob pretiosiora margaritis.* Apophtegma.

Concionem aliam integram de hoc Euangelio Domin. xv. vide Feria v. post Domin. iv. Quadragesimæ.

DOMINICA XVI. POST TRINITATEM.

THEMA: *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Luc. 14.

Scopus Euangelij. PROPONITVR nobis in Euangelio Christus medicus & magister; sanans ægrotum, & docens humilitatem; ostendensque in Dei domo & mundi humilem exaltari. In Dei domo manifestum illud est: nam Christus Dominus vsurpat sibi humile nomen, dicens se esse filium hominis; & humillimum locum, CRVCEM scilicet elegit. Et Pater supremum ei concedit nomen, dicens; *Hic est Filius meus dilectus*: Et supremum locum, *Constituens eum ad dexteram suam in cælestibus, super omnem potestatem, & dominationem.* Hac verò in re, sicut in reliquis, excelluit Maria, quæ in altissimam vocata dignitatem Matris Dei, se humilem ancillam nuncupat: eam oremus, vt nobis gratiam exoret. &c.

Matth. 3.17. Philip. 2. Ephes. 1.

Magna profectò Dei in homines dignatio, cùm *in terris visus & cum hominibus conuersatus est*: Sed maxima videbatur Pharisæis, quòd *Publicanos & peccatores reciperet, & manducaret cum illis.* At maiorem hodiè ostendit, dum inuitari se permittit à maximis peccatorib9, à principe Pharisæorum, à crudelissimis inimicis, qui obseruabāt eum: inuitabant eum, vt ei laqueos proponerent, quibus caperetur, ideoque hydropicum ei proponunt, vt in sabbatho eum sanet. Vnde Luc. *Cùm intraret Iesus in domum cuiusdā principis Pharisæorum sabbatho manducare panem; & ipsi obseruabant eum.* Consilium dederat Sap. *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudinem arioli & coniectoris æstimat, quod ignorat. comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum. Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos.* Nihilominus tamen adeò benignus & humanus Deus homo factus fuit, vt ab his se inuitari permitteret.

Baruch 3. Luc 5. & 15. Christi in homines dignatio. Prouer. 23.a.

Hospitij felix merces. Sed felix nihilominus domus, in qua Christus hospitio excipitur: non enim sine mercede erit. In nuptijs aquam vertit in vinum: domum Zachæi ingressus ait; *Hodiè salus domui huic facta est.* Domum Matthæi intrans, eum efficit Apostolum & Euangelistā. Hospes factus Marthæ & Mariæ fratrem illarum suscitat. Et olim exceptus ab Abrahā, ei

Ioan 2. Lucæ 19. Matth 9. Lucæ 10. Ioan 11. Gen. 17. et 19.

ei promisit filium: apud Loth hospitatus, eum seruat incolumem. Quia ait, *domum maiestatis meæ glorificabo*. Et nunc ab inimicis exceptus, hydropicum curat, & monita salutis dat, docens humilitatem. Felices quidem illi, qui eo tempore vixerunt & tantùm hospitem potuerunt dono excipere: sed *beati etiam, qui non viderunt & crediderunt*. Possunt enim duplici via Christum excipere. I. Excipe pauperem, & Christum excepisti: da ei cibum, & Christo dedisti. An non ipse hoc dixit: *Hospes eram, & collegistis me: esuriui, & dedistis mihi manducare?* Audi ergò Christi consilium: *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, & debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum*. Sic Thobias fecit, qui vocauit *pauperes timentes Deum*. Et Rahab domus, quia Iosue in exploratoribus suscepit, seruata est; sic & tua seruabitur, quę pauperes suscepit. II. Excipe Christū in Eucharistia, & ipsummet in propria persona suscepisti; nec domus tua vacua erit à mercede. Si enim Princeps, exceptus hospitio, non patitur hospitem mercede carere, quanto minus Deus noster, qui magnificus est super omnes. Hinc Ecclesia *Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinem sumpserimus*, OMNI BENEDICTIONE COELESTI, ET GRATIA REPLEAMVR.

Sed tantæ benignitati, qua gratitudine respondebant Pharisæi? *Et ipsi obseruabant eum* in conuiuio cū obseruant, vt calumnientur: qua ibi facilè homo peccat. In conuiuio Balthazar vasa templi violat. In conuiuijs plura peccata perpetrantur. Inuitatur Christus, & insidias ei parant, obseruādo si quid dicat vel faciat quod calumniari possent. Hoc ingenium est mundi, qui te laudant coram, à tergo obmurmurant. Sed & homines sunt in mundo, qui innumeras habent facies, vt decipiant; cornua tauri habent, & vngues leonis, vt lædant. Huiusmodi sunt hi, qui Christum iam inuitant.

Et ecce homo hydropicus erat ante illum. Omnia mala corporis effectus sunt peccati; & sic aliquid illius nobis innotescere faciunt. Hydropicus, siti perpetua vexatus, ostendit nobis peccatorum sitim inextinguibilem. Quid est, quod intra Pharisæi domū hydropicus curatur, nisi ꝙ per alterius ægritudinē corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Sed qua ratione peccatoris propriū est sitire?

Isaiæ 60.
Christus quo modo à nobis excipiendus.
Ioan. 20.
Aug. ser. 26. de ver. Dom.
Lucæ 10.
Matth. 25.
Lucæ 14.
Exempla.
Tob 2.
Ios. 2.6.
Psalm. 40. Beatus vir, qui intelligit super egen. et pauper. in die mala liberabit eum Dominus.
Chrys. hō. 51. in Matth. 14.
ho. 60 ad pop.
Simile.
In Canone SS Missæ.
Exemplū.
Dan 5.
Psalm. 36. Obseruabit peccator iustum
Mundi ingenium.
Mala corporis effectus peccati.
Greg. lib. 4. Mor. c 6 in Iob. 18.

Greg. lib. 14. Sitis est appetitus frigidi & humidi, refrigerantis internũ
*Moral. ca.*6. calorem cum afflictione maxima: sic animi desiderium
in Iob 18. maximum est, quo bonum appetit, quod adeò vehemens
*Arist. li.*2.*de* est, & nobis innatum; vt cùm necessarius sit in intellectu
*anim c.*10. habitus, quo prima principia cognoscat, in voluntate ne-
*lib.*3 *de part.* cessarius non sit, vt bonum appetat: quia ipsa voluntas nõ
*anim. c.*8. adeò appetens bonum est, quàm inclinatio & appetitus
*sect.*27. & boni. Iuuat etiam voluntatis inclinationem appetitus no-
28.*probl.* ster insatiabilis, de quo Sap. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicen-*
*Plutar. lib.*6. *tes, Affer, affer.* Hic nunquam dicit, *Sufficit*, vt ignis.
Sympos. Sed quomodo sitim hanc extinguere possumus? Id quod
*Prou.*30. sitim extinguere debet, fortius siti esse oportet: quod si in-
Sitis quomo- firmius sit, non modò non extinguet, sed augebit. Vt cùm
do extinguen- parùm aquę mittitur in fornacem, non extinguit ignem,
da. sed auget. Nunc ergò hoc interest inter iustum & pecca-
Simile. torem, quòd vterque sanè sitim sedare curat, sed iustus sa-
Sitis iusti pienter. Quærit enim Deum, qui fortior est appetitu & si-
Deus. ti, & ideò præualet in sitim. *Ecce Deus magnus vincens scien-*
*Iob.*36. *tiam nostram*; quin & voluntatem & eius sitim. Audi quo-
Ioan. 4. & 7. modo suorum sitim extinguat. *Si quis sitit, veniat ad me, &*
Isa 55 *et* 44. *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ad has aquas inuitat
*Psal.*35. Isa. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Vt verò ostendat Deus,
Cant. 1.5. quo pacto iusti satientur, dicit inebriari eos. *Inebriabuntur*
Zach. 9. *ab vbertate domus tuæ.* Et, *Bibentes inebriabuntur quasi à vino,*
*Psal.*16. *& replebuntur, vt phialæ.* Et licet plena satietas iusti serue-
tur in futuram gloriam; nunc tamen, Deum per gratiam
possidentes, satiantur, ea, quæ mundi sunt, non appeten-
Sitis impij, tes, & exultant spe cælestis aquæ. Insipiens verò peccator,
non sedatur. vt sitim extinguat, ea bibit, quæ sitim augent, non sedant:
quæ minora sunt volũtate & desiderio nostro; ideò illud
Lucæ 16. augent. Auersus enim à Deo ad creaturã conuertitur, quæ
gutta est, quam diues petijt, id est, consolationem creatu-
ræ: quia à creatore longè distare se vidit, & à plenitudine
fontis. Quòd verò omnis creatura minor sit siti volunta-
tis, patet, quoniam illa appetit omne bonum, quod in so-
lo Deo est. Hinc hydropisis peccatoris ortum habet. Cùm
enim creaturam ebibit, videns se non satiari, aliam quæ-
rit, putans se illa satiandum: & illa habita, sitis crescit; & si
Exempla. vniuersum mundum ei dederis sitiet amplius. Alexander
Plutarch. Magnus cùm audisset à Philosopho plures esse mundos,
plorauit, quòd vnũ solùm obtineret. Sic Nabuchodono-
zor,

zor, deuicto Arphaxad, cogitare cœpit, quomodo vniuersam terram suo subiugaret imperio. *Iudith. 1.*

Sed sigillatim peccatorum sitim expendamus. De auaro Sap. ait: *Auarus non implebitur pecunia.* Hinc optat vniuersa corradere. Ad quem Isa. *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Superbi sitis describitur optimè in Aman, dicente: *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quãdiu videro Mardochæum Iudæum sedentẽ ante fores regias;* quia eum non adorabat. Hominis verò carnalis sitis manifesta est: putat enim aliquid sibi restare semper, quo delectetur. Et tandem de his omnibus peccatoribus ait Isa. *Sicut somniat esuriens, & comedit; cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Quid sitis, ô miser homo? honores, diuitias, voluptates? Vel ea assequeris, vel non. Si nõ obtinueris, sities; vel si obtinueris, ampliùs sities, & arctaberis: sicut febricitans, qui aquam petit, si non datur ei, sitit; si datur, deteriùs se habet. O miseri peccatores, diuitias, quas deuorastis, euometis. Audite igitur Sap. *Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. quid adhuc retardatis? Animæ vestræ sitiunt vehementer. Comparate vobis sine argento sapientiam.* Domus sapientiæ, domus est, in qua Christus est: accede ad eum hydropice, vt saneris. ipse enim est salus tua.

Sitis auari. *Eccl. 5.* *Isaiæ 5.* *Superbi.* *Esth 5.* *Carnalis.* *Isaiæ 29.* *N. B.* Dilemma. Simile. *Eccl. 51.*

Sed quid hoc hydropico viso Christus ait? *Dixit ad legisperitos & Pharisæos: Si licet sabbatho curare?* Sic alibi Christus. *Licet Sabbathis benè facere, an malè? animam saluam facere, an perdere?* Festus dies Deo dicatus est. Vnde die Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum: nulla operatio illa die agatur, nisi *in hymnis, Psalmis, & canticis spiritualibus* Col. 3. Quantum ab hoc mundus distat? cùm hos dies diabolo consecrauerit: in eis enim ludi, comessationes, & luxuriæ exercentur. Tollit Dei festum, qui in eo non Deo sed diabolo vacat: & ideò Ier. *Deriserunt inimici sabbatha eius.* Quid nõ derideat dæmon festa nostra, in quibus videt non Deo sed sibi vacari? & ideò Deo quoq; execrabiles sunt, vt Isa. 1. c. ait. Peccatores ergò malefacere in festo putant licere, non verò benefacere. Deus verò ita nos diligit, vt in die ipsi dicato velit proximo inseruiamus, sa-

Marc. 3. *De cons. d. 3. c. ieiunia. & c. sabbatho verò. ex Iuo. l. 2. d. 1. c. omnes fid. ex can 10 Apostol. c. missas. ex conc. Agath can 47.* *Thren. 1.* *Psalm. 73.* *N. B.*

lutem

Innoc.1.ep.1. ad Decen. lutem eius curemus,& Sacrum etiam;si opus est,relinquamus,vt infirmo astemus. Festum diē Deo agis, cùm proximo benè facis. *D. Leo ep.81. c.1.ad Diosc:*

ser.3 de quad. ¶ Quid respondent? *At illi tacuerunt*. Non solùm hydropicum opere non curant infirmum, sed nec verbo eum iuuant,orantes Christum,vt eum sanet. Non sic Apostoli,qui interpellant pro Chananæa,d. *Dimitte eam, quia clamat post nos*. Et Maria:*Vinum non habent*. Quo docemur, *induere viscera misericordiæ*. Et,*Quomodo poteris*,vt ait Thobias senior ad filium, *ita esto misericors*. Si opere leuare poteris pauperis inopiam.leua;si non opere, vide,an verbo possis: si nec opere,nec verbis;corde miserere pauperis, & mercede non carebis. Pharisæi verò nec opere, nec verbo, nec corde misericordiam præstabant. *Marc 3. Matth.15. Ioan. 2. Col. 3. Tob 4. Misericordia miseris præstanda.*

Quos Dominus arguit. dicens: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet*:&c q d. Homini nonne est impendenda misericordia, quam brutis exhibetis? Quibus hodiè similes sunt, qui equis larga pabula præstant, & panes canibus, & tapetis pretiosis parietes induunt, & pauperes fame perire permittunt.O miseri,an non audistis: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*? Immisericors verò,quid Deo respondeat arguenti,non habet; *Et nō poterant ad hæc respondere illi*. Sic qui nuptiali veste caruit, *obmutuit*:vestis enim illa charitas est,quā induimus. Quid enim respondere poteris,ô homo, Deo dicenti:Petij ego à te panē,& negâsti mihi,vt dares cani?Petij à te nummos, & negâsti mihi,vt dares meretrici? Certè ad hæc non poterunt respōdere immisericordes.Ideò cū hæc proponentur in iudicio,tacebunt,& *omnis iniquitas oppilabit os suum*. *Chrys ser 4. de miser. hō. 21.& 32 ad pop. N.B. Matth. 15. Immisericors obmutescet. Matth.22. N. B. Psal 106.*

Eis verò tacentibus Christus humilitatis doctrinā proponit, quæ propria ac specialis est Christianæ religionis virtus. *Sede in nouissimo loco. Discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Et Paul obsecrat, vt *dignè ambulent cum omni humilitate*. Vis videre Deum recumbentem *in nouissimo loco*? inspice Christum nouissimum virorum. Respice Paulum primum peccatorum,& inter sanctos minimum. Et denique sancti omnes humilitate excelluerunt. Sic Abraham se dicit *puluerem*: Et Dauid se *canem mortuum & pulicem vnum*.Sed qua ratione vult Deus nos deijci, atque humiliari? Num vt gloriam nostram vsurpet? imò vt nobis gloriā suam tribuat:vt sit nobis capacitas, quam facit humili- *De humilitate. Greg. hom. 38.in Euang. Matth.11. Ephes.4. N. Isaiæ 53. 1.Tim.1. Ephes.5. Genes. 18. 1.Reg. 24. 4. Reg. 4.*

militas. Nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat grati am.* Superbus ait: *Diues sum, & nullius egeo*: contrà humilis pauperem se dicit, nihil se putat habere. Hos *esurientes repleuit bonis & diuites dimisit inanes.* Vnde Isa. *Super quem respiciam nisi super humilem & quietum?* &c. *Aug ser 206 de temp.* *Apocal 3.* *Lucæ 1.* *Isaiæ 66.*

Videtur quidem humilis locum amittere superiorem; sed non amittit: quia *qui se humiliat, exaltabitur.* Hoc in corde tuo tanquam fundamentum colloca: quicquid amiseris propter Deum, non amitti; quia Deus illud multiplicatum præstabit. Videbatur Moyses amisisse opes Aegypti, & Pharaonis fauorem; sed posteà audit: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: sic humilibus accidit: videntur gloriam amittere, sed recuperant. Qui totis adnituntur viribus, vt locum primum accipiant, eum non assequuntur: assequitur vero, qui infimo loco sedens gloriam videtur destruere: *fuga enim gloriæ est acquisitio eius.* Et sic qui primum locum vsurpare vult, cum rubore nouissimum tenebit. Superbus gloriam Dei sibi vsurpare conatur, humilis eam Deo tribuit; inde fit, vt gloriam Deus humili tribuat, à superbo verò auferat; quia ei resistit. Ex quo verò Deus homo factus recubuit in nouissimo loco, sic eum sua præsentia honorauit, vt nihil illo gloriosius sit. Si Rex Ecclesiam ingressus in nouissimo loco sederet, eò irent principes & nobiles viri: cùm Deus in mundum veniens nouissimum locum elegerit, illuc nobis eundum est, vt gloriosi simus. Sic Dauid ante Christi aduentum ait: *Ludam & vilior fiam, plus quàm factus sum: & erò humilis in oculis meis, & gloriosior apparebo.* Quanto potiori iure id à nobis dicendum, viso Christi exemplo? &c. *Humilis nihil amittit.* Exemplū. *Exod. 2. et 7.* *Hebr. 11.* *Actor. 7.* *N. B.* *Humilis locus in Christo gloriosus.* Simile. Exemplū. *2. Reg. 6.*

DOMINICA XVII. POST TRINITATEM.

THEMA: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. &c.* Matth. 22.

SI aliquando lingua ignea, à diuino Spiritu immissa, optanda foret, nunc maximè; quando nobis loquendum est de maximo amoris præcepto. De amore enim, & de re dilecta, nullus rectè loqui nouit, nisi amans. *Arduum est de dilectione loqui.*

Oremus ergò Dominum, vt mittat ad nos vnum de Seraphim, qui ignito calculo linguam purget, & incendat, vt cum Isa factum legimus. Illud verò nobis obtinebit Maria, quæ *mater est pulchræ dilectionis.* Eam ergò adeamus salutantes, Aue Maria.

Isaiæ 6.
Eccl. 24.

Theologia Christiana.
Dionys. libr. de myster. Theol. c. 1.
Maxima.
Parua.

Theologia nostra & maxima est, & parua; persimilis authori suo Christo IESV, qui vt Deus, maximus est; vt homo, paruus. Id hodierno Euangelio facilè comprobatur; in quo summa est totius Christianæ Philosophiæ. Innumera profectò sunt, quæ de virtutibus & perfectione scripta sunt: ecce maximam Theologiam nostram. Vis eam videre paruam? Audi Christum dicentem: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Et Paul. *Plenitudo legis est dilectio.* En maximam & paruam Theologiam nostram quo ad mores. Vis idem videre in his, quæ credenda sunt? Innumera sunt quæ Sancti de diuinis mysterijs tradiderunt: ecce Theologiam nostram maximam. Vis eandem breuem? audi Christum interrogantem; *Quid vobis videtur de Christo?* Summa totius fidei nostræ Christus est, & eius cognitio vita æterna nostra est. Explicauimus iam literam Euangelij: in quo ostendimus summam totius Christianæ religionis; dum nos docet, quid credere & facere debeamus.

Summa fidei Christianæ & morum.

Mandatum maximum.
1. Tim. 1.
1 Cor. 13.
Diuisio.

Agendum iam nobis est de maximo Dei mandato. Est verò & dicitur maximum; quia mandatum est legis naturalis, scriptæ, & Euangelicæ; & sic omnis legis mandatum est. Est finis reliquorum præceptorum: nam *finis præcepti charitas.* Est actus supremæ virtutis, charitatis scilicet. Sine charitate enim non solùm exteriora bona nihil sunt, sed nec cælestia dona, vt Paul. ait. Cùm ergò de re omnium maxima agendum nobis sit, attẽtos vos esse oportet. Tria autem nobis dicenda sunt de hoc amore. Primùm, quantum nostra intersit, voluntatem & amorem ab ea procedentem rectè impendere, & debito in loco collocare. Secundum, de duplici amore amicitiæ & concupiscentię, & qua ratione ambo hi amores Deo debeantur maximè; nec rectè impendantur, si Deo non dentur. Tertium, de modo huius dilectionis, quomodo debeat esse super omnia, *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.*

1. Pars.
Ad imperiũ

Cùm voluntas intendat bonum in communi, & reliquæ potentiæ suum particulare bonum; voluntas mouet

reliquas potentias per modum agentis:sicut Dux exercitus,qui victoriam respicit,mouet inferiores duces,quorũ quilibet locum suum tenet particularem: aut sicut Rex, qui intendit bonum commune totius regni, mouet per suum imperium præpositos ciuitatum, quorum quilibet vnam regit ciuitatem Multùm igitur interest, vtrum voluntas rectè an malè se habeat. Cum enim omnia moueat, & post se rapiat, si recta via procedit, omnia rectè se habebunt;si praua,omnia praua erunt.Sicut horologium mouetur pondere appenso, quod ducit post se vniuersas horologij rotas eam in partem, qua ipsum propendet; ita se habet amor in homine. Vnde August. *Amor meus pondus meum:illo feror,quocunque feror*. Id verò manifesta in nobis experientia comprobatur Si enim homo ex toto corde Deum diligat; cogitatio,locutio,& reliquæ hominis vires Deo inseruiunt, & eum intendunt:si vero mundum, diuitias, voluptates, honores diligat, circa ea eius cor occupatur,illa cogitat, illa loquitur, illa inquirit. Et quia bonitas vel malitia voluntatis est vniuersalis,omnia reliqua post se rapiens; ideo homo praua affectus voluntate absolutè & simpliciter nullo addito pronunciatur malus:recta autem voluntate affectus,bonus dicitur.Propter defectum vero intellectus,aut alterius potentiæ dicis: Ille malus vel bonus Doctor est,aut artifex;non malus aut bonus homo.Ratio est,quia,vt diximus; Voluntas vniuersum post se ducit hominem: vnde si illa bona est, vniuersum hominem bonum facit;si praua,prauum.Summa ergo cura homo attendere debet,cuinam rei voluntatem suam ac amorem tribuat,cui rei inhæreat:si enim rectè illũ præstet,vniuersa ei bona erunt;si prauè,omnia perdita putare debet:quia cui amorẽ dedit,vniuersa tribuit.

voluntatis aperiuntur omnes animæ & corporis sensus.

Similia.

Ansel. lib. de simil. c. 2.

D.Tho.1.p.q. 82. art. 4.

N. B.

Simile.

D. Aug. li 11. de ciu Dei, c.28.& li.13. confess. ca. 9.

Voluntas mala malum facit hominem, bona bonum.

Simile.

Iam secundum explicemus,quomodo recta volũtas nõ est, nisi Deum diligat præcipua dilectione; nec rectè impenditur dilectio, si Deo nõ tribuatur. Duplex dilectio à Philosophis traditur,duplex amor,amicitiæ & concupiscẽtiæ. Amor amicitiæ nobilis est,quo amicum diligimus & ei bonum volumus propter ipsum,vt illi benè sit.Sic amicos diligere solemus; sic pater filium diligit, & ei benè precatur. Amor verò concupiscentiæ ignobilior est,quo alicui rei bonum volumus, non propter ipsam rem, vt ei benè sit,sed propter nos,& inde nobis bona proueniãt.Sic volu-

II pars.

Voluntas bona quæ sit.

Amor amicitiæ nobilissimus.

Amor concupiscentiæ ignobilior.

Deus amore concupiscentiæ quomodo diligēdus & quare.

lumus bonam domum, lautam mensam, pretiosum amictum. Siue ergò Deum consideremus vt amicum, amore amicitiæ; siue vt bonum nostrum, amore concupiscētiæ, manifesta ratione ostēdemus, eū super omnia diligendū.

Exod. 33. Prouerb. 3. D. Tho. opusc. de amo. Dei. Isaiæ 40. Simile. Aug. in Psal. 102. & ser. 17. de verb. dom. Bonum tuū quære ô anima. Simile. N. B. Ansel. de monolog. c. 1. & seqq. Vide suprà in Do. Trin.

Ab infimo ergò amore exordientes, videamus, qua ratione amore concupiscentiæ à nobis Deus diligi debeat super omnia. Quidnam putas, ô homo, Deum tuum esse? Deus infinitum est bonum. Si ergò bonum tibi desideras, Deum tibi dilige, qui est omne bonum, & cui vniuersa bona *comparari non valent* quia cùm inter maius & minus cō-paratio sit; tantus Deus est noster, vt maior creaturis dici nō possit; quia creaturæ ei collatæ nihil sunt. Hinc Proph. *Omnes gentes sic sunt coram eo, quasi non sint, & quasi nihilū & inane reputatæ sunt ei.* Confer ergò, ô homo, quod concupiscis Deo: si marcā argenti, quia bona est, concupiscis, marcam auri, quæ melior est, plus concupisces: quod aūt est infinities infinite melius, quomodo non concupisces? Si omnia simul sumpta Deo non valent comparari, quomodo singula ei comparabuntur. Si ergò inter comparabilia bona illud est præeligendū, quod excedit; quomodo non erit prçeligendum ens nō enti, infinitum finito? Cur ergò per multa vagaris; humūcio, quçrens bona animæ & corporis? ama vnum bonum, quod est omne bonum; & satis est. Deus est omnis bonitas absoluta, est ipsa dulcedo, ipsa pulchritudo, ipsa delectatio; quomodo ergò hanc non quæres? Eum verò recte quærimus & inuenimus, si eum diligimus: quia per amorem possidetur Deus, nec alia via noster Deus est, nisi per dilectionem: cum enim amore cō-cupiscentiæ nobis bona quæramus, quærendus super omnia Deus est, qui est infinitum & vniuersale bonū. Sed ô summè Deus, qua arte te inueniemus? Nullum cōsilium, nulla vis, nulla industria est, quibus Deus capiatur: sola dilectione irretitur, soli diligenti se adest; si Deum diligis, eum possides: Sic ille ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Deus dilectione inuenitur.

Deus dilectione capitur. Ioan. 14.

Amore amicitiæ quomodo & quare diligendus Deus.

Iam videamus, quomodo Deus amore amicitiæ à nobis super omnia est diligendus. Huius rei ratio est: Deus infinitè bonus cùm sit, à nobis est diligendus amore amicitiæ, non ei bona desiderando, quæ non habet, cū omnia habeat; sed ei acclamantes, ꝙ vniuersa bona pos-

sideat;

fideat;ei congratulantes, quòd illa habeat; & eius gloriã & honorem in terra quærentes. Ad hunc etiam amorem pertinet desiderium implendæ diuinæ voluntatis, ei placendi in omnibus, conformitas (vt ita loquar) cum diuina voluntate, vt idem sit velle & nolle, prout lex postulat amicitiæ. Hæc omnia debentur infinitæ Dei bonitati & pulchritudini: adeò etiã vt infinitus ei amor debeatur; nec finitus ei satis est. Postquã verò beatus diligit Deũ toto corde, & totis viribus, & videt etiã à beatissima Virgine MARIA & vniuersa cęlesti curia summè diligi, nõ tamen plenè contentus est, cùm videat Deum nõ satis pro merito dilectum, nisi videret à seipso Deum diligi infinito amore: hoc beatum satiat, & plenè contentum reddit. Tantus demum Deus est, vt sit ipse solus, *qui est*, & nihil esse dicatur prçter Deum. *Ego sum*, inquit, *qui sum. Qui EST, misit me ad vos*. quod de se homo aut Angelus dicere non potest. Vt hoc mysterium penetres: Finge nullam aliam creaturam conditam præter te, & nihil aliud esse præter Deũ & te. tunc te rogo, quid optares, quid diligeres, prçter Deũ? quia nihil aliud esset, quod cogitares, desiderares, diligeres, nisi Deus inteti ergò esse deberet *oculi omniũ* creaturarũ in Deũ, ac si nihil esset præter eũ. Ideò *vir secundũ cor Dei* ait: *Quid mihi est in cælo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Si ergò tantus Deo debetur amor, quo pacto paruũ ei amorẽ negare poteris? Vniuersum, quem possumus, amorem Deo impendere debemus, adeò vt ardeamus igne amoris, sicut Seraphini: sed cùm minus diligamus, quàm diuina bonitas postulat, quã æquare amore nõ possumus, ideò cùm Seraphinis facies velemus nõ cõfusione (cũ vniuersum, quod possumus, præstemus) sed cogitatione diuinæ excellentiæ, quæ nostrum superat captum & amorem.

Cicero de amicitia.
Deo infinitus amor debetur.
Exod. 3.
N. B.
Modus conciliandi amoris erga Deum.
Psalm. 144.
Psalm. 72.
Isa. 6.
Chrys. hom. 8 in Gen. & hom. 2 de verb. Isa Vidi dominũ.

Sed jam tertium ex his, quæ initio proposuimus, videamus: quomodo scilicet Deus diligẽdus est. *ex toto corde, anima. et viribus.* quę verba significãt Deũ diligendũ esse super omnia. Nõ n, quęcũq; dilectio Deo satis est: ideò modus pręcepti ponitur in pręcepto, vt dilectio sit super omnia; vt impẽdatur tãta dilectio, quãta debetur vltimo fini, qui est super oĩa diligẽdus. Infirmus in corporis salute habes pro fine salutẽ nõ pręscribit medico terminũ salutis, quam

III. pars.
Deus quomodo ex toto corde diligendus.
Arist. 1. Polit cap 6.
Simile.

Deus finis noster vltimus. quam cupit firmissimam: sed medicamina, & potiones amaras, vt media, diligit in mensura. Deus noster finis est vltimus & infinitum bonum, quod consequi intendimus; reliqua omnia media sunt. Inde fit cõsequens, quòd *Bona huius mundi, quatenus diligenda.* bona huius mundi in mensura à nobis sunt diligenda, vt scilicet nobis conueniunt, nosq; iuuant, vt Deum assequamur: Deus verò sine vllo fine & limite est diligendus. " Propriu Dei est, vt sit centrum totius amoris; est enim " ille summum bonum; cui proinde debetur omnis amor: " vnde amor, qui ei non impeditur, vanus & perditus est. *Bern. lib. de dilig. Deum.* Simile. Sicut enim omnis res habet centrum suum, quò propendet; sic centrum amoris, Deus: quia ipse est principium *D. Thom. 2. 2. q. 27 art. 6 & opusc. de amor. Dei.* omniũ. Vnde ab omni creatura, etiam insensibili, Deus diligitur suo modo: sed per imperfectionem Deum attingere non possunt. In hoc autem superat homo omnia reliqua, vt ipsum Deum possit attingere. *Homo Deũ attingit.* Vnde omnis amor hominis, qui est eius pondus in *Deum* propendet; centrum ergò hominis *Deus* est. Hinc est, quòd omnis creatura naturaliter plus diligit Deum, quàm se. Ex quo colligitur hominis obligatio, vt Deum diligat, & quærat, dicens cùm Paulo. *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Hominis miseria in eo quod Deum non quærat. Hoc verò hominis miseriam manifestam facit, quòd cùm res ipsæ centra sua consistentia quærant, & in illa moueantur: *Deus* verò, hominis centrum, inter homines ambulans, amatorem quærit, nec inuenit. Vocat omnes, promittit multa, vt ametur, & vix inuenit amantem. Attende illum prouocantem, vt ames: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea*: sed sponsa anima excusationes quærit, & dilationes. *Cant. 5.* Sed ô diuinam manum potentissimam, quæ facit, vt anima, quę prius quærebatur à *Deo*, iam Deum quærat O domine, quis hic ludus tuus? quærebas tu animam, & illa nunc te quærit, & absconderis? *Deus quæsitus abscondit se.* Ne desperes, ô anima, quæ *Deum* diligis & quæris, licèt eum non videaris inuenire. Memor esto te à *Deo* multis diebus quæsitam, & te rebellem fuisse: desiderium tuum accenditur, vt magis in eo inuento delecteris, & dicas: *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eũm, nec dimittam.* *N. B.* Sed ô peccator, qui *Deum* nõ diligis, te vrgeo, vis tibi *Deum* dari? Vis massam argenti? dicis, Volo. *A simili. Argentum vult homo,* Sed vis Deum tibi? ais, Nolo: estne tibi sensus, cùm hoc dicis? Sed dicis: Vellem quidem

dem Deum, at magno pretio à me emendus est. Si illum habiturus sum, relinquenda est mihi aliena substantia, delitiæ, honores Dic obsecro, quo in pretio Deus dari potest quod non sit minimum, si cum eo conferatur. Sed te iterum rogo: Vis tibi Deum gratis dari? Audi dicentem: *Dabo ei bibere de fonte aquæ viuæ gratis.* Et, *Omnes sitientes venite ad aquas,* &c. *venite, emite absque argento* &c. Gratis tibi datur Deus, quia etiamsi multa relinquas, infinitum tamen excedit illud, quod relinquis, vt eum habeas, & tandem continget tibi vita æterna, vbi Dei plena possessio conceditur, vbi Deus plenè diligitur toto corde.&c.

Deum non vult.
N. B.
Apoc. 21.
Isa. 55.
Deus gratis datur.

IN EADEM DOMINICA: SIVE PARS ALTERA DE DILECTIONE PROXIMI.

THEMA: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22.

AGendum nobis nunc est, de amore nostro, cui iure impendendus sit: qua in re scopum attingere plurimi refert. Prima omnium passionum est amor, nec solùm prima, sed etiam causa reliquarum, & mensura. Vnde sequitur, ordinato amore reliqua omnia ordinata esse; eo deordinato reliqua nullo ordine consistere. Vt ergò omnia, quæ in nobis sunt, *in pondere, numero, & mensura sint,* necessarium est, amorem ordinari. Oportet enim hominem lege frænari, qua regatur, vt agnoscat se Deo subditum. Ideoq; in innocentiæ statu lex data est Adæ minima, & facilis: Vnum vetuit lignum, innumera concedens. Summa Legislatoris benignitas, & summa Adæ peruersitas, qui Legi adeò facili non obtemperauit. Sed nobis Adæ filijs quæ Lex proponitur? Audi benignissimum Legislatorem: *Diliges Deum, & proximum: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.* Facilis profectò Lex, & quam non possumus causari difficilem & durã esse Hinc Dominus. *Audi Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eũ ex toto corde tuo.* Et, *Quàm bonus Israel Deus his,*

Amor omnium paßionũ causa.
D. Thom. 1. 2 q. 25. art. 2.
Aug. lib. 14. *de ciu. Dei, c.* 6.
Sap. 11.
Genes. 2.
Vnum Adæ mandatum.
Facilis Lex nobis data.
Deut. 6 & 10.
Psal. 72.

1 Ioan. 5. *his, qui recto sunt corde.* Verè *mandata eius grauia non sunt; sed*
Mich. 6. *iugum suaue & onus leue.* Non pręcipit iugulare filios, vt o-
Matth. 11. lim crudelissimi dæmones suis cultoribus pręcipiebant;
Psal. 105. non carnes cultris incidere, vt Baal. sed hoc tantū, AMA,
3. Reg. 18. ET REGNA. An non dulcissimus diceretur Dominus,
Simile. qui seruis congregatis diceret; Hoc tantùm præcipio vo-
bis; Diligite me, & vos ipsos inuicem? Vere *dulcis et rectus*
Psal. 24. *dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via* Et, *præ-*
Psal. 18. *cepta eius desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum mul-*
tum; et dulciora super mel & fauum. Quid enim dulciùs amo-
re? quid eo facilius ac suauius, qui & naturæ conformis
est? Quidnam est homo nisi Dei imago, quomodo ergo
Deum non diliget?

Bonitas diuina in præcepto. August. Apostrophe ad Deum. Deinde in hoc pręcepto diuina bonitas splendet, & im-
mensus amor in nos O pie domine, quid tibi ego sum vt
amari iubeas te à me? & minaris mihi ingentes miserias si
irasceris, si non faciam; multa promittis, si faciam. O
rex altissime, qui à cælesti curia vniuersa immense dili-
geris, quid opus est tibi amore nostro? viles vermes su-
mus, & tamen omni adhibita diligentia amari à nobis
curas, & ingentia nobis bona promittis pro dilectione
parua. Summa hæc Dei nostri bonitas. Das nobis, domi-
N. B. ne, amorem tui, & hoc maximum donum est: & iterum
Ioan. 1. donas gloriam pro amore, dans *gratiam pro gratia* Maxi-
Simile. ma seruo gratia cōceditur, si regis amicitia dignus efficia-
Simile. tur; at verò quod Rex eam magno dato pretio emat; inau-
ditum Deus verò noster ita nobiscum agit Quis famelico
dat cibum, & simul premium promittit, si comedat?

Simul etiam suauitatem maximam Deus nobis osten-
Suauitas Dei in præcepti facilitate. dit, illud præcipiens, quod omnes præstare possent. Si ie-
iunia enim præciperet eo modo, quo dilectionem, infir-
mi; si eleëmosynam, pauperes excluderentur à regno.
cùm verò dilectionem præcepit, rem omnibus peruiam
ac facilem mandauit; amorem enim nullus non præsta-
re potest.

Ex quo etiam patet, quàm iustus fuerit Deus, & æqua-
Iustitia Dei lis rerum distributor, qui licèt in temporalibus nos fece-
in præcepto. rit inæquales, tamen in veris bonis, quæ spiritualia sunt,
N. B. æqualem dedit facultatem, vt quisque diues sit, quan-
tum voluerit: dilectionis enim thesauros quisque ha-
bere potest, si gratiæ Dei non desit. Sed quoniam duplex

est amor concupiscentiæ & amicitiæ; concupiscentiæ vna est rei præsentis, & hæc causat delectationem; altera est rei absentis, & hæc causat desiderium, & mouet, vt res dilecta quæratur. In patria præsens est beatis Deus; ideò summa perfruuntur delectatione: nunc veró in hac vita absens est Deus: & ideò charitas efficit desiderium Dei, & multa bona opera, quibus Deum quærimus. Sed obijcis: ergò nunc iusto nulla est consolatio & delectatio, cùm delectus Deus absens sit? Est sanè maxima: non est enim omninò absens, sed aliquo modo præsens per gratiam: vnde etiam nunc delectationem efficit; sed non plenam; quia nō plenè possidetur. Sicut Rex puer delectatur in regno, quod adepturus est; nondum tamen plenè delectatur, donec gubernationē suscipiat: ita iusti in deo delectantur, licèt non plenè; donec eum videant facie ad faciem. Hinc colligitur nobilitas & amplitudo iusti, vilitas & miseranda conditio peccatoris. Iustus perficitur Deum diligens, & efficitur quasi alter Deus: peccator verò, temporalia diligens, terrens fit, infimus.

Vide in cœc. præced. D. Thom. opusc. de amor. Dei — *Delectatio amantis Deo absente.* — Simile. — *Aug. in Psal. 98. vers. domin in Sion. Serm. 24. de temp.* — *Nobilitas iusti.* — *Aug. lib. 9. de ciuit. d. c. 16. & lib. 12 c. 18. 19.*

Deinde si Deum diligis amore hoc concupiscentiæ, eris dominus tui, & teipsum tibi dabit Deus. Attende Dei ingenium, cùm magna donare vult, magna postulat. Magnum à te petit & multum, cùm ait: Dilige me *ex toto corde*. Sed audi quanta tibi donat. Primùm & maximum omnium donat se tibi: secundum donat te tibi ipsi. Si Deum non diligis, tuus non es; imò tibi maximè aduersarius: seruus es dæmonis. Et sicut seruus suus non est, sed domini; ita tu tuus non es: sed *seruies inimico tuo in fame, & siti, & nuditate*. Vis in libertatem asseri? Dilige Deum, & captiuitatem diuini amoris elige, vt liber sis. Secundò ea, quæ mundo sunt, tua erunt, Deo tibi ea donante; quia cor illi tradidisti. Tua erit paupertas, ex qua fructum colliges: tua infirmitas, qua animæ medeberis: tuæ diuitiæ quibus vt dominus vteris. Tuum cælum, & tua terra; tua vita & mors. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi*. Sicut enim tua dicitur domus, qua protegeris; tuus ager, quia ex eo fructus colligis: sic diligentis Deum omnia, quę in mūdo sunt, sua esse dicuntūr. Contra verò is, qui Deum non diligit, nihil habet: nam sine charitate vniuersa nihil pro sunt.

Dominium iusti. — 1. — *Deus se donat, et tibi.* — *N. B.* — *Deut 28.* — *Thr. 5. Serui dominati sūt nostri. Isa. 26 Possederunt nos domini absq; te.* — 2. — *Aug. ep 54. u Cyril. Hieros. caten 5. & 19. & in Psalm. 143. Rom 8.*

Primus verò amoris amicitiæ effectus est vnio: Amor

Simile. — *1. Cor. 15.*

D.Thom.1.2. q.25.a.2. Dion.c.4 de diuin.nom. Aug. lib 8. de Trin c.10 Vnio duplex est. Amor vnit voluntatem iusti volũtati diuinæ. Iustorum in amore gradus.

Amor enim est vis vnitiua, est quasi iunctura quædam, duo aliqua copulans, amantem & quòd amatur. Duplex autem est vnio; vna realis rei ad rem; & hãc causat amor, efficiens, vt amans quærat amantem, & ei iungatur: altera vnio secundum appetitum; & hanc causat amor concupiscentiæ, apprehendens rem vt suam, & sibi conuenientem: amor verò amicitiæ eam causat, in quantum alteri vult bonum, sicut sibi Cùm ergo amor vniat voluntatem iusti voluntati Dei, vt idem velit, quod Deus; attẽdendum nobis est, quibus quasi gressibus diuina voluntas procedat: eisdem enim beatus in cælo, vbi charitas perfecta est, eispem pro modulo suo iustus procedit in via. vult Deus sibiipsi omne bonum, quod habet: cumque illud obtineat, infinitè in seipso delectatur. Hoc Deus necessariò & naturaliter vult 2. liberè vult creaturis bona propter gloriam suam, vt in eis bonitas eius appare-
1. at. Ad eundem modum charitas perfecta beatorum efficit, 1. vt velint Deo omnibus suis viribus infinitam glo-
2. riam & hoc est beati præcipuum gaudium: nec enim ade lætatur beatus de propria ac de Dei gloria. 2. beati diligunt maximè proximum, & bona ei maxima desiderant, quia in illis Deus glorificatur: quia Dei voluntati
3. maximè conformes sunt, & vident varietate ac diuersitate beatorum maximè Deum glorificari. 3. Optant beati nobis maximè dona cælestia, & vniuersa bona; vt Dei etiam gloria ac bonitas in nobis splendeat; & ideò pro nobis ardenter orant.

Habitaculũ deo efformãdum in nobis sicut iusti in cælo.

Ad huius cælestis Hierusalem similitudinem in corde nostro efformãdum est habitaculum Deo Et qui charitate dei perfici vult, oportet omnem cupiditatem & proprium lucrum à corde expellat, & Dei sui præsentiam iugiter in corde teneat, velitq. Deo infinita bona, & immensam gloriam: complaceatq; sibi in bonis Dei, gau-
1. dens quòd Deus omni sit ornatus perfectione. Hoc opus
Psalm. 32. est perfectæ charitatis. huc nos inuitat sæpe Scriptura:
Phil 4. *Exultate iusti in Domino*. Et Paul. *Gaudete in domino semper*.
Psal 36. Et Psal. *Delectare in domino*. Hoc charitatis gaudium mul-
Charitatis gaudium. ta bona efficit in nobis. 1. multorum bonorum operum causa est: sine gaudio enim languet anima in operibus
1. suis. Hinc Esdr *Gaudium domini est fortitudo nostra:* quia vi-
8. res præbet, vt benè operemur. 2. efficit, vt terrenum & vi-
2.

le gaudium despiciamus. Sine gaudio enim esse non pos-
sumus: qui cæleste non habet, terrenum quærit, qui verò 3.
cæleste non habet, terrenum facilè spernit. 3. licet iusti
multis tribulationibus opprimantur, hoc gaudium om-
nem lachrymam abstergit, consolatur & reficit iustos. *Psal.76.*
Vis consolari? Audi Psalm. *Memor fui Dei, & delecta-
tus sum.* Recordare bonorum Dei tui, & hoc magis te oble-
ctabit, si eum diligis, quàm contristabit quęcunque tribu- *Phil. 4.*
latio. *Gaude igitur in domino semper,* id est, labora vt gaudeas,
considera bona Dei tui, & gaudebis: sicut si vis dolere de
peccatis, labora, vt doleas; affige carnem, considera mali-
tiam peccati.

4. Ex hoc amore amicitiæ prouenit, vt curemus om- 4.
nia nostra opera in gloriam Dei facere: quoniam Deus di *1.Cor.10.*
gnus est, vt ab omni creatura glorificetur. 5. Ex hoc etiam *Col. 3.*
procedit proximi dilectio, qua ei bona spiritalia volu- 5.
mus, & curamus; & temporalia, vt decet: quia in his Deus 6.
glorificatur. 6. Ex eodem gaudium innascitur de bonis 7.
proximi, & dolor de peccatis; quia Dei offensa sunt. 7.
Hinc oritur cura vitandi & tollendi peccata, zelus, quo 8.
mouetur iustus in peccatores; & demùm vniuersa bona,
& virtutum actus ab hac charitate procedunt imperante.
ipsa est enim *omnium virtutum Regina & forma* &c.

IN EADEM DOMINICA.

THEMA: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22.

DVPLEX hodierno in Euangelio quæstio pro- *Quæstio du-*
ponitur: prior Christo, & à doctore illum tentare *plex proposi-*
volente: & Christus interrogatus respondet non *ta.*
solùm de quæsito maximo & primo mandato; sed etiam
de non quæsito secundo mandato dicens; *Secundum man-
datum simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Al-
tera quæstio proponitur a Christo Pharisæis: *Quid vobis
videtur de Christo? cuius filius est?* & diminutè respondent,
quia solùm eum dicũt filium Dauid, cùm sit etiam filius
Dei. Vt vtrunque videamus, necessaria nobis gratia est,
quam petamus intercedente Maria.

Deus vult

Mirabilis & ſtupenda dignatio, quæ hoc mandato exprimitur, vt velit Deus amicus eſſe hominis; & qui nos dilexit, velit à nobis diligi; vt amicitia perfecta conſiſtat.

Amicus eſſe hominis.

Rom. 15.

Obſtupeſce anima mea dignationem Dei erga te; immediatè Deo ſubderis, & cui debueras ſeruus eſſe; iubet, vt amicus ſis, hoc eſt, *diliges dominum Deum tuum*, quoniam *ipſe prior dilexit nos*, ſtatue cum eo amicitiam. Vt autem amicitia ſtabiliatur, neceſſarius eſt amor vtriuſq; amici. Dei erga nos amor æternus & infinitus eſt. Vt noſter non deſit amor, primum & maximum legis mandatum proponitur: *Diliges Dominum Deum tuum*. Tot ſunt motiua diuini amoris, vt confundi nos oporteat, quod neceſſariū ſit precipi hanc dilectionē. Si bonitas & pulchritudo diligitur, quomodo non infinita? ſi beneficia amare cōpellūt, quomodo nō diligēdus Deus, perpetuus benefactor?

Amicitiæ ſtatuendæ vtriuſq; amor eſt neceſſarius.

N. B.

Sed ſi indiges adminiculis, vt hunc in te amorem excites, tripliciter poteſt Dei amor in anima generari, quaſi naturaliter, voluntariè, & mirabiliter ſiue ſupernaturaliter: & ſic anima conſideratur, vel vt natura eſt, vel vt deliberatiua, vel vt illuſtrata gratiæ muneribus. 1. Quaſi naturaliter generatur in nobis per beneficia nobis à Deo conceſſa. Naturaliter autem generari intelligendum non eſt, charitatis donum eſſe à natura; à gratia enim procedit; ſed vt adiuuante Dei gratiâ naturalis inclinatio adiuuet, vt diligamus. Et ad modum naturæ procedere videtur hic amor ab anima. Sicut cùm ignis agit in lignum, calore expellens frigiditatem; & cùm actio durat, tandem ex ligno fit ignis: ita Deus diligens peccatorem ardenter, tanquam *ignis conſumens*, illum tangit beneficijs, & diſponit ad amicitiam; & perſeuerans in benefaciendo, tandem cor humanum ſuperat, ac ignit, *vt ardeat*. Diliges ergò eum quia ille vehementer diligit te. Vis eius amorem agnoſcere? Si omnia naturalia inſpiciamus, animam, corpus, & omnes eius vires; terram, aquam, aërem, ignem, ſolem, lunam, ſtellas, quorum beneficio viuis; hæc omnia naturæ beneficia, quibus frueris, Dei munera ſunt, Dei dona ſunt. Horū pretiū eſt inæſtimabile, vt eo inſpecto illū diligas. Deinde cor ſuum tibi miſit, cùm filiū *ſuum vnigenitum daret*, fidelem amoris teſtem, & donum infinitum. Epiſtolam quoq; diuinæ ſcripturæ ad te dedit, qua petit, vt eum diligas, promittens ti-

Amoris excitandi adminicula.

1. *Naturaliter amor in nobis quomodo generetur.*

Simile.

Deut. 4.

Luc. 12.

Amoris diuini erga nos beneficia.

1.

2.

Ioan. 3.

3.

bi cæleſte regnum ſi eum dilexeris. Nunc, ô homo, te vrgeo, his acceptis beneficijs, Deum non diliges? Vidiſtine lignum omni ex parte igne circundatum per triginta annos, & tamen non ardere? Stupendum certè prodigium, cor humanum, in quod tam potens ignis tanto tempore agit, nec tamen igne amoris abſumitur? Attende prætereà, ferociſſima bruta manſueſcere in benefactores, ſolus homo ad beneficia ingratus cernitur? Idec Iſa. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit*. Et Iob. *Interroga iumenta, & docebunt te*. Pudeat te à iumentis ſuperari gratitudine, cùm ea ſuperes intellectu. Quaſi naturaliter & neceſſariò diligis diligentem te, cur non Deum? Tanta res amor eſt, vt alio quàm amore compenſari non poſſit. Teſtis cælum & terra: teſtis crux, claui, flagella, enundans ſanguis, & mors Dei amore tui. Et hæc ei parùm videntur præ amoris magnitudine: imò ſaturatus opprobrijs nihilominus præ amore nondum completo clamat: *Sitio*. Ad tanti amoris conſpectum etiam lapides franguntur nec cor tuum emollitur, quod totum debes creatori, gubernatori, redemptori, & glorificatori, quin & iudici tuo? Emollire, emollire cor humanum: ſi enim hoc amoris igne non ardes, ignis inferni ſeruatus tibi eſt, quo ardeas in æternum.

Simile. *Senec. lib. 1. de benef. Gell. l. 5 noct. Att. c. 14. Iſaiæ. 1. Iob. 22. Plin. l. 8 nat. hiſt. c. 16. 17. 40. 42. & li. 10 cap. 74. Pallad hiſt. Cauſiac. cap. 20. 53. Amb. lib. 6. hexam. ca. 4. Matth. 27.* N. B.

II. Secundo modo generatur in nobis diuinus amor per deliberationem, qua præeminens præeligitur & præamatur. Vnde nullus dubitat, vtrum beatitudo, an diuitiæ ſint præeligendæ; propter nimiam præeminentiam beatitudinis ad diuitias. Sic ergò anima deliberans, vtrum Deum diligere debeat, an creaturam, videbit in Deo manifeſtam excellentiam (ſicut in maſſa auri & ferri) & Deum eliget, quò dicatur tibi: *Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus*. Si de amico eligendo deliberas omnia, quæ ad amicum pertinent, in Deo excellentiſſima ſunt. 1. naturæ conformitas ſolet amicitiam conciliare. nihil verò tibi ſimilius Deo; tu enim ad imaginem eius formatus es. Et vt omni ex parte tibi ſimilior redderetur, factus eſt homo; vt omninò ſimilem plus diligas, tum propter cauſam, tum propter ſtatum. Propter cauſam, quia ſi diligis hominem, qui tecum factus eſt homo, magis debes diligere eum, qui propter te factus eſt homo; propter ſtatum verò, quia ſicut

Amor Dei generatur per deliberationem. Comparatio. Simile. 1. Similitudo naturæ.

sicut Magnatē diligere præeligis, sic hic homo Deus, cū maximus sit homo, præcipuè est diligendus. 2. Vtilitas, quam ab amico sperare potes, iuuat maximè, vt cum eo amicitias iungans. Hinc Sap. *Multi colunt personam potentis, & amici sunt bona tribuentis*. Te rogo: A quo recepisti, vel recipere speras dona, sicut à Deo; *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non omnia cum illo nobis donauit*? Deinde, quæ tibi donat amicus, dat mutuo, redditionem exspectans: Deus verò solus donat irreddibiliter; quia *bonorum nostrorum non indiget*. Deus enim fons omnis boni est. Ad hanc vtilitatem, quam in amico quærimus, pertinet, vt amicus participet mala amici, & ea ab amico tollere curet: quà in re multi deficiunt amicorum. Sed hic maximè apparet diuinus amor, qui in natura sua non valens communicare nostris malis, nostram assumpsit, vt omnia mala tolleret, infamiam, inopiam, ægritudinem, inimicitias, mortem, & nos consolaretur.

2. Vtilitas. Prou. 19. Rom. 8. Iac. 1. Psal. 15. Comparatio.

Tertiò mirabiliter & supernaturaliter generatur in nobis diuinus amor per gratiam. Hinc Paul. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritū sanctum, qui datus est nobis*. Deus enim dat gratiam, & virtutes ab ea procedentes, inter quas præcipua est charitas: quæ non dabitur homini nisi Dei gratia & dono. Ab illo ergò petenda est.

Isa 53. 2. Cor. 8. III. *Supernaturaliter diligendus.* Rom. 8.

Demum in hac diuina dilectione attendendū est, exigi eam à nobis *ex toto corde, anima, & viribus*, vt innuat, nihil in anima & corpore esse debere, quo Deo nō obsequaris: intellectu illū crede, memoriā illius recordare, voluntate dilige, sensibus cūctis inserui, & peccatū in illum nullo modo admittas.

Sed attende duplicem esse Dei dilectionem. Prima dilectio omninò necessaria ad salutem est, qua fortiter inhæreas Deo, obediens mandatis eius, & statuens peccatū graue non admittere, etiāsi vita tibi profūdenda sit. Hinc Dauid: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*. Est verò alia perfectior, quæ præcipuè *ex toto corde* dici potest, & perfectorum est, qui in omnibus curāt diuinam implere voluntatem, Deo per omnia placentes, quorum cibus est facere voluntatem Dei, & in nulla alia re delectantur, nisi in Deo suo. Minus enim Deo amat, qui cum eo aliquid amat, quod non propter Deum amat. Hinc Esther: *Tu scis* quod

Dilectio ad salutem necessaria. Psal. 118. *Dilectio perfecta.* Esth. 14.

quod non sit læ'ata ancilla tua, nisi in te Domine. Hic Dei amor perfectus licet creaturas videat, sed non in eis sistit: non impedit eum res aliqua mundi; quia omnia in Deum conuertit, & in Dei gloriam Satis hęc sint de Dei dilectione. *Aug.*

Addit Christus: *Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicu teipsum.* Dicitur primo simile multis de causis. 1. quia eiusdem speciei actus ab eadem virtute elicitur 2. simile in obligatione: quia sicut primum non consulitur, sed præcipitur, ita & secundum. 3 in authoritate; quia diuinum & non humanum est. Hinc Ioan. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 4 quia sicut primùm mandatum est morale, ita & secundum: & ideò per Christum extenditur, diciturque *nouum mandatum*: quia noua interpretatione & extensione datum per Christum, *qui legem moralem non venit soluere, sed ad implere.* 5. quia ęternũ est vt & primum: temporalia, vt de custodiendo Sabbatho, & fidei ac spei mandata pro hac vita constituta sunt, & in futura cessant: *charitas autem non excidit* Omnibus ergo nominibus hoc mandatum dicitur maximum, & simile primo.

Dilectio proximi similis dilectioni diuinæ. 1. 2. 3. 4. *Ioan. 14 et 15* *Matth. 5.* 5. *1 Cor. 13.*

Illud verò valdè considerandum est in hoc mandato, adeo Deum diligere hominem, vt nihil habere velit Deus, quod homini non concedat, & particeps nos esse vult omnium eorum, quæ ipse possidet. Gratum Deo maximè est cor hominis, vnde ait: *Præbe fili mi cor tuum mihi:* & nihilominus huius cordis partem homini concedere vult Deus, dicens: *Dilige proximum tuum*, Corpus in Sacramẽto nobis reliquit: cor in dilectione: imò & maximã partem cordis dedit, cùm ait; *Diliges proximum sicut teipsũ.* Amor enim, quo nos diligimus, maximus est, Regula, diligẽdi proximum sit dilectio tui. Interrogas: Quomodo me & proximũ diligam? Diligere est velle bonũ alicui; diligere te, est velle tibi bonum; diligere proximum, est velle proximo bonum. Est autem bonum, quod est simpliciter bonum, quod est Deus: & velle tibi aut alteri hoc bonum, est simpliciter & absolutè diligere. Similiter cũ vis virtutem & gratiam quibus Deus possidetur, simpliciter diceris diligere; quia bonum vis, quod est simpliciter bonum. Alia sunt bona, non simpliciter, sed secun-

D. Thom. de amor. Dei & prox. *Pro. 23.* *Proximus quomodo diligendus.* *Aug lib. 8. de Trinit. c. 8*

Comparatio. dùm quid Vt,bonum est aurum,sed nō simpliciter:quia bonum est benè vtenti eo,non omnibus. Sicut Aethiops
Simile. est niger simpliciter, albus secundùm dentes: ita iustus
D.Thom. vbi suprà. diligit se simpliciter; & odit se secundùm quid; quia *odit animam suam in hoc mundo, & in vitam æternam custodit*
Ioan. 12. *eam*. Peccator verò odit se simpliciter, quia *qui diligit in-*
Psalm. 10. *iquitatem odit animam suam:* & amat se secundùm quid;quia
Thob. 12. diligit vilissima quædam; quæ bona non sunt. Etsi e-
Boëthius. nim dilectio homini sit naturalis erga se, vt sibi bonum
Aug.lib.14. velit,accedit tamen amor noxius,qui fundamentū est Ba-
de ciuit.Dei bylonicæ ciuitatis,vt ad se trahat amorē naturalē,& effi-
c.28. lib.11. cit homines seipsos amantes,& nō Deum,aut proximū.
c.1.lib. 15.c. Maximè nobis cauendum,ne amor noster naturalis vin-
1.In Psal.64 catur ab hoc amore noxio. Aliquando verò iste amor na-
Amor inordinatus et ordinatus. turalis vincitur à gratia & charitate; & tunc omnia ordinatè diliguntur.Tunc enim diligitur Deus propter se, & seipsum diligit homo propter Deū, & vult sibi vera bona,quę spiritualia sunt; & omnia tēporalia in hunc finē
Cant. 1. diligit;& proximum diligit propter Deum,optans ei bona spiritualia,& temporalia secundùm quid.Hic est charitatis ordo, de quo Sponsa. *Ordinauit in me charitatem.*

Quid videt charitas in proximo,vt eum diligat, sicut
Charitas quid in proximo respiciat. seipsum,qui eam habet?Cùm charitas nihil diligat, nisi Deum,aut propter Deū,respicit in proximo ea, quæ Dei sunt.1. videt eum Dei facturam esse, quam Deus diligit,
Sap. 11. *qui diligit omnia,quæ sunt.* 2.videt in proximo, quòd Deus in ipso sit intimè per essentiam,præsentiam, & potenti-
1. am, intimiùs quàm anima in corpore. 3. in proximo at-
2. tendit diuinam gratiam,quam habet, vel habere potest,
3. quæ efficit proximum Dei filium:diligitur verò filius ab
N.B. eo,qui diligit patrem. Etsi proximus gratia careat, nihilominus eum diligit charitas,quia eam habere potest. 4.
4. Charitas videt voluntatem amantissimi Dei,volentis diligi proximum;cuius nutus charitati sufficit.

Quæstio à Christo conuenienter proposita. Sed iam quæstionem Christi videamus,qua obmutescere fecit inimicos. *Quid vobis videtur de Christo?cuius filius est?* Conuenienter Christus edoctis his,quę ad mores pertinent,quæstionem mouet de his, quæ credenda sunt. Erat verò error Iudæorum, & nunc est, Messiam futu-

rum

tum purum hominem. Quem errorem vt confutet Christus, interrogat, cuius filius sit Messias. Illi dicunt solùm Dauidis esse: quos manifesta ratione conuincit; cùm Dauid eum vocet *Dominum suum*. sic enim non conuenienter eum appellaret, si aliquid non haberet, quo excederet Dauidem. ostendit ergò se Deum esse. *Psal. 109.*

At Pharisęi *obmutuerunt: & illa die non sunt ausi eum amplius interrogare* Sed qua quæstione obmutescũt? Hac planè: *Quid vobis videtur de Christo?* Vis tu omnes hostes tuos obmutescere? vis, vt ad te accedere non audeant? Cùm te illi tentauerint, tu interroga: *Quid vobis videtur de Christo?* Accedit ad te dæmon tentans, & suadens superba sapere. &c. Dic illi: *quid tibi videtur de Christo?* docuitnè ille verbo & exemplo superbiam? Si offert diuitias, delicias, &c. Dic ei: *Quid tibi videtur de Christo?* annon ille pauperem & asperam vitam duxit? Obmutescēt planè inimici tui, nec habebunt, quid amplius loquantur. Christi nanque consideratio omnem pellit virtutem inimici. Ipse aliquando dixit: *Tace obmutesce*: idem nunc dicet; si eius exemplis inspectis eius auxilio vti volueris. &c. *Hostes nostri quomodo obmutescant.* *N. B.* *Marc. 2.* *Luc. 4.*

DOMINICA DECIMA-OCTAVA POST TRINITATEM.

THEMA: *Et ecce offerebant ei paraclyticum &c.* Math. 9.

HODIERNO Euangelio proponitur paralyticus in lecto iacens. Paralysis passio naturalis est, sanguinis meatus præcludēs: & sic quā partē attigerit corporis, inutilem reddit operi. Et cùm omnia mala corporis à malo animę, id est, peccato, proficiscātur, significat animę paralysin, quā lethali peccato incurrit homo, quo impeditur tum à multis bonis operibus, tū etiam ab omni opere, quod dignum sit gratia, & gloria. Opera sine charitate facta vacua esse ab omni merito gratiæ & *Propositio à mystico sensu.* *Opera sine charitate nulla. 1. Cor. 13.*

 gloriæ,

1\. gloriæ fides est certissima. Beatitudo namq; solùm repromissa est operibus in charitate factis. Et ratio est. 1. quia cũ operatio procedat à natura, qualis vnusquisque est, talia præstat opera. Gratia Dei homini dat esse supernaturale ac gratuitum, qua cùm careat peccator, præstare non potest opera grata Deo, atque adeò digna æterna mercede. Hinc Christus. *Sicut palmes non potest facere fructum à seipso, nisi manserit in vite; ita & vos, nisi in me manseritis.* 2. quia à natura nobis insitum est; vt amici opera nobis placeant, inimici verò displiceant. Cùm ergò is, qui gratia ornatus est & charitate, Dei sit amicus; ille verò, qui peccati seruus est, Dei sit inimicus; non mirum si illius opera acceptentur à Deo, vt grata, & præmio cælesti digna; huius verò tali remuneratione digna minimè censeantur: cùm principium & radix totius meriti apud Deum in amicitia & gratia ipsius consistat. Hinc verò illud oritur, vt minima opera iusti Deo maximè grata sint: sicut amantissimo parenti gratissima sunt etiam minima filij paruuli verba & facta, eaque magni facit ac laudat; adeò vt & *capilli capitis omnes numerati sint*, id est, minimæ etiam iusti cogitationes numeratæ sint in retributionem. Mira profectò res, & quæ fidem humanam superat, sed non diuinam; calicem aquæ frigidæ à Deo remunerandum æterna & infinita mercede, quæ Deus est, remunerandum. Hoc verò summè consolari potest pios ac iustos; cùm nouerint grata Deo esse opera sua & obsequia.

Beatitudo operibus promissa est in charitate factis.

Ioan 15.

2\. *A simili.*

Meriti omnis origo & radix.

Matth. 10.
Luc. 12.

Matth. 10.

Opera autem inimici placere non possunt Deo, vt se pro illis in mercedem det; quia *odio sunt Deo impius & impietas eius.* Et sic *impij in circuitu ambulant*; quia nihil proficiunt. Et Sapiens. *Impius facit opus instabile; seminanti autem iustitiam merces fidelis.* Opus dicitur instabile, cuius retributio temporalis est. Qua in re miserandum omninò ac deplorandum peccatoris dispendium est, dum innumera opera perficit, quæ si Deo gratus perficeret, digna essent cælesti regno, & æterna gloria remurarentur: nunc verò quia in peccato fiunt, in æternum obliuione tradentur, nec in futuro seculo mercedem recipient. Hæc opera omninò mortua dicuntur, nec vnquam viuificantur, etiamsi demùm peccator ad gratiam

Opera inimici Deo nõ placent.
Sap. 14.
Psal. 11.
Prouerb. 11.
Peccatoris damnum & infelicitas.

D. Tho. 3. p. q. 89. a. 6.

tiam redeat. Audi nunc iusti hac in re felicitatem, vt peccatoris in eadem re infelicitatem & miseriam agnoscas. Audi ô iuste, quam cum Deo societatem inieris. O pus tu perfice, ait Christus, quod vel minimum sit; à domo tua *calicem aquæ frigidæ* da pauperi; cuius pretium est dispondium vnum: ego verò gratia mea opus illud ornabo, meritis meis ditabo, vt Deus æqua sit merces eius, & vniuersa hæc merces tibi sit O inauditum commercium! ô summam Dei in nos largitatem! Meritò in epist. hodierna Paulus ait: *In omnibus diuites facti estis in Christo* His verò diuitijs caret peccator; cuius opera à Christo non ornantur gratia, ac merito suo, atque adeò ferè nullius sunt pretij. Opera Paralytici sunt inutilia, vel nulla. Vt ergò tibi proficua sint opera tua, curandum tibi est, paralysin exuere Sed vt veluti in speculo videre possimus, quomodo sanandi simus, huius paralytici curationem attendamus, oportet. Ait ergò sacer Euangelista.

Iusti felicitas.
Matth. 10.
1. Cor. 1.

Ascendens IESVS in naviculam transfretauit. Vt nos à paralysi lectoque erigeret, ille, *transfretauit*, in mundum venit; & quamuis absque labore potuisset nos ab omni malo liberare, tamen vt magis innotesceret diuinus eius amor, sese in labores plurimos dedit, multas confecit vias, ac itinera, nunc pedibus, nunc nauigio, in summa paupertate, in laboribus plurimis, in fame & siti, nec verò per diē vnum & alterum, sed per vniuersam vitam, & hæc omnia propter nos: quin & duriorem nauim conscendit, cùm crucem humeris tulit, & mare passionis eum absorbuit, vt Ionam: ostendens eo amore nos prosequi, vt nullus ei labor impedimento fuerit, sed nec mors ipsa, vt nos à laboribus liberaret, & *factus pro nobis maledictum*, vt nos benedictione frueremur Potestne quis alterum videre pro se laborantem vsque ad mortem, quem non aspiciat oculis beneuolis? Quàm pijs igitur gratisque oculis hunc fidelissimum Seruum aspicere tenemur? Si verò vel minimum laboris tibi subeundum est in obsequio Dei tui, imò pro bono animæ tuæ, deficis continuò, & dura asperaque tibi apparent. Necesse est igitur transfretare, vt Deo placeas: hoc enim pro te Christus præstat; necesse est te in causa tua laborare. *Voca* ait, *operarios, & redde illis mercedem.*

Transfretatio Christi.
Psalm. 87.
Pauper sum ego.
N. B.
ô peccator.
Nauis Christi.
Psalm 68.
Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.
Simile.
N. B.
1. Thess. 3.
Matth. 20.

Sed quò deuenit Christus, cùm *transfretauit*? Vtique *in*

Chryso hom. 30. in Matth. 9. civitatem suam, id est, Capharnaum: quia relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum, quæ metropolis erat Galilææ. Primùm ergò Christus venit in ciuitatem suam, primùm in suos beneficus, deinde in alienos. Ordinata hæc charitas est. Quo facto nos docuit, primùm attendere familiæ nostræ: quia si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior Sed quos Christus suos dicit? Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Primùm Christus suos dicit, quos ipse sanguine fuso redemit, sibique emit. Sicut enim tuam dicis domum, quam emisti: sic cùm empti simus à Christo & pretio magno, eius nos esse dubium non est. Hinc Paul. Non estis vestri: empti enim estis pretio magno. Sed hac ratione vniuersus mundus Christi esse comprobatur; omnes nanque redemit; ex iustitia itaque omnes nos Christi sumus. 2. SVOS potiùs ille dicit, qui non solùm sui sunt iustitia, sed voluntate propria seipsos illi tradiderunt, vt eius sint facto & opere, cuius sunt iure ac ratione. Si enim nos non possideat, si fructum ex nobis non capiat, non nos suos dicit, sed alienos: quia alter nos possidet. Hinc Proph. Possederunt nos domini absque te. Et, filij alieni mentiti sunt mihi. An non meritò nobiscum Deus noster expostulabit, quòd ei dominium nostri negauimus, similes facti agricolis illis, qui vineæ negauerunt fructus? Verè in propria venit, & SVI eum non receperunt. Quid putas à te effici, cùm immundam cogitationem, vel iram, vel auaritiam admittis in corde tuo? certè Deum à mente tua repellis; & dæmonis efficeris reipsa, qui inimicus est tibi. Quo dolore augeris, cùm vides domos, prædia, substantiam omnem deprædari? imò vxorem ac filias constuprari? quo igitur dolore afficitur Christus, cùm te videat, & animam tuam, sibi charissimam, à dæmonibus possideri, ac perdi? Sed, ô Domine, tui esse volumus, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, & eripe nos de inimicis fortissimis, & ex ore leonis: Da nobis spiritum tuum, vt tui esse possimus: quia si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Is habet spiritum Christi, qui corde tacto recedit à malo, & bona operatur. Spiritus Christi charitas est, hanc qui habet, spiritum Christi habet. Sed videamus, quid offerant Christo in patria sua.

Matth. 4. Marc. 2. Lyra. 1 Tim. 5. — Suos quos Christus dicat. — Simile. 1. 1. Cor. 6. 1. Pet. 1. 2. — Isa. 26. Psal 17. — Dominium nostri Christo negamus. N. B. — Cōparatio. — Isa. 4. Psal. 7. Psal. 21. Rom. 8. — Spiritum Christi quis habeat.

Peccatores Et ecce offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto. Non sine gran-

ne grandi mysterio hic ei offertur minister,& ab eo susci- *Christus in*
pitur libenter: nam qui in cælo domum habet refertam *ministros*
ministris illis spiritibus, in mundum veniens ministros *quærit.*
alios sibi quæsiuit, peccatores, ex quibus domum suam *Lucæ 15.*
implet. *Non veni, ait, vocare iustos, sed peccatores.* Atque hoc *Matth. 9.*
eius ingenium cùm esset omnibus notum, vt ei placeant, offerant nunc paralyticum, peccatorem, cui dicat, *Remittuntur tibi peccata tua.* Si ergò & tu Deo tuo placere *Peccatores*
desideras, ei offer peccatores multos; conare, vt adducas *ad Christum*
Christo illos, qui in peccatis sunt, vt liberentur à diaboli *ducendi.*
laqueis: his nanque epulis ille delectatur maximè.

Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Remittuntur tibi 1.
peccata tua. Rectè Ieremias. *Domine, oculi tui fidem respiciunt.* *Fidem alio-*
Sed *fidem*, ait, *illorum*: ea est enim Dei pietas, vt alijs benefa- *rum respicit.*
ciat propter alios. Sicut ergò *recordatus est Dominus Abra-* Ierem. 5.
hæ, & eripuit Loth; & Iob orante pro amicis, Abraham pro *Genes.* 19,
Abimelech, Moyse pro Israële, placatus est Dominus: ita *&* 20.
nunc *videns fidem illorum, dixit Paralytico; Remittuntur tibi* Iob. 42.
peccata tua. Ostendit his verbis Dominus, hunc hominem *Exod.* 32.
paralysin incurrisse propter peccata: & præclarũ se medi- *Hieron. ad-*
cum exhibet, à radice mali incipiens, vt infirmitatẽ pellat *uer. Vigil.*
omnem. Cùm ergò infirmitate vexaris, animã primùm 2.
de curare oportet, deinde corpus: ideò nanque sæpè medi- *Infirmitate*
cinæ nihil infirmo proficiunt; quia propter peccata eum *vexatus ani-*
Deus flagellat: neque cessabunt verbera, donec cessent pec *mam primũ*
cata. Propter peccata multa veniunt mala, etiam corpo- *curare debet.*
ris: nam *si iustus in terra recipit, quantò magis impius & pecca-* Prouer. 11.
tor? Si ergò mala pateris, peccata primùm ab anima repelle: quibus de medio sublatis, facilis tibi ad salutem consequendam via erit.

Sed eo verbo audito, quidam de Scribis dixerunt intra *Christus pec-*
se; *Hic blasphemat*: quia quod Dei est, sibi arrogat. Nam a- *cata remit-*
pud Isaiam ait: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates* *tit.*
tuas propter me. Verè dulcissimum verbum auditui hominis est: *Remittuntur tibi peccata tua.* In hoc instituta Sacramenta, Apostoli missi, Euangelium mundo prædicatum, Deus homo factus & mortuus. *Hic est omnis fru-* *Isaiæ* 43.
ctus, vt auferatur peccatum. Quia verò difficile creditu erat, *Isaiæ* 27.
Deum omninò remittere peccata, in articulis fidei propo- *Daniel.* 9.
sitũ est: *Credo* REMISSIONEM PECCATORVM. Et hæc *Symb. Apost.*

pro-

Genes. 4. professio summè peccatori confert, ne semper cum Deo se gerat quasi timidus pusillanimisque seruus, vt Cain; sed vt alacri animo Deo inseruiat, pacem habeat, & fidenti corde sit. Si ergò benè confessus es, & peccata curas vitare, confide, remissa tibi peccata crede. Hinc Paul. *Iustificati ergo per gratiam ipsius pacem habeamus ad Deum.* Pharisæi verò isti non crediderunt, remissa huic paralytico peccata fuisse, ideo dicunt; *Blasphemat.*

Chrys. ho. 7. et 39. in Gen. & conc. 1. de Lazar. Rom. 5.

Sed eis occurrit Christus dicens: *Quid est facilius dicere,* &c. Sensus est: Vos arbitramini me blasphemum, quòd dicendo, *Remittuntur tibi peccata,* iudicatis me vendicare mihi potestatem Deo propriam: sed vestrum requiro iudicium, vtrum horum duorum maioris est potestatis, seriò & efficaciter dicere; *Remittuntur tibi peccata; an dicere: Surge & ambula?* Vt ergò certò cognoscatis, me non arrogante rvsurpare *potestatem remittendi peccata*, sed eam vere habere, en vobis exhibeo efficatiam horum verborum, *Surge, & ambula;* quo verbo continuò hic sanabitur: vt si non potestis me dicere blasphemum, quia hæc verba dico quæ solius Dei sunt; quia videtis me opere præstare, quod dico: ita non iudicetis me blasphemum, quia dixi, *Remittuntur tibi* peccata; imò credere debetis id à me interius præstari.

Theoph. in Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. Hieron. ibid.

Paralysis sanatæ signum.

Greg. ho. 12. in Ezech. Ambros. & Aug. in Psal. 40. Eccl. 32.

Surge, ait, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Vt à paralysi liber factus est, tollit lectum, ambulat iam, in domum vadit. Cùm videris aliquem, qui antè boni nihil agebat, iam bona multa operari, paralysin & peccatum ab eo discessisse crede. Paralysin in manu patitur, qui recta non operatur; in lingua, qui recta non loquitur. & sic in reliquis. Curanda ergò paralysis ista est, vt rectè operantes æternam mercedem recipiamus. Sed expendendum verbum illud Christi est, *Vade in domum tuam.* Quod Sap. consilium est: *Præcurre prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo.* In domum propriam se recipit, qui interiora sua curat. Vnde Sap. *Intrans in domum meam, conquiescam in illa.* Qui exteriora nimium curat, non sibi viuit, sed filijs, sed substantiæ, sed amicis: per alienas vagantur domos, aliena tractant, vicinorum vitia ac vitam curant; quid ille agat in domo sua, quos faciat sumptus, quid comedat, quid bibat. His nunc Christus ait. *Vade in domum tuam;* tua cura aliena

In domum suam ire quid sit. Sap. 8. Aug conc. 1. in Psal. 30. Ver in domũ refugij. Eccl. 29. Vita nequã hospitãdi de domo in domum.

liena relinque. Et ad Petrum *Quid ad te: tu me sequere.* Dum ergò nostra negligimus, & aliena curamus, per alienas domos hospitamur, & diuagamur: dum verò nostra attendimus, in domum nostram venimus, & illic sumus. & cæt. *Ioan. 21. 1 Tim. 5. 2. Theß. 3.*

DOMINICA XIX. POST TRINITATEM.

THEMA: *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio tuo.* Matth. 22.

MERITO Deus noster homo Rex dicitur, id est, humanus ac benignus Rex, & diuersus admodū a regibus terræ. Id hodiè manifestè patet, cùm faciens nuptias filio, plures inuitat, vt in mensa eius sedeant: id vero reges terræ nec cum principibus regni faciūt. Quanti ergo nos ducere debemus vocatos nos ad Dei conuiuium, si Aman tanti fecit, vocatum se à Regina Esther. Sed nunc vocat nos MARIA, illa enim nobis gratiam obtinet, & in regnum cæleste ducere curat. Ad eam nunc accedamus &c. *Propositio à sensu mystico* *Cōparatio.* *Typus.* *Esth. 5.*

Dubitari meritò potest, cur Deus noster in parabolis loquatur, cum modus intelligendi ipsius simplicissimus sit: & cur vtatur parabolis, quæ deliria continere videntur. Quando enim accidit, vel accidet, vt Rex inuitet sibi subditos, & ipsi conuiuium respuant, & nuncios illius occidant? dubio respondetur: quod sicut gemma carbunculi in ornamento auri pretiosior apparet, ita diuina veritas in parabolis inclusa. Et licet modus, quo Deus intelligit, longe sit à parabolis & imaginibus, noster tamen intelligendi modus per imagines est: parabolis vtitur, quæ deliramenta videntur, quoniam deliria hominum pingit: deliria verò delirijs declarari oportet. An non deliramentum est peccatum? an non stultitia summa? Vt ergò stultus peccator qui *illudet peccatum*, id est, ludet cum peccato, peccati malitiam intelligat, proponitur ei parabola, in qua eius grauitatem intueatur: & excessum a se commissum videat, quem in parabolis intuetur: videatque a se fa- *Christus cur in parabolis loquatur.* 1. *Origin. in Matth 13 de parab. Thes. in agro absc.* *Simile.* 2. *Parabolæ deliria hominum pingunt.* *Prouerb. 14.*

ctum,

ctum, quod fieri nequaquam posse videbatur. Vnde per
Ierem. 3. Hierem. Dominus: *Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti?*
Prouer. 10. q. d. possibile ne fuit tibi, vt peccares? Ideo Sap. *Quasi per ri-*
ἡ δὲ σοφία *sum stultus operatur scelus*: id est, facilè stultus peccat, & qua-
ἀνδρὶ τίκτει si rem leuem peccatum æstimat: *sed sapientia viro iusto pru-*
φρόνησιν. *dentia est*, vt intelligat peccati grauitatem: Vt hæc ergo in
Greg. ho. 38. nobis prudentia sit, hisce parabolis vtitur Christus. Eam
orig. tract. 20 ergò, quæ hodiè nobis proponitur, attendamus.

Rex. *Simile est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias fi-*
Sponsus. *lio suo.* Rex hic pater est æternus: Filius eius sponsus, Ver-
Sponsa tri- bum est diuinum. Sed sponsa triplex est, & ideò ter illum
plex. desponsatum dicere possumus. Prima est humanitas, &
1. desponsatio fuit Incarnatio. Secunda Ecclesia, cui despon
2. satus est Christus, dicente Paul. *Sacramentum hoc magnum*
Ephes. 5. *est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia* Tertia cælestis Ec
3. clesia, cui etiam Christus desponsatus est: & demum des-
Anima spōsa ponsatur cuilibet animæ fideli; sed hanc non dicimus
pars Ecclesiæ. quartam, quia pars Ecclesiæ est. De hac aliquid dicamus.

Desposatio a- Hæc desponsatio duplex est; altera, quæ per fidem effi-
nimæ duplex. citur; altera, quæ per charitatem. Anima quæ Deo despon
Gen. 16. 17. 21. satur charitate, præcipua illius sponsa est, vt Sara Abrahę:
Typus. Anima, quæ sola fide Deo desponsatur, sponsa quidem
Galat. 4. est; sed tanquam Agar serua; quæ propter peccatum à Dei
Oseæ 2. domo eijcitur, cum filijs, id est, operibus, quibus æterna
N. B. merces non redditur. Miremur nunc, ô fratres, Dei sum-
Christus ani- mam dignationem, qui cùm sit infinitus & immensus
mæ infimæ rex seculorum, desponsari velit animæ infimæ, nec velit
desponsari solùm, sed curet, multa adhibita diligentia. An non con-
vult. temptibilis anima tua, à dæmonibus pessundata, à passio-
Isaiæ 49. nibus conculcata, & adeò misera, vt minus sit nihilo? De-
Ezech. 16. terius enim est cum peccato esse, quàm omninò non es-
Proiecta es. se. Et nihilominus hanc animam Deus quærit, hanc sibi
&c. vult sponsam, hanc multis annis expectat. Si autem Deus
N. B. sic amat animas, vt illas quærat, illas desideret; quis ergò
Desponsatio hanc desponsationem non etiam quæret; quis amori tan-
cum Christo to resistet? quę anima Deum sponsum detrectabit? an non
ardēter quæ- hæc summa dementia foret! & tamen Amos ait: *Congrega-*
renda. *mini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio*
Amos 3. *eius.* Non obliuiscitur Deus insanias istas, sed memoria
tenet, vt aliquando honori suo consulens, vindictam re-
Isaiæ 37. tribuat. Hinc per Isa. Dominus. *Habitationem & egressum*

tuum,

tuum, & introitum tuum cognoui, & insaniam tuam contra me. Eius ergò caueamus iram, qui nūc tantam experimur misericordiam.

Sed audiamus Dei misericordiam, & hominum malitiam ac insaniam. *Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias* Inuitat Deus homines ad Filij sui nuptias; quia veniente Christo in mundum, & eo desponsato humanitati & Ecclesiæ, allata est in mundum gratia, pax, remissio peccatorum, & omnia dona cælestia, quæ per Christum dantur. Ad hæc percipienda homines inuitantur Hanc vocationem perficiebat Paul. dicens: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi* Innumera in Prophetis dicta sunt de superabundantia donorum, quæ tempore Messiæ danda erant mundo. Hæc verò donorum copia expressa fuit in regno Salomonis. Sed *misit vocare*: quia *quos prædestinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iustificauit; quos iustificauit, hos & magnificauit*. Vocatos non renuentes conuiuium iustificat, & magnificat Solus enim ille magnus est, qui iustificationis gratiam consequitur: reliqua alia nihil sunt. Venire homines deberent ad hoc conuiuium, etiamsi non vocarentur, sua sponte; sed Deus vocat & inuitat, cùm ipse rogandus & obsecrandus esset.

1. Inuitatio Dei clementißima.

Donorum abundantia.

Ephes. 3.

Ioel. 3.

Amos 9.

Psal. 113.

3. Reg 10.

2. Par 9.

Rom. 8.

Magnus quis sit.

Vidimus Dei misericordiam: attende nunc hominum malitiam; ait enim: *Et nolebant venire.* Hinc Sap. *Vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret.* Et Iob: *Seruum meum vocaui, & non respondit mihi* Et Zach. *Noluerunt attendere, & verterunt scapulam recedentes, & aures suas aggregauerunt, ne audirent* Et Christus: *Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluisti.* Ratio perditionis peccatorum est, quia nolunt. Omnis hic iniquitas confunditur, omnis excusatio tollitur. Hic ait; Non possum conuerti: ille ait; Non possum vincere passiones. Dicite, NOLO, non verò, non possum. Fugere Deum iratum, stultū est: *quo enim à facie tua fugiam*? Sed fugere Deum misericordem, extremæ dementiæ est. Vocat stellas, & dicunt; *adsumus*: tu verò vocanti ais; NOLO Vocat Rex nobilem virum, vt in curiam veniat, & multa ei beneficia conferat: & continuò magna lætitia in curiam venit. Vocat te Deus tuus, vt venias ad nuptias, vt percipias dona ipsius; & dicis, NOLO.

2. Malitia hominum.

Prou. 1.

Iob 19.

Zach 7.

Perditio peccatorū vnde.

Psal 38.

Deū fugere stultum est.

Baruch 3.

N B.

Simile.

Sed quid Deus facit, videns se suaque dona contemni? Audi Dei infinitam clementiam. *Iterum misit alios seruos, dicens Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui: tauri mei, & altilia occisa: & omnia parata Venite ad nuptias.* Cùm se videat semel contemptum, iterum rogat, & quasi importunitate nos vincere curat. Offers alicui rem pretiosissimã; ille vilipendens ait: Nolo num iterum rogas? Deus verò, cùm seipsum tibi offerat in sponsum, & audiat, NOLO; iterum mittit alios seruos. Promeruit verò hanc misericordiam Christus Dominus. Vnumquodque enim opus eius pretij erat infiniti, & sufficiens ad humani generis redemptionem; sed multiplicauit opera, & meritum: multiplicat Deus misericordiam in homines, iterum atque iterum vocans eos.

Deus rogare non desinit. Simile.

1\. *Villa quid.* *Aug. ser. 33. de verb. Dñ. & ser. 247. de temp.* *Matth. 22.* *Lucæ 14.* *Rusticatio licita.* *Eccl. 7.* *Genes. 4.*

Sed quid homines respondent? *At illi neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius in negotiationem suam.* En quibus homo detineatur. Villa significat occupationem humani laboris quia agricultura præcipuum est, quo laborat humana necessitas. Vnde alter ait: *Villam emi* Rusticatio quidem licita est: vnde Sap. *Ne oderis opera laboriosa, & rusticationem, quam creauit altißimus*: Sed cauendum est, ne similes facti Cain, qui *factus est homo agricola*, tradamus nos totos curis huius seculi. Qui autem propter temporalia lucra, vocatus à Deo, non venit ad nuptias, similis profectò est homini, qui vocaretur à Rege, vt in sponsam accipiat filiam, & regni hæres sit; ille verò negligeret, quòd stercus ex hoc in illum locum asportaret. Quid enim aliud facit, diuitias congregans, & Dei gratiam respuens?

2\. *Negotiatio quid.* Simile.

Contemptus vltio. *Aug. libr. 1. 4. Euang. ca. 31. & li. 2 c 30.* *Lucæ 14.* *Aug. lib. 2. de ciu. Dei, & 19 c 21.*

Rex verò videns horum contemptum, & quod seruos suos occiderant, *iratus perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit*, Ierusalem scilicet: & posteà vniuersum mundum, antequam in iudicium veniat, similiter succendet. *Ite ad exitus viarum*. Ad gentes, quæ extra Ecclesiam sunt, eos mittit. Sola enim Ecclesia ciuitas est; reliqua verò desertum, & *exitus viarum*. In sola Ecclesia lex conueniens est, & ordo Reipubl. In reliquis extra Ecclesiam innumeros videbis errores: vt interim prætermittam Iudæorum & Saracenorum deliria.

Plenitudo gentium.

Impletæ sunt nuptiæ discumbentium; significat gentium plenitudinem, quæ in Ecclesiam venit: de qua Paul. *Donec pleni-*

plenitudo gentium *intraret*, quæ *impleuit terram vniuersam*. Cum verò numerus prædestinatorum completus fuerit, tunc *impletæ erunt nuptiæ discumbentium*. *Expectate modicum donec compleatur numerus fratrum vestrorum*. Quòd ad bonitatem Dei pertinet, nuptiæ implentur; quia Deus ipse in mensa sedet, qui seipsum implet, & diligit: quod verò pertinet ad Christi merita, implentur; quia omnibus fides & gratia nunc, & posteà gloria tribuitur, quibus ille petijt, quoad efficaciam. Quod ad sufficientiam attinet, tot sunt Christi merita, vt impleri nequaquam possint. Et hoc ad Christi gloriam pertinet, quòd merita illius tanta sint, vt impleri nunquam possint: quia in creaturis tanta capacitas esse non potest, vt illa omnia capiat, quæ ille meruit: sed impleri dicuntur, cùm in prædestinatos charismata eius effunduntur. Ex quo etiam colligitur immensitas gloriæ, quæ effundenda est in iustos: cum enim infinitis hominibus Christus meruerit, & finitis sit tribuenda, maxima in eos liberalitate Pater æternus vtetur.

Rom. 11. *Psal. 79.* *Daniel 2.* *Apocal. 6.*

Nuptiæ quomodo & quando impletæ.

Merita Christi infinita, & à creaturis comprehendi nequeunt.

N.B.

Impletæ quidem nunc sunt nuptiæ; sed ecce etiam impletum illud Isa. *Multiplicâsti gentem, non magnificâsti lætitiam*. Non omnes vocati, electi sunt: *non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium*: & *non omnes obediunt Euangelio*. & ideò *sola sedet ciuitas plena populo*. Hoc verò nunc manifestè ostenditur, dum *intrauit Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*. Licet plures sint; vnus tamen dicitur, vt intelligat peccator, sic ipsum puniendum à Deo esse, ac si ille solus deliquisset: sicut contrà sic effundet Deus diuitias gloriæ suæ in vnum iustorum, ac si ille solus salutem consequeretur æternam: & sic ut quia multi puniendi, ideò quisque minùs non punietur; ita quia multi beati in cælo sunt, ideò minori non donabitur quisque corona. Simili etiam ratione in hac vita crede, te vnum esse, & pro te solo Christum mortuũ, licet enim pro multis profusus sit eius sanguis, tantam tamen in Christo gratiam reperies, tot auxilia, ac si tu solus ad eum accéderes. Non enim minuitur pelagus illud meritorum infinitum: sicut non minuitur mare, quia mille formicæ ex eo biberunt. Vnus ergò repertus dicitur carere *veste nuptiali*, quia vt vnicus punietur. 2 Vnus repertus dicitur inter multos, ne putet impius, posse

Isaiæ 9. *Eccl. 15.* *Rom. 10.* *Thren. 1.*

Peccator sic puniendus ac si solus deliquisset.

Cōparatio.

N. B.

Simile.

Impius abscondi corā

Deo non potest. se abscondi à Dei oculis. Audi Sap. *Ne dicas, à Deo abscondar.* &c. *Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus: & vniuersa terra,*
Eccl. 16. *& quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur.*

Vestis nuptialis. Sed quænam est illa vestis nuptialis? Certè illa, de qua gloriatur anima iusta: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis,*
Isaiæ 61. *& indumento IVSTITIAE circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* De
Ephes. 4. hac veste etiam Paul. loquitur. *Induite nouum hominem, qui*
Vestis virtutum varia. *secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Ex omni ergò virtute conficitur varia vestis iustorum,
Typus. quæ nuptialis est. Et hæc est vestis polymita talaris, quam
Genes. 37. Iacob fecit filio suo Ioseph, quæ vsque ad pedes eum ope-
Genes. 37. riebat. Si palatium Assueri in veste vili ingredi non lice-
Cōparatio. bat, quomodo in Ecclesia ferendus is est, qui veste panno-
Vestis peregrina. sa & vili indutus est? Hinc minæ illæ Dei procedunt: *Visitabo super eos, qui veste peregrina induti sunt.* Vestis peregri-
Soph. 1. na mores sunt gentium. Inde Paul. *Vt iam non ambuletis in*
Ephes. 4. *vanitate sensus vestri, sicut & gentes.* Exuisti veterem hominem in baptismo, & *induisti nouum,* quo pacto poteris adeò
Tunica pannosa. pretiosam vestem abijcere? exueras tunicam pannosam, quomodo iterùm indues illam? Sed postquam Christus
N. B. homo factus in nuptias venit, ingens scelus est, hac nuptiali veste carere, & vili indui: postquam enim ille exemplo suo nos docuit & verbo viam iustitiæ, ingens piaculum est, eum non imitari. Ille tuam vestem indutus, eam non deposuit, cur tu, qui Christum induisti, eum exues? Iniuriam Christo facimus eum exuentes & dimittentes. &c.

IN EADEM DOMINICA.

Nihil difficilius, quā homines à Deo derelinqui. POstquam Dei ingenium, eiusque bonitas, ac in homines infinita dilectio nobis patuerunt, nihil difficiliùs dici nobis potest, quàm à Deo homines derelinqui, eosque grauissimè puniri. Si enim ea, quæ fides nostra de Dei bonitate, ac in nos misericordia prædicat, Aristoteli aut Platoni proponeres, dicerent, nullum non hominem saluandum: nunc verò in fine Euangelij dicitur; *Multi sunt vocati, pauci electi.* Proponiturque in Euangelio derelictio Iudæorum, euersio Ierusalem, & euersio totius mundi, ac damnatio omnium improborum. Aequum

prof-

profectò fuit, vt tantorum malorum causa nobis proponeretur, ne eam in Deum reijciamus, sed in homines.

Deus omnes perdere posset, sed non vult.

Pertinet quidem ad supremum & absolutum Dei dominium super omnem creaturam, vt possit vti omnibus illis, ad quod ipse voluerit, etiam cum maximo ipsarum incommodo, ita vt si vellet omnes in æternum igne ardere, posset id efficere absque vllius iniuria: nec tenetur rationem reddere mali, quod creaturis infert: quoniam dominium est ius vtendi re in quemcunque vsum: & si alia ratio non esset præter diuinam voluntatem, satis hæc erat; nam est *Rex regum & Dominus dominantium*: vel *quis ei dicere potest, Cur ita facis?* Nihilominus tamen pro sua benignitate rationem reddere vult Deus iræ suæ in homines; & quasi non dominus sed Villicus esset, iudicari vult ac ostendere, non sua sed hominum culpa ipsos perire. *Iudicate*, inquit, *inter me & vineam meam: quid debui facere, & non feci?* Sed vincit Deus, dum iudicatur, & causæ ipsius iustitia manifesta redditur, & is, qui punitur, obmutescit, vt fecisse legitur, qui caruit veste nuptiali. Cùm itaque Deus hominem tantopere exaltauerit, vt filium dixerit, & animam sponsam, decuit cum summæ vltionis in hominem exercitæ rationem reddere. Et quia superioribus parabolis ostenderat Iudæorum reprobationem, in hac ostendit eos in causa esse, quia venire ad conuiuium noluerunt.

Apoc. 17. 19.
Iob 11.
Deut. 10.
Psal. 135.
Iræ suæ Deus rationẽ reddit. et quare.
Isaiæ 5.
Scopus Euangelij.

Ait ergò: *Simile est regnum cælorum homini Regi.* Dicitur Ecclesia regnum cælorum; quia idem regnum est cum cælesti, sub eodem Rege & eisdem legibus. *Data est mihi*, inquit Christus, *potestas in cælo & in terra*: ecce eundem Regem. Lex verò charitatis vna est in cælo & in terra. Sed cur dicitur, *Homini Regi?* Describitur nunc Domini benignitas, ideò homo dicitur: quia homo natura sua lenis est. Cùm verò ira Dei describitur Leo dicitur & Vrsus. Hinc Isaias: *Sicut rugiet leo capta præda, nec timet multitudinem clamoris; sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion.* Et Ierem. *Factus est mihi Dominus vt Leo, & vrsus insidians.* Si ergò tu homo fueris ratione vtens; erit tibi Deus homo benignus: si in bestiam mutatus fueris, leo & vrsus tibi Deus erit. Vnde qui nunc homo Rex dicitur, quia conuiuium parat: cùm ingreditur, vt supplicio eũ afficiat, qui caret veste nuptiali, non homo, sed Rex dũtaxat dicitur 2.

Regnum cælorum Ecclesia.
Rex idem.
Lex eadem.
Homo.
Isaiæ 31.
Thren. 3.
Deus vrsus & Leo.

Hominis debilitas. homo rex dicitur; quia homo fundamentum est potestatis, honoris, diuitiarumq;. Sed profectò debile fundamentum hoc est. *Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos; quia spiritus Domini insufflauit in illud.* (*Isaiæ 40.*) Paruus aër omnia deijcit, quia vniuersa hominis gloria *flos est fœni.* En quid omnia illa sunt quæ mundo maxima apparent.

Nuptiæ. Hic homo Rex *fecit nuptias Filio suo*, cùm eum Ecclesiæ desponsauit, iuxta illud Pauli: *Despondi vos vni viro.* (*2. Cor. 11.*) Nulla alia similitudine ita conuenienter exprimitur Dei in animam amor, si iusta sit; & odium, si iniusta, ac similitudine sponsi & sponsæ. (*Sponsi & sponsæ similitudo Deo maximè conuenit.*) Summa est enim sponsi in sponsam dilectio, si illa casta sit; summum verò odium, si adultera: ita Dei amor in iustum summus est, & odium in peccatorem maximum. Id in fine parabolæ videre licet, cùm eum *in tenebras exteriores* eijci præcipit, & à nuptijs separari. (*N. B.*) Summam ergò tibi promittit misericordiam nomen Sponsi, si iustus fueris; summam iram, si adulter reperiaris. Si ratione vteremur, cùm audimus, Christus sponsus est animæ nostræ, & eius promissionē tenemus firmā, quòd ei in cælo coniungemur in æternum, extra nos fieri deberemus. Si gratia Dei ornatus es, anima tua Christi est sponsa. Omnia illa nomina Christus sibi vsurpauit, quibus dilectio debetur. (*Cōparatio.*) Si amorem patri debes, si fratri, si magistro, si Regi: Christus pater, frater, magister & rex tuus est. Si membra caput diligunt, Christus caput tuum est. Sed super omnia dulcissima nomina Christi, quod plus amoris indicat, quod plus mouet, vt eum diligamus, dulcius nomen sponsi est: ostenditur enim seipsum nobis tradidisse. (*Desposationis natura.*) Hæc enim desponsationis natura est, vt sit traditio suijpsius alteri: & ea etiam efficit, vt omnia bona sint communia, & vt anima familiarissimè cum Deo agere possit tanquam sponsa cum sponso, & ab eo recipiat vniuersa dona cęlestia. Ecce nuptias, ad quas inuitamur; en diuitias cælestes, ad quas vocamur.

Nuntium repudiatum. *Misit ergò seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* Sed obsecro, quanta cum gratiarum actione accipiendum esset hoc nuntium. (*Exemplū.*) Certè cum ea, qua Abigail excepit nuntium Dauidis dicentis sibi velle sese eam accipere vxorem; (*1. Reg. 25.*) & *illa surgens adorauit prona in terram.* Hinc Paulus: (*Col. 1.*) *Cum gaudio gratias agentes, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*

ctorum in lumine, &c. Sed ais: Quando me vocauit Deus ad *Imitationis*
has nuptias? Sponsauit sibi animam tuam in Baptismo: & *nostræ tẽpus.*
sicut ex latere Adæ Eua educta est; sic ex meritis Christi Typus.
procedit anima tua gratiâ ornata. Ibi inter te & Deum pa
ctum firmatum est, ibi promisisti Deo fidem, ibi abrenun
tiâsti diabolo, mundo, & pompis illius. Cùm verò ad rati-
onis vsum peruenisti, cùm promissis stare debuisses, adul-
ter Deo inuentus es. Quid Deus faciet, cùm hæc viderit? *N.B.*
Vidisti sponsum, quid aget, cùm sponsam adulteram ag-
noscit? Deus tamen videns animas adulteras, eas vocat; &
iterum vocat, dicens: *Tu autem fornicata es cum amatoribus* Ierem 3.
multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

Sed quid homo facit, qui tantam Domini videt miseri- *Peruersitas*
cordiam? Audi hominum peruersitatem. *Illi nolebant ve-* *& dementia*
nire Quænam alia nisi diuina patientia, id sustineret? Ex- *hominum.*
pende horum hominum dementiam, qui ad nuptias vo- *Chrys. ho. 70.*
cati non veniunt. In nuptijs nihil triste, nihil luctuosum, *in Matth. 22.*
omnia plena sunt gaudio. Hinc Bar. *Vide iucũditatem à Do-* *Baruch 4.*
mino Deo tuo tibi venientem. Sed ais: cùm ad has vocor nup *Obiectionis*
tias, nónne ad pœnitentiam & afflictionem vocor, quo- *dilutio.*
modo ergò ad gaudia? Audi insane. An non Christus ig- *Pœnitentia*
nominiam crucis vertit in honorem? ita amaram pœni *amara dulcis*
tentiam dulcem effecit. Putas te vocari ad tristitias, cùm *est.*
ad Deum vocaris? Num in tristia vocatur Sponsa, cùm in Simile
nuptias vocatur, & non potiùs in læta? Audi Isaiam. *Ecce* *Isaiæ 65.*
serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, &
vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini Ec-
ce serui mei clamabunt præ exultatione cordis, & vos vlulabitis
præ contritione cordis. Et ratio manifesta est, quoniam dele-
ctatio procedit ex perceptione conuenientis: vnde in eo
actu, quo Deus possidetur ab anima, summa est delecta-
tio. Deus enim adest iusto totus simul. Nec ideò iudican-
da est vita iusti tristis, quod aliqua tribulatione tangatur:
quia gutta fellis pelagus dulcedinis amarum reddere non Simile.
potest.

Sed quid Dominus faciet, videns eos venire nolle? *Ite-*
rum misit alios seruos, qui dicant: *Ecce prandium meum paraui,*
tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata: Venite ad Nuptias.
Tauri & altilia occisa, Christum significant pro nobis mor *Tauri & al-*
tuum: ille enim solus virtutem continet omnium sacrifi- *tilia.*
ciorum: ille est medicamen omni infirmitati, remedium

Parata omnia. vniuersis peccatis & tentationibus. *Omnia parata sunt*, quia
Christo in cruce immolato patet introitus regni cælestis,
1. quod antè clausum fuerat Deinde cùm dicit, *Omnia parata*
Gregor. hom 38. in Matth. 22. esse, significat in diuino illo conuiuio Deum ipsum in ci-
bum dari: omnia enim alibi, quàm in ipso non sunt. Verè
omnia parata nobis sunt, cùm Deus cibus nobis offertur.
2. Vnde Psal. *Parâsti in dulcedine tua pauperi Deus.*
Psal 65. Sed quid respondent conuiuæ tam felicissimo nuncio?
Hebr. 2 & 10. *At illi neglexerunt.* Obstupescendum planè hoc est. Audis,
ô homo, Christum pro te immolatum, parâsse tibi om-
Heb. 8. cap. nem gratiam, omne donum, & negligis? Audisti ianuam
Ier. 31. f. paradisi apertam, & immensam gloriam te expectantem,
Negotiatio impedimentum est. & negligis? Negligere est parui pendere: *quomodo ergò effu-
giemus, si tantam neglexerimus salutem; fiduciam habentes in in-
troitu sanctorum in sanguine Christi.* Hinc Deus homines ne-
Eccl. 26. gligit; *quoniam non permanserunt in testamento meo, & ego ne-*
Ezech. 28. *glexi eos, dicit Dominus*
Ose. 11. Sed qua de causa illi neglexerunt? *Abierunt, alius in vil-*
Psal. 70. *lam suam, alius verò ad negotiationem suam.* Negotiationes
γραμματείας literaturas seculi huius impedimento solent esse Dei verbo & voca-
tioni Hinc Sap *Difficilè exuitur negotiator à negligentia.* Et,
In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua ini-
Aug in Psal. 70. sic legit. *quitate* Et Ose. *Circumdedit me Ephraim in negotiatione sua, &*
in dolo domus Israel Et vbi nos legimus in Psal *Quoniam non*
Numeros à numerauit. *cognoui literaturam*: 70. legunt, *negotiationes*: q. d. quoniam
non me immiscui terrenis negotiationibus, quæ auocant
Inde Siphra, numerus, à Sephar Hebræo, numerare. animum à supernis, *introibo in potentias Domini.* Chrysost.
hom. 38. oper. imperf in Matth. 2 . & hom 41. in Matth. 22.
homil. 1. de fide auræ, ostendit summum negotiatorum
discrimen, difficileque inueniri negotiatorem iustum. Et
inter causas derelictionis populi sui, vnam Deus dicit es-
Dist. 88. se, iniquitatem negotiatorum. Vnde Isa. *Negotiatores tui*
Isa 47. *ab adolescentia sua, vnusquisque in viam suam errauerunt.* Sed
Bonau. in diet sal. c. 6. de auar. dicet negotiator: Negotiatio mihi necessaria est, vt viuã.
Huc dici potest illud Ier. *Quid niteris bonam ostendere viam*
tuam. &c. & in alis tuis inuentus est sanguis pauperum, & inno-
Ier. 2. *centum.* Vt ergò negotiationi incumberet, venire in nup-
Chrys. hom. 61 ad pop. tiale conuiuium noluit Dicis negotiatori: Oro ad Eucha
ristiam accede; respondet: Non mihi vacat, quia negotia
Dilemma gero Dic mihi, ô homo, quid magis necessarium est, vitã
N. B. æternam consequi, an hæc negotia gerere? Etiamsi neces-

saria

ſaria ſint, quæ detinent, omnibus tamen præponere ſpiritualia oportet. Si ſollicitus es, quomodo ad inſtans viuas in hoc mundo, quomodo ſollicitus non es, quomodo in æternum viuas in cælo? Omnia verò, quibus victurus es in cęlo, hîc acquirere ac negotiari oportet. Noli ergò *ſpiritum extinguere*, & obruere negotijs: ſed ſic ea tracta, vt tẽpus animæ tuæ conuenìens ſerues.

Cõparatio.

1. Theſſ. 5.

Hucuſque miſericordiam Dei vidimus: ſed & IVSTITIA in illo eſt; & ideò in rebelles & homicidas ſeruorum iratus, perdidit eos, miſſis exercitibus ſuis. *Excitatus* enim *eſt Dominus tanquam dormiens, diſſimulans peccata hominum*; ſed *ſurgens tanquam potens crapulatus à vino*, hoſtes percutit ſuos. Sed quia *cùm iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur*, addit; *Ite ad exitus viarum* &c. Sic Paulus: *Vobis quidem primùm oportebat prædicari verbum Dei, ſed quia indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*. Non fuerunt nuptijs digni; quia peccator etiam pane, quo veſcitur, indignus eſt, quanto magis Deo vita æterna? *Ite ergò* ſerui *in exitus viarum*, & inde Conuiuas colligite. Sed quę ſunt vię iſtæ? Certè viæ mores ſunt hominum. Via auari cupiditas eſt diuitiarum; ſuperbi, ſuperbia. & ſic in reliquis. Extra viam tuam exire potes, vt ad nuptiale conuiuiũ venire poſſis. Sic à via tua Abraham exiuit, cùm profectus es de terra ſua & de cognatione ſua.

Iuſtitia Dei.
Pſal 77. 105.
Sap. 11.
Abac. 3. 1.

Act. 13.

Egreſſi ſerui eius in vias congregauerunt. &c. Hoc peregerunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, qui ingrediũtur ad Deum per orationem, & egrediuntur ad ſalutem proximorum curandam. Non ſolùm Deus quærendus eſt in oratione, ſed & in proximorum ſalute curanda. *Exierunt ergò, & congregauerunt omnes, quos inuenerunt* vt impleretur illud Pſal. *Congregate illi ſanctos eius.* Et illud: *De regionibus congregauit eos*. Ad hoc enim Chriſtus venit, *vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.*

Congregare proximum in ſalutem, Dei opus.

Pſal 49.
Pſal. 106.
Ioan. 11.

Intrauit autem Rex, & vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali. Veſtis hæc nuptialis, charitas eſt, de qua Petr. ait, *Operit multitudinem peccatorum*. Et illa eſt veſtis, forma & vita virtutum. Vnde Gregor. Quid veſtis nuptialis, niſi charitas, qua veſtitus Dominus venit ad nuptias? Sicut ergò hac veſte indutus ſponſus eſt, ita eâdem ornari ſponſam vult. Hanc amiſit Adam & Eua, cùm viderunt ſe nu-

Veſtis nuptialis charitas.
1. Pet. 4.
Simile.
Gregor. hom. 38 in Matth. 22.

[T]ypus. se nudos. Vt hac veste nos induamur, Christus suam de-
[V]estis nuptialis prius induenda. posuit. Sed noli expectare tempus nuptiarum, vt hanc vestem facias, & induas; sed priùs eam indue. Cùm dies venit, in quo indutus veste pretiosa apparere debes, tunc ordiri illam vis? Caue, ne dicas; *Dum adhuc ordirer, succidit me*
Simile.
Isaiæ 38.
Apoc. 16.
Nahum. 3.
Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Ei enim, qui non custodit, dicitur, *Ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

Vestis vna et multiplex. Hæc vestis charitas vna est, & multiplex. *In vestitu deaurato, circundata varietate,* sponsa Dei est. Vna est, quia vna
Psal. 44.
Greg. ho. 27. in Euang.
Ioan. 15.
1. Cor. 13.
Simile.
Rom. 12.
Simile.
est virtus: multiplex est, quia sicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt, ita multæ virtutes ex vna charitate generantur: quia *charitas patiens est, benigna est.* &c. Multiplex etiam dicitur, quia pro statuum varietate diuersa præstat opera. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra* &c.
Cōparatio.
Chrys. ho 70. in Matth. 22.
Hom. 60. in Ioan. 10.
Simile.
Si quis igitur domum tuam aureis exornare vellet, te verò sacco & cilicijs, id ferre non posses: quomodo ergò tu corpus, animæ domicilium, pretiosis induis, & animam nudam relinquis? Memor esto animam tuam ad nuptias vocari non hominis, sed Dei. Qualis verò ornatus Dei sponsam deceat, tu videris. Si Rex exspectans sponsam de longo venientem, eam despiceret, si veste nuptiali careret, & pannosa indueretur: ita Deus animam veste nuptiali carentem. &c.

DOMINICA XX. POST TRINITATEM.

THEMA: *Vade, filius tuus viuit, &c.* Ioan. 4.

Propositio à gubernatione diuina.
Iob. 21.

INTER alia diuinæ gubernationis miracula illud præcipuum est, quòd Deus hominem conetur ad se trahere: & meritò; quia gubernatio est directio gubernatorum in suum finem. Hinc Iob. *Post se omnem hominem trahit.* Adeò verò Deus id desiderat, vt in omnibus, quæ extra se operatur, id intendat; & ideò

factus

factus homo est,& crucem sustinuit, vt inde homines efficacius ad se duceret, dicens: *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum:* Et tunc etiam Deus hominem ad se trahit, cùm tribulationes & flagella immittit; quibus hominem à se separare videtur: nam tunc magis appropiat. Et *ira* quidem *in indignatione eius, sed vita in voluntate ipsius:* quia licet indignari videatur, tamen vitam æternam nobis curat præstare. Hoc Nabuchodonozori contigit, qui à Deo correptus, eum agnouit. Id sibi accidisse testatur Dauid, dicens: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Id pluribus accidisse testatur Ose *In tribulatione sua mane consurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet & curabit nos.* Hoc hodiè Regulo accidit, qui ad Christum non venerat, donec filij infirmitate ductus est ad Christum venire, & in eum credens cum tota domo sua saluus fieret. Felix omnino tribulatio, quæ nos ad Deum venire compellit.

Ioan.12. — *Tribulationes hominē trahunt ad Deum.* — *Psal. 29.* — Exempla. — *Dan.4.* — *Psal 31.* — *Aerumna spina est.* — *Os.6.*

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Regulus dicitur, vel quia de semine regio erat: vel quia potestatem aliquam regiam habebat, sed paruam. Eius *filius*, licet nobilis, diues, & potens, *infirmabatur.* Quo ostēditur, quàm modicum, & propè nihil sint omnia bona mundi huius: omnia exiguus puluis sunt, licet aliud appareant. Sicut statua illa apud Danielem, aurea, argentea, ærea, exiguo lapide eam percutiente in puluerem conuersa est: sic Reguli filium exiguus aër deiecit in lectum, & in mortem. Hinc Psalmista. *Non saluatur Rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine misericordiæ suæ.* Nec vires, nec diuitiæ, nec regna hominem in magnis periculis & necessitatibus, non dico à morte æterna, sed nec temporali saluare possunt. *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.* Quisnam hic equus? certè Caro fortis, nobilis, diues, princeps: sed quomodo *fallax*? quia promissa non implet, sed mentitur ac decipit nos: promittit enim longam felicemque vitam, sed cito deceptio eius manifesta fit. Ecce *infirmatur* ad mortem, & *non proderunt diuitiæ in die vltionis.*

Bona mundi nihil sunt. — *Chrys. ho.34. in Ioan.4.* — Βασιλικός. — *Hier. in Isa. 65.* — *Greg lib.9. mor.c.10 in Iob. & lib. 19 cap 9. in Iob 20.* — *Psal. 32.* — N. B. — Ibid. — *Prouerb.11.*

Ne autem fallax tibi sit hic equus, accipe consilium, quod Dominus Iosue dedit. Tenebantur milites Iosue equos subneruare, non autem reliqua iumenta, quæ oneri-

Ios.11.

Orig. hom. 15. in Ios. Typus. *1. Cor. 7.* *Psal. 129.*

bus ferendis apta sunt: sed nos, qui Christo (cuius figura fuit Iosue) militamus, multo strictiori iure tenemur carnem subneruare ieiunijs & vigilijs: quia Christus mundi pompam & gloriam contempsit; & doctrina sua ac exemplo relinquenda monstrauit; vt *qui vtuntur hoc mundo, sint quasi non vtentes.*

Mala corporis cur remāserint. *Greg in Psal. 6 pen. li. 12. ep. ex regist. cap. 10. li. 14. mor. cap. 23.* *Prouerb. 23.* *Eccles. 7.* *1. Ioan. 2,* *Mala corporis exoptanda, & petenda à Deo.* 2. *Hier. refert, quod Hilarion dicebat, corpori, Ego te fame conficiam; vt potius cibum cogites, quā delectationem. Et Macarius. Occidit me, occido illud* *1. Corin. 12.* *Amos 4.* *Ose. 13. & Hier. ibid.*

Sed cum *copiosa* Christi sit redemptio, cur adhuc manent corporis incommoda? Respondet Gregorius primò mala ista manere in remissionem culparum, quas in hac vita homines admittunt. Licet enim redemptus homo sit, sed plena illius sanitas in futuram vitam reseruatur. In hac verò ita debilis est, vt omnem venialem culpam vitare non possit, & plura etiam mortifera admittit. *Septies in die cadit iustus.* Et, *Non est homo, qui non peccet. Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus.* Vt ergò pœnas pro peccatis debitas in hac vita persoluamus, manent corporis mala: quæ idcirco patienter tolerare, imò exoptare debes, & à Deo petere, vt debitas pœnas hîc exoluas. Hinc Augustinus: Hic seca, hîc vre, vt in æternum parcas. Secundo, Quia caro semper cõcupiscit aduersus spiritum, oportuit ergò multa mala carnis relinqui, vt debilis sit, & spiritum non superet, sed superetur ab eo. Hinc Paulus *Cùm infirmor, tunc potens sum*: id est, cùm caro infirmatur, spiritus potentior efficitur. Ideò ergò mala corporis relicta sunt, vt spiritus saluus sit. Meritò itaque Paulus ait. *Gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Optima infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Ideò infirmitas tibi immittitur, vt in animo cureris. Væ autem ijs qui infirmitate non curantur, sed deteriores fiunt; his enim in furore suo occurret Dominus *quasi Leæna, & quasi vrsa raptis catulis*, quæ tum sæuissima est. Nec ergò hanc experiaris iram, ad Deum nunc conuertere; & à Deo flagellatus peccatum nunc agnosce tuum.

Typus. *Esther. 13.*

Infirmabatur itaque Reguli filius: *& cum audisset, quia IESVS adueniret in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius.* Vidit Christum venire in patriam suam, & ideò ausus est misericordiam ab eo postulare. Sicut Esther audit petitionem proponere, cùm Assuerus exiliret à solio, quæ prius videns eius Maiestatem, turbabatur: ita cùm Deus de solio Maiestatis descen-

descendit, omnes ad eum accedere possumus, & eum orare. Sed quid orat Regulus? *Vt descenderet & sanaret filium eius.* Cura filij ipsum vrgebat. Curare enim debet pater filij salutem, præcipuè spiritualem. Sic Tobias à pueritia filium suum docuit Deum timere. Sic Iob filios suos sanctificabat. Sic Anna Samuelem ducit in templum. Quòd si filius infirmatur animo, oportet patrem id maximè curare, & oratione Deum pulsare, filium erudire, ac castigare. Sed attende Christi benignitatem eum Regulo; quam & nos quotidiè experimur, quamque explicuit Regius Psalmista. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* &c. Adeò debilis homo, vt similis sit figmento, pulueri, & flori, quæ facilè pereunt: Deus tamen pro infinita sua misericordia sua miseretur hominis, & imperfectiones tolerat. Attende hoc in Regulo impletum, cuius fides imperfecta erat, qua ad Christum venit, dicens, *Descende,* & cætera. Nescit vbique Christum esse secundùm diuinitatem. quanto rectius Centurio dixit. *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Minima fide ad eum Regulus accessit, vt ad Prophetam: sed cùm increpatus à Christo est, creuit fides eius; sed perfecta fuit fides, cùm viso miraculo *credidit ipse, & domus eius tota.* Sicut in natura est puer, adolescens, & vir; ita fides in triplici statu. Sustinuit verò Christus imperfectionem Reguli, docuit & corripuit eum, vt pater filium, dicens. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Innatum fuit Iudæis signa petere. Hinc Paulus. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt.* Reprehendit verò Christus signa petentes, quia plura præstiterat: atque ex ijs & Scripturis adeo manifestum erat, ipsum esse Messiam; vt insignis proteruia iam esset, illud non credidisse.

Pater curare debet filios.
Exempla.
Tobiæ 1.
Iob. 1.
1. *Reg.* 1.
Christi benignitas.
Psalm. 102.
Fides reguli imperfecta.
Greg. ho. 28. *in Euang.*
Ioan. 4.
Ioan. 4.
Matth. 8.
Fidei incrementum & perfectio.
Simile.
Isa. 42. & *Matth.* 12.
Calamū quassatum non cō fringit.
1. *Corinth.* 1.

Increpatus vero Regulus à petitione non destitit, sed ait: *Descende, priusquàm moriatur filius meus.* Et Christus ait: *Vade, filius tuus viuit.* Attende Christi benignitatem. Increpat Regulum, & tamen concedit ei, quod petit, & licèt importunus sit, eum sustinet, & exaudit. Sic etiam Chananæam importunam, Et nos omnes monet vt importuni simus ei, adhibitis ad hoc exemplis amici importuni & viduæ. Hoc verò Dei maximum arguit amorem,

Importunitate rogandi delectatur Christus.
Matth. 15.
Matth. 7.
Lucæ 11.
Lucæ 18.

qui

qui cupit, vt semper ei assistamus, semper eum oremus.
Prouerb. 8. Oratio quoq; vt impleret, perseuerantiam habere debet, quę importunitas est: Dei enim nostri *deliciæ sunt esse cum filijs hominum*, nobiscum conuersari. Credidit igitur Regulus, & domum reuersus filium incolumen reperit.

Applicatio miraculi. Vt verò Reguli huius historiam nobis accommodemus, sciendum, vnumquemq; hominem regulum esse. *Genes. 2.* Homo conditus à Deo rex est: sed post peccatum regulus est. *Eccli. 5.* Bestiæ enim, quæ ad nutum ei parebant, nunc nō parent: Et in seipso appetitus suus licèt principetur, sed *Homo nunc regulus.* non absoluto dominio, vt prius: rebellat enim caro con- *Gal. 5.* tra spiritum. Meritò verò omnis creatura contra hominem rebellauit, quia ipse Deo rebellis fuit, & obedire no- *Isa. 1.* luit. Fortitudo naturæ lapsæ minima est, quasi *fauilla stu-* *Filius reguli fides est.* *pæ*. En regulum. Sed quis est filius? nam maledictus nunc est, qui non habet in spiritu filium. Fides, quæ per charitatem operatur, hic est filius: quem si non habueris, ma- *Matth. 3.* ledictioni subiacebis æternæ; *excideris, & in ignem mitteris*. Si hunc filium habes, serua illum, & conserua: quia propter illum benedicêris, vita tibi concedetur æterna, & regnum æternum: si hunc amittis, regnum amisisti.

Infirmitas spiritualis. Sed nunc attende, an infirmatus sit filius tuus. Sicut Simile. infirmatur corpus, cùm calore extraneo inflammatur, cùm vires deficiunt, cibus non esuritur: ita cùm non esuris iustitiam, cùm fastidis orationem, Sacramenta, piam *Signa infirmitatis spiritualis.* lectionem, & reliqua bona opera, infirmatur filius tuus. Sed accede ad Christum, priusquam moriatur; & fac; quod Paul. monet: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo*, id est, tentationis. Si laborem non sentis, cùm tentaris, euenit tibi, quod impudicæ mulieri, Simile. quæ non affligitur, cum in malum sollicitatur: casta verò sentit; & affligitur. An non affligenda anima, cùm videt in dubio esse, an Deum amittat? in dubium reuocatur, an Deus amittendus sit? quid laboris non sentiat, qui nouit, quantum bonum Deus sit? Accede ad Christum, priusquam filius moriatur. *Si crescit tentatio, crescat oratio*. Proijce ad te pedes eius, & dic: *Descende, priusquàm* *Isa. 38.* *moriatur filius meus.* Et, *Domine, vim patior, responde pro me* & sanabit Christus filium tuum; & liberabit te à die malo.

Sed assensum præbuisti tentationi? superest remedi-
um.

um. quia licèt peccaueris, incipias mori. Duplex est mors, sicut & vita : mors peccati, & mors secunda, peccare, est incipere mori in inferno; sicut viuere vita gratiæ, est incipere viuere in cælo. Nihil tristius peccatore, qui aliquādo Deū gustauit. Sed audi remediū *Venit Iesus à Iudæa in Galilæam*, è cælo in terram. Traxit verò eum clamor Sanctorum orantium: *Descende, priusquam moriatur genus* humanum. Hoc petebat Dauid. *Domine inclina cælos, & descende.* Hoc & Isa *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes* Sicut ergò eum clamor traxit in terram, ita clamor trahet eum ad te *Clama, ne cesses*; eiula, & plora, & viuet filius tuus. &c.

Tentationis remedium. Comparatio. *Psal 17 & 106.* *Isa. 6.* *Isa. 40. & 58.*

IN EADEM DOMINICA.

THEMA : *Erat quidem Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Ioan. 4.

PROPONITVR nobis in Euangelio modus quęrendi remedium malorum omnium. Peccator enim Babylonico calice, abominatione pleno, soporatus, putat se diuitem, cùm non sit; & sanum, cùm infirmus sit. Fides igitur excitat, vt quæratur. In Christo illud quærendum est : oratione verò obtinetur: & verbo Christi omnia mala pelluntur. Infirmatur Reguli filius, nec medici eum curare potuerunt. Infirmo verò filio remedium quærit Regulus, non à Pythonibus, sed à Christo. Increpatur ab eo, sed increpationi Dei proxima est eius misericordia; statimque ait: *Vade, filius tuus viuit*. Felix malum, quod tanti boni causa est Non affligit Deus, nisi vt plurima bona pro parua tribulatione præstet. Sic Ioseph iocatur cum Beniamin dilecto ex summo amore, & dulcedine pleno.

Modus quærendi malorum remedium, & obtinendi. *Apoc. 3.* N. B Simile allegoricum. *Genes. 44.*

Infirmitates verò corporis immittuntur, vt per eas animi morbos videamus: cùm enim coporalis infirmitas effectus peccati sit, illud nobis manifestat. Sed qualis nobis hodie proponitur infirmitas? FEBRIS. vt per eam agnoscamus animæ febrim Sed quid febris est? Inordinatus calor circa cor accensus, qui inde procedens totum corpus occupat: sed inpulsus inordinato motu præcipuè agnoscitur. Principium febris solet esse frigus nimium,

Infirmitas corporalis peccati effectus est.

Febris natu- & terminus eius calor nimius. Ita principium omnis ma
ralis & spi- li frigiditas spiritus est. Et quemadmodum correptus fri-
ritualis com gore nihil valet operari: ita cum te videris vacantem
paratio. à bonis operibus, agnosce appropinquare febrim morti-
1. ferã. Huic frigori proximè succedit excessus caloris, qui
2. febris est, qua incipit homo mori. Ordinatus enim calor
Exempla vivificus est, inordinatus verò febris est. Vis videre febri-
2.*Reg* 13. citantem? Vide Amnon languentem præ desiderio Tha-
Esth.2 5 6. mar; & Aman præ desiderio honoris. Et quemadmodũ
Iudith.1. febricitans cogitat fõtes, riuos, flumina; ita tu cogitas reg
Isa.14. na, diuitias, honores, voluptates: dicisq; in corde tuo; Si
Dan.4. essem dux, vel rex, vel diues; hæc & hęc facerẽ. Verè febri-
3. citas cogitans inania, ardes inordinata cupiditate, inci-
N.B. piens ardere igne inferni. Agnoscitur febris ista in velo-
4. ci pulsus motu. Amor enim inordinatus diuitiarum, ho-
Aug lib.1. norum, ac voluptatum facilè deprehenditur in sollicitu-
conf c.1. dine nimia tẽporaliũ, in laboribus plurimis, vt honores
Isa. 57. & diuitias acquiras. Et quemadmodũ febricitans nullibi
Non est pax quiescit; ita nec peccator: quia affectum non collocat in
impijs. Deo, qui finis eius est. Febris etiam gustũ inficere solet,
5. vt fastidiat febricitans optimos cibos, esuriat verò noxi-
6. os: ita peccator fastidit manna, verbum Dei, orationem;
Num.11. porros verò & cepas Aegypti esurit, ludos, comessatio-
nes, inania verba.

Hieron.in Sed cuius conditionis est hic febricitans? & quo loco
Matth 11. in febrim incidit? Certè iuuenis est, filius Reguli, & in Ca
Pro.1. pharnaum febricitat, quod interpretatur, villa pulcher-
Phil.4. rima, vel villa consolationis. Non ergò mirum, quòd fe-
Aug lib.18. bricitet. Nam, vt Sap. ait, *prosperitas stultorum interficiet*
de ciuit. Dei *illos*. Nouit quidem vir perfectus in prosperitate mo-
c.17. dum tenere: sicut D. Paulus, qui ait: *Scio humiliari, scio*
Prosperitas *& abundare; & satiari & esurire: & abundare, & penuriam*
homines de- *pati*. sed quàm sit hoc difficile, ostendit exemplum pro-
cit. pè innumerabilium, qui prosperitate ac rerum abundan
2.*Par*. 24. tia perierũt, & pereũt. Quid Ioas Regẽ perdidit, nisi pros-
& 26. peritas? *Cũ roboratus esset, eleuatũ est cor eius in interitũ suum, et*
Iudith 1. *neglexit dominum Deum suum.* Quid Nabuchodonozorem
3 *Reg*. 11. superbire fecit, nisi victoria contra Arphaxad Regem
2 *Reg*. 24. Medorum *tunc* enim *eleuatum est cor eius*. Quid Salomem
Hieron.in deiecit, nisi prosperitas nimia? Quid Dauidem nisi feli
Matth.23. citas victoria inimicorum, & multæ diuitiæ? In Caphar-

naum

naum ergò infirmatur Reguli filius, quia in prosperitate homo perire solet. Capharnaum fuit ciuitas, in qua plura miracula Christus fecit, adeò vt ei dicerent Nazareni: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua!* Et nihilominus Christus ait, ciues illius parùm profecisse verbis & miraculis suis; adeò vt diceret: *Et tu Capharnaum nunquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendens: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem.* Grande igitur malum est in Capharnaum infirmari, sed grauissimum est Dei verbis non commoueri. Induratur cor hominis prosperitate, vt Deum non audiat. Sicut verò prosperitas à Deo separat, ita tribulatio ad Deum trahit: sicut Regulũ traxit ad Christum. Prosperitas efficit, vt homo Deum & seipsum non agnoscat: tribulatio facit, vt se & Deũ cognoscat. Sic flagellatus Nabuchodonozor Deum agnouit. Idipsum & Antiocho accidit, qui se non agnouit donec à Deo percussus est. Et quod in temporali prosperitate accidit: ita quoque in spirituali euenit. Sic Dauid ait, *Ego dixi in abundantia non mouebor in æternum*: elatus superbia est, & ideò permissus est cadere. Ideò vtilis est tentatio, ne prosperitate pereat.

Luc. 4. — *Matth 11.* — *Tribulatio salutaris est.* — Exempla. *Dan. 4.* — *2. Mach. 9.* — *Bas. in Psal. 37* — *Psal. 29.*

Infirmus est Reguli filius, venit ad Iesum; *& rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius*. Putabat non nisi præsentia Christi suum posse sanari filium. Infima fides Reguli est, & ideò à Christo increpatur; contrà magna Centurionis fides, & ideò laudatur. Regulus petit vt in domum eius veniat, & noluit: ad Centurionis verò domum properat nõ vocatus. Quia mundus honorat eum, qui diuitijs & nobilitate magnus apparet; at Christus eũ, qui fide maior est. *Nonne pauperes elegit in hoc mundo, diuites in fide, hæredes regni?* Si ergò coram hominibus minimus es, nihil cura: virtutem amplectere, & eris magnus in oculis domini.

Fides infirma. — *Reguli et Centurionis collatio* — *Greg. hom. 28 in Ioan. 4* — *Iac 3.*

Attende etiam imperfectam Reguli orationem *Descende*, ait, *vt filium sanes*. Non solùm salutem petit, sed modum præscribit, dum petit vt descendat. Petenda à Deo salus est, sed non ei modus præscribendus, quo salutem donat. Hinc Iudith ait: *Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs iram. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis*

Oratio imperfecta. — *Iudith. 8.* — *Chrys. hom. 6. in Tit.*

Genes..12. & 22. Heb.11. Dan. 13. Psal. 36. 2.Par.20. Hora sanitatis.

istis ei. Fides credit, & sperat à Deo remedium; modum non prescribit, sed Deo relinquit Sic exijt Abraham nesciens quo iret: credidit filij posteritatē, cùm eū duceret in mortem. Sic *erat cor Susannæ fiduciam habens in domino,* cùm nesciret, qua via liberari posset. Hæc Fides magna Deum deuincit, vt magna conferat beneficia. Tu ergo si magna vis esse fide, *reuela domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.*

4. Reg.4. 4. Reg. 5. Hugo Cardin in hunc locum. Horæ septimæ mysterium.

Sed qua hora sanitati restituitur infirmus? *Hora septima reliquit eum febris.* Sacrum aliquod mysterium in hoc septenario absconditum est. Nam filius Sunamitis, vitæ restitutus *septies oscitâsse* dicitur: & Naâman leproso mandatur: *Lauare septies in Iordane.* Et Psal *Septies in die laudem dixi tibi.* Hora septima media est inter sextam & nonam. Hora 6. crucifixus est Christus, hora 9. expirauit hora ergò septima, fuit in cruce. Erat ergò humanum genus ægrotum, quod nemo sanare poterat. Descēdit ergò Christus à cælo in terram, & hora septima, qua in cruce fuit, hominem sanitati restituit. Summa verò fuit Christi in nos misericordia, cùm ibi dolores sustinuit, quos nos tolerare debuissemus. Et sicut nutrix amaram sumit potionem, vt infirmus infans, qui præteneritudine eam sumere non potest, in lacte suaui eam sumens saluti restituatur: sic Christus calicem passionis pro nobis bibit, tanquam nutrix; & posteà in lacte suaui facilis pœnitentiæ peruenit ad nos virtus calicis Christi, & applicatur nobis meritum & satisfactio Christi, & ita nos sanamur.

Simile. Sanationis nostræ modus. Simile. Pœnitentia facilis.

Dic obsecrò, si cuilibet infirmo in corpore nunc diceretur: Vt sanitatem consequaris tantùm opus est, vt doleas de infirmitate tua, & eam medico dicas: an nō illa facilis iudicaretur medicina? Quis vel ad horam ægrotaret? Cur igitur non facilis iudicabitur, vt animæ salutem consequaris, & febrem pestiferam peccati cures pœnitentia? in qua illud solùm à te exigitur, vt doleas de peccato, & illud confessario manifestes. Rectè Paul *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem,* oblatam nobis tam facili ac suaui pœnitentiæ medicina?

Hebr. 2.

Sed audi effectum miraculi Christi: *Credidit ipse & domus eius tota* Beda notat triplicem statum fidei in Regulo Incipientem, cùm venit ad Christum, cuius præsentia, & non aliter, existimauit suum posse sanari filium. *Profici-*

Beda hic.

entem,

entem, cùm credidit verbo Christi, & sic credidit, quod absens sanari posset, *Perfectam* verò *& viuam*, cùm *credidit ipse, & domus eius tota*. Hæc fides viua hominem salu- luat. Ideò nobis orandum est cum Apostolis: *Domine adauge nobis fidem*. De hac perfecta fide dicitur: *Vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Et; *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam*. Hac enim fide primùm assentimur reuelatis à Deo, ipso Deo interius inspirante: qua non credimus, vt dæmones, qui credunt, & contremiscunt (illi enim ea fide agnoscunt Deum hostem) sed qua Deum agnoscimus vt Patrem, & superiorem, & ei nos subdimus. vt Deo obediamus, & mandata eius obseruemus. Deinde hæc fides viua confidit ac sperat in hoc Patre ac Saluatore, quòd ab eo recipiet bona cuncta gratiæ & gloriæ: & hinc prouenit exultatio illa, de qua Petr. *Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum*. Qui vero tantorum bonorum spem concipit, abstinet se ab his, quæ impedimento esse possunt consecutioni tantorum bonorum. *Omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ipse sanctus est*. Et hanc spem vocat Paulus ANCHORAM, quæ non in imis, sed in supernis tanta figitur certitudine, vt nullis procellis dimoueri possit. Hac fide perfecta atque formata *credidit Regulus, & domus eius tota*, quæ fidem domini sui imitata, Domus verò nostra tota credit, cùm vniuersa, quæ in nobis sunt, huic fidei seruiunt, ac ministrant &c.

Fides viua.
1.
Luc.17.
Ioan 3.
Ibid.
Iac.2.
2.
1.Petr.1.
N.B.
1.Ioan.3.
Rom 9.
Hebr. 6.
Anchora spei.

DOMINICA XXI POST TRINITATEM.

THEMA: *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; de cordibus vestris: &c.* Matth. 18.

IN hoc Euangelio ostenditur existenti in Ecclesia per fidem, necessariam esse charitatem, quę vsq; ad inimicos extendatur, sine qua Deo placere non possumus, inuocemus. &c.

Charitatis necessitas.

Dicitur verò initio Euangelij Ecclesia *regnum cælo-*

rum

Ecclesiæ monarcha cæle stis. rum, quia illa cælestis est, & de cælo eius leges & ordo venerunt. Alia enim regna ex hoc mundo traxerunt originem: Ecclesiæ verò monarchia cælestis est. Verè enim Christus dilexit Ecclesiam, & eam *sibi gloriosam exhibuit,* quia sponsam eam sibi voluit esse. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Et Balaam: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel?* & cæt. Quæ quidem de Synagoga dicta sunt; sed de Christi Ecclesia multò præstantiora. Hinc Psalmista *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Ecclesia ergò Christi regnum cælorum est, quæ quia Deo similis est, Deo vt in misericordia assimiletur oportet. *Parcere & misereri, Deo proprium est:* in hoc ergò ipsi nos similes præstemus. Hoc intendit hodierna parabola hominis Regis, qui debitum 10000. talentorum dimisit, & iratus est in seruum, qui alteri non dimisit.

Apoc 21.
Ephes.5.
Psalm 86.
Num, 24.
Psalm.86.
Ecclesia Deo similis esse debet in misericordia.

Peccatum debitum est. *Matth.6.* Peccatum debitum est: hinc oramus: *Dimitte nobis debita nostra.* Nec solùm debitum est, sed talenti debitum, id est, maximum debitum, & debitum decem millium talentorum, quod summum est. Hoc enim summum hominis debitum, cùm peccata ad summum peruenerunt: & tantùm, tamque infinitum, vt si illud omnes creaturæ soluere tentarent, nequaquam possent. Quia per peccatum fit homo debitor, non sui tantùm, quem à Deo abstulit, sed & diuinitatis ipsius. Sicut si seruus in coronatione Regis coronam à capite eius auferret, & alteri seruo imponeret; regnum ei abstulisse dicitur: sic tu cùm mortaliter peccas, Deo hanc regni coronam, hunc vltimo fini & Regi tuo debitum honorem aufers, & dilectionem Deo tuo debitam, creaturæ tribuis, propter quam Deum derelinquis: & sic diuinitatem ei surripuisti. Est enim peccatum mortale participatio idololatriæ, & idololatria quædam spiritualis qua illud efficis, quod Paulus ait: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in gloriam corruptibilis hominis.* quia gloriam Deo tribuendam, creaturæ tribuis.

Homo debitor sui & diuinitatis.
Simile.
Peccatum idololatria est.
Rom.1.

Christus ob soluenda debita venit. Hinc verò illud effectum est, vt oportuerit Christum hominem fieri, & pati, vt plenè huic debito fieret satis. Ille enim Deus cùm esset, Patri se pro nobis obtulit. Et sic ut Deum abstulimus, sic Deus redditus est, vt & iustitiæ

Dei satisfieret: & disruptum est chirographum debiti nostri,& damnationis nostræ, affixumque cruci. Si dum peccas attenderes chirographum, quod manu tua subscriptum das,quo te deuincis,vt æternas pœnas subeas, non tam facilè peccares. Sed nunc peccans similis efficeris homini, qui debitis onerari minimum ducit, nec attedit se non esse soluendo, & hinc inde pecuniam exigit à creditoribus:posteà in carcerem traditur. *Amen dico tibi, inquit Saluator, non exies inde, donec reddas nouißimum quadrantem.* *Coloss. 2.* *Chirographum peccatoris.* Simile.

Sed iam attende infinitam Dei misericordiam erga peccatorem, qui coram eo humiliatur. Nam *cùm oblatus ei esset seruus debens decem millia talenta, & ille procidens diceret: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; misertus Dominus serui illius dimisit eum,& debitum dimisit ei.*: Quibus verbis ostenditur veritas illius, quod Paulus ait: *Qui potens est superabundanter facere, quàm petimus,aut intelligimus.* Petebat iste debitor duntaxat tempus, vt solueret, & condonat ei vniuersum debitum. Infirmitate grauaris,& oras Deum dicens. Concede mihi vitam, vt peccata pænitendo deleam.& delet Deus statim peccata,& insuper vitam reddit. *Misericordia Dei infinita.* *Ephes 3.* N. B.

Sed dubitas,quomodo tantum debitum adeò facilè remittitur? Summè hoc facto Deus misericordiam suam commendat, ac dilectionem: Leue quid in hominem admisisti, etiam in fratrem, aut patrem,& matrem,& difficillimè veniam impetrare potes:& in Deum ingentia facinora perpetrasti, & vna fusa lachrymula,in momento veniam consequeris. Vix adulter & homicida Dauid ait: *Peccaui Domino* & statim audit, *Dominus transtulit peccatum tuum;non morieris.* Hoc Dei ingenium nouerat Ionas,ideò noluit ire in Niniuen. Hinc dicit: *Scio enim, quia tu Deus clemens & misericors es,patiens,& multæ miserationis, & ignoscens veniæ super malitia.* Cõparatio. *2. Reg. 12.* *Ion. 1. & 4.* *Vide Fer. 5. post Dom. 5. Quadrag.* *Ioel. 2.*

In hac verò facilitate duo Deus intendit. Primò nobis benefacere. Secundò exemplar regulamque nobis proponere,vt cùm fratribus nostris misericordes simus,eisq; ignoscamus. Indiges,ô homo,magna Dei misericordia? mea quotidiè recipis,disce ergò à Deo tuo misereri *Esto te misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors* *Vide Fer. 5. post Dom. 5. Quadrag* *Veniæ facilitas cur in Deo tanta.* *Luc. 6.*

Matth.5. Iacob. 2. Eccles 28.

est. &c. Illud tibi certum sit: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et illud *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* De qua re Sap. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.*

Mensura remißionis.

Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse, dum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento nouißimorum, & desine inimicari. Hinc Paul. monet; *Induite vos ergò sicut electi Dei sancti viscera misericordiæ, benignitatem &c. supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam; sicut Deus donauit nobis in Christo.* Ecce mensuram, cuius comparatione iudicandi sumus. Attende mensuram rectam, Christum in cruce orantem pro inimicis crudelissimis, antequam spiritum in Patris manus commendet, vt ostendat, prius reconciliandos nos fratribus esse, quàm spiritum Deo offeramus. Attende quoties tibi peccata dimisit, vt inde discas misereri & parcere. O immensa charitas, misericordia infinita! In spinosa cruce Christus, saturatus opprobrijs, charitatem nos docet, vt è cathedra. & impletur illud Ierem. *De excelso, id est, de vertice crucis, misit ignem in oßibus meis, & erudiuit me.*

Coloss. 3. Rom 12. Matth.25. Lucæ 23. N. B. Cathedra Christi charitatem docet. Thren.1.

Crudelitas serui.

Sed iam crudelitatem eius, qui non nouit dimittere, attendamus, mirè in Euangelio expositam. *Egressus seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios* &c. Primùm attendenda est mira hominis vicissitudo, & quàm alter est à seipso breui temporis intercallo. Attende seruum istum, qui paulò antè humilis erat, & procidens, nunc adeo superbus est, vt suffocare velit conseruum. Sic videbis hominem coram altari adeo humilem & deuotum, vt eum cælestem dicere possis: sed inde egressus, & minima lacessitus iniuria, Lucifero persimilis est. Ecce Iudam nunc Apostolum, & cùm Christo manducantem; & statim proditor factus est. Et Petrus multa promittens, statim negat Caue mutationes tantas, & in bono perseuerare stude.

1. Vicißitudo hominis. Comparatio. N. B. Exemplum stupendum.

2. Debiti differentia.

2. Huic debebantur 100. denarij, ille debebat 10000. talenta. Multum profectò interest inter hęc debita: & hoc ipsum interest inter culpam in Deum commissam, & iniuriam

iuriám homini irrogatam. Offensa enim creaturæ, si Dei offensæ conferatur, nihil est ratione diuinæ excellentiæ: cui collata omnis creatura, nihil est censenda. Pessima profectò culpa est, qua Deus omnipotens offenditur, sed attende diuinam Maiestatem infinitam, longanimitatem,& misericordiam,quasi cæcus esset,aut impotens dissimulat peccata hominū,tanquam omnipotēs & misericors plura sustinet,diu expectat, multū tolerat: non facit furorē irę suæ,vt disperdat. Sed & hac ratione peccatū vitare debemus maximè. quia sicut sustinet plurimum,quia omnipotens; ita cùm vlciscitur, tanquam omnipotens vlciscetur infinito tempore. Omnipotens condonat,omnipotens punit.

Talentum nomen est ponderis 60. minarum, seu 6000. drachmarū.

3. Attendendum verbum illud, *Suffocabat*; Conseruus erat,& tamen suffocabat eum Summa crudelitas inter fideles,inter conseruos,inter fratres,& tanta, vt dici possit à Turca & Barbaro tantam non inferendam. Quis hostium cum Ioseph faceret,quod fratres fecerunt? Deinde hoc verbum,*Suffocabat*, respicit præcipuè dominos & principes mundi. Estne aliquis, qui plura receperit à Deo,cui plus condonatum sit,quàm Princeps? Plus hi delinquunt in Deum, & illis ignoscit:& tamen ipsi crudeles sunt alijs, suffocant sibi subditos, & reliquos omnes conculcant. Hinc Iac. *Nónne diuites per potentiam opprimūt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?* Ex his, *quæ passus est, didicit Christus misericordiam*; tu eandem disce ex ea,quæ tibi confertur: & noli destruere pontem misericordiæ, quem transisti. Sed obserua Christi rationem efficacissimam. Nunquid non dimitteres 100. denarios,vt tibi 10000 talenta dimittantur! Hoc ipsum tibi nunc accidit. Lacessitus es iniuria; debet tibi inimicus vitam, honores &c. Quanta hæc sunt, quæ temporalia sunt. Tu in Deum peccâsti. æternas pœnas debes in inferno subeundas. Dicit tibi Deus: Remitte temporale, remittam ego ęternum; quod mihi debes: quod si nō remiseris, nō remittā. Quis, nisi amens, paruum debitum non remittat, vt ab infinito liber sit?

3. Immisericordia barbara.
Exemplū.
In crudeles Principes et dominos.
Iac 2.
Heb. 5.
Comparatio.
N. B.
Simile.

4. Sed non solùm peccata non dimittuntur ei, sed & dimissa redire videntur: cùm enim Rex dimisisset 10000. talenta postea ait: *Iratus Dominus, tradidit eum tortoribus, quod vsque redderes vniuersum debitum.* Redire autem di-

4. Peccatorum reditus.

Peccata quomodo credeant. cuntur peccata (licèt *sine pænitentia sint dona Dei*) 1. quia peccator in pristinum statum auersionis redit. 2. propter ingratitudinem, quam committit peccans nūc post remis-
1. sionem peccatorum præcedentium; ex qua fit, vt quo-
2. dammodo illa peccata redeant, dum ex illis dimissis ag-
12. q. 2. grauatur culpa delicti præsentis, 3. singulariter per odi-
c. episcopus qui manc. ex conc. Tol. cap. 4. um fratris. Quia non solùm est ingratus peccator Deo, qui remisit: sed specialiter facit contrà formam remissionis, qua, petenti ipsi remissionem, donata est à Deo; ipse verò, à quo remissio petitur, non vult eam donare.
3. Tam graue autem est peccatum odij fraterni, vt propter
Grauitas peccati odij fraterni. hoc ita homo puniatur, ac si vniuersa peccata admisisset. Summè ergò illud nobis cauendum est. Nam duriter seruum, cui 10000. talenta dimiserat, obiurgans ait. *Serue*
Christus grauius fert iniurias nostras quàm suas. *nequam, omne debitum dimisi tibi, &c.* ostendens se pluris facere iniurias nobis illatas, quam sibiipsi. Eiusdem sceleris graue piaculum ostendit, quod Christus ait: *Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valdè, & narrauerunt domino suo* docens non Deo solùm ingratum esse, sed & omni creaturæ, quæ ideò te accusat apud Deum,

Ait verò: *Tradidit eum tortoribus.* In hac vita, & in fu-
Luc. 6. tura. Quia *Eâdem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vo-*
3. Reg. 21. *bis.* Hoc fassus est Adonibezec dicens *sicut feci, ita reddi-*
22. *dit mihi Dominus.* Idem experti Achab & Iezabel quorū
Iudic. 1. sanguinem canes linxerunt. In alio verò sęculo tortores
4. Reg 9. sunt dæmones, tradendi sunt peccatores, donec reddāt vniuersum debitum: quod cùm in æternum reddere non valeant, æterna erit eorum cruciatio.

Ex quibus colligitur, in nostra esse potestate, Deum nobis misericordem aut vindicem (si ita loqui licet) facere. Vis Deum tibi misericordem? esto misericors; Si verò crudelis extiteris in proximum, crudelem tibi Deum futurum crede.

IN EADEM DOMINICA

THEMA: *Nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Matth. 18.

CVM *plenitudo legis dilectio sit; & qui diligit proximum, legem impleuit*: mirandum non est, si hac de re sæpiùs tractetur. Hanc verò legem sancti præcipuè maximè implent: summè omnium. Maria, quæ à misericordijs sibi collatis didicit nobis misericordiam conferre. Fiducialiter ergò ad eam accedamus. Aue Maria. *Rom. 13.*

Duo hodiè expendamus mirabilia in Euangelio. quæ sibi aduersari videntur, conueniunt verò maximè. 1. proponit Christus nobis misericordiā suam in exemplar misericordiæ nostræ, cum ait: *Nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Sicut alibi ait: *Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est*. II. est, quòd misericordiam nostram dicit ille mensuram esse misericordiæ, qua in nos vsurus est: dum ait: *Sic Pater meus cæ. estis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo* Mirum profectò artificiū in duobus illis verbis, SICVT & SIC. In priori ostenditur nobis exemplar miserendi: in posteriori, mensura misericordiæ, quam nobis Deus præstabit. Opera sua regulam facit operum nostrorum; & opera nostra mensuram efficit bonorum, quæ in eis effundet. Priori nos deuinxit maximè, vt misericordia magna ac perfecta præditi simus, quoad animam; cùm etiam perfectionem maxima cura quæramus in ijs, qua corpus spectant: anima verò corpore multò est pretiosior. Hæc verò perfectio in charitate & misericordia esse debet. Hæc enim summa est Christianæ legis; & propter hanc Christus ait: *Estote & vos perfecti, sicut Pater vester cælestis.*

I. Misericordia Christi.

2. Misericordia nostra regula est misericordiæ diuinæ.

Opera Christi nostrorū operum norma.

Matth. 5.

Sed quia diuina misericordia nobis proponitur in exēplar, videamus eius modum & ordinē, duasq; cōditiones expendamus, quas in Euangelio proponit, vt eas imitemur, dum ait: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me.* Prior est, quæ ostenditur illo verbo, OMNE DEBITVM: Omne enim peccatorum genus ignoscit, & omnem eorū numerum etiamsi 10000. talenta sint. Nullum enim

Misericordiæ diuinæ duæ conditiones.

Nullum peccatum irremißibile in hac vita.

in hac vita peccatum est irremissibile, licèt peccata grauissima sint, licèt numero multa, licèt iterato patrata. *Si fuerint peccata tua, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur* licèt peccaueris *super numerum arenæ maris*, tibi remedium est. Nunquid peccata nostra misericordiam Dei euacuabunt? Minimè. Accede tu supplex ad Deum, & dic: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*: & dimittentur vniuersa peccata tua. Maior est misericordia sua debitis tuis. En, domine, ad pedes tuos est inimicus tuus, quid ei facies? Petis, ô homo, tempus, vt mihi persoluas? ego condono tibi debita vniuersa. O infinita Dei bonitas! Sic Ioseph fecit cum fratribus suis. Quid mirum: *Aduocatum habemus apud Patrem* IESVM CHRISTVM *iustum*, qui nos defendat, & excuset. Accusa tu te, ille te excusabit, ille cōdonabit. Sed si aduocatus iustus, quomodo tuetur iniustam causam meam? Ille iustitiam tibi donabit, & causam tuam iustam reddet: ipse enim persoluit debita tua; & merita sua tibi donat coram Patre. Vnde putas dicere hunc seruum, *Omnia reddam tibi*? Vnde habes, ô homo, vt tantum reddas debitum? A Christi gratia & eius meritis participatis habet, vnde omnia reddat. Potest enim pro sua inobedientia Christi obedientiam dare, pro suis peccatis merita Christi. Omnia quoq; reddit, qui vniuersa, quæ habet, dat: sic Paul. monet; *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem; ita exhibete nunc seruire iustitiæ in sanctificationem*. Verè igitur & in tempore pœnitentibus misericordia Dei tanta est, vt dicat: *Omne debitum dimisi tibi*; nihil enim non illis remittitur. Quod mirum valde est, si attendamus grauitatem culpæ, quæ in Deum committitur, ingratitudinem peccatoris, & contemptum Dei, & quàm facilè sine dispendio vlcisci posset Deus in peccatores.

Gen. 45.

Christus iustus quomodo iniustam causam tueatur.

N. B.

Rom. 6.

Iniuriæ omnes dimittendæ.

Obiectionū solutio. Vide fer. 6. post Ciner.

En exemplar nobis propositum miserendi. Misericordia vtêris vniuersali in omnes, qui te læserunt, siue in corpore, siue in substantia, siue in honore. Quidam facilè remittunt acceptas in substantia iniurias, vel etiam in corpore, sed nō in honore. Si verò Deū imitari vis, omnem remitte iniuriam, sicut ille omne peccatum. Sed obijcis 1. vile abiectūq; esse iniuriam condonare. Nū tibi ingloriū erit, quod Deo gloriosissimum est, Num inglorium fuit

1. Gen 27. 28. 2. 33. 2. Reg. 16.

Daui-

Dauidi, quòd Semei pepercerit? Num vilis & abiectus Io- *Genes. 45.*
seph, qui fratribus ignouit? Obijcis 2. Iam remisi illi semel 2.
aut bis; hoc satis esse debet. Nequaquam: *septuagies septies* *Matth. 18.*
remittas oportet, sicut Deus tibi. Obijcis 3. Abutetur ille
patientia mea, & in peius proficiet. Attende Deum, qui
misericordia vtitur, licèt ea plures abutantur: tu bonum
tibi cura; sit ille, qui volet esse 4. demum obijcis: Non ig- 3.
noscit Deus ei, qui se non agnoscit. Ita est; in amicum 4.
eum non suscipit, sed multa ei bona confert, vt se agnos- *Prou. 25.*
cat: ita tu cibans *inimicum, carbones ignis congeres super caput* *Rom. 12.*
eius.

Secunda proprietas diuinæ misericordiæ est, *Quoniam* *2. proprietas*
rogâsti me. q. d. sine vllis tuis meritis sed sola bonitate mea; *diuinæ mise-*
attamen non sine dispositione & humiliatione; sicut huic *ricordiæ.*
remittitur debitum prostrato, & oranti; *Patientiam habe in*
me. Peccator es? mereri non potes: orare tamen & suppli-
care potes, & Deus ita misericors est, vt tibi oranti & pro-
strato peccata dimittat. ideò dic: *Deus propitius esto mihi pec* *Lucæ 18.*
catori Quòd si oratio tibi arida apparet sine meritis, & me *Merita Chri-*
rita proponere vis, propone merita Christi infinita. Ex *sti.*
hac Dei misericordia, disce tu misereri fratris, etiam sine *Genes. 50.*
meritis ipsius; sicut patris amore Ioseph fratribus ignos- *N. B.*
cit. Satis tibi sint merita Christi in te, vt propter illum par
cas. Et sicut præcipit tibi, vt miserearis conserui; ita præci-
pit omnibus conseruis, vt tui misereantur. Vnam præstas
misericordiam tu, & mille tibi rependuntur.

Vidimus primum, quomodo scilicet Dei misericor- *II. Pars.*
dia exemplar sit nostræ: iam secundum videamus, quo-
modo scilicet misericordia nostra mensura sit diuinæ in
nos misericordiæ: quia *qua mensura mensi fueritis, remetie-*
tur vobis. Misericordia tua mensura est bonorum, quæ pro
ximo præstas: in hac mensura tibi tribuenda est diuina *2. Cor. 9.*
misericordia, vt sicut seminaueris, ita & metas. *Ignosce tu,* *Galat. 6.*
& tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Ignosce quod mi-
nus est, vt tibi ignoscatur, quod maius est Pro parua venia
& misericordia tua, magna tibi misericordia dabitur. No-
li occasionem prætermittere. *Si enim non demiseritis homi* *Matth. 6.*
nibus, nec Pater meus dimittet vobis. Ex quo infertur, dulcis- *Multa ignos-*
simum debere homini esse, quòd multa habeat, quæ ig- *cere homini*
noscat: vt multa vsus misericordia maximam à Deo reci- *dulcißimum*
piat. Sicut enim misericors gaudet viso inope, quia nactus *erit.*

est occasionem miserendi: ita qui diuinam misericordiam exoptat, lætari deberet multis acceptis iniurijs, vt multa habeat, quibus Deum sibi deuincire possit. Et hinc saltem inimicum dilige, quia tibi misericordiæ materiam subministrat. Sicut ergò præposita misericordia sua, vt exemplari, nos Deus deuinxit, vt misericordes simus; ita efficiens misericordiam nostram mensuram suæ, se deuinxit, vt misericordibus misericordiam præstet, & *mensuram bonam & supereffluentem* nobis donet.

Cōparatio.

Crudelitatis mala.

Vidimus hucusque misericordiæ bona, nunc verò considerandâ sunt crudelitatis mala, & quæ maneāt supplicia eum, qui vindicare vult. Hæc verò in Euangelio mirè descripta sunt. Ait enim: Tenens *suffocabat eum* &c. *Videntes autē conserui, quæ fiebant, narrauerunt Domino suo*: quia *Angeli eorū semper vident faciē Patris mei.* Angeli eis sunt, qui læduntur, cum eos lædis. Si igitur iniuriam proximo intuleris, Angelus eius loquetur coram Deo & contra te, vt in Zacharia fecisse legitur. *Narrauerunt*, inquit Christus, *Domino suo*. Nouerat ille, & viderat: sed cùm audit, tunc præcipit eum vocari. Faciliùs tolerare videtur Deus, quæ videt, quàm quæ audit. Cùm enim pauperum quærelas audit, sustinere non potest, quin vindictam sumat. Sic ait ad Cain: *Ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra.*

Zach. 1. et 2

Genes 4.

Immisericordes ociùs puniuntur.

Tunc vocauit illum Dominus suus. Tunc, statim cùm malum perpetrauit. Quàm breue tempus impio conceditur in malum? *Tunc, cùm dicunt pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus.* sed citiùs in immisericordes sententia fertur. Quia *viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Aman cogitans vindictam in Mardochæū suspensus in cruce est. Pharao Israëlem persequens suffocatus est, & *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Hinc Isa. *Quoniam subitò dum non speratur, veniet contritio eius, & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli, contritione præualida.* O si profunda consideratione attenderemus illud TVNC, adeò breue, nec differre conuersionem auderemus, nec vindictam sumeremus.

Psalm 54.

Exod. 14. & 15.

Psalm. 9.

Isaiæ 30.

Tortores.

Vide Iob 41. Quis reuelabit faciem indumēti eius? &c.

Et iratus Dominus tradidit illum tortoribus &c. Sed quibus? Horribilibus & formidandis carnificibus, quorum vel nomen solùm horrorem incutit. Si verò carnifices huiusmodi sunt, quanta obsecro erunt tormenta miserorum, qui illis traduntur? Abi in carcerem, & vide tormenta, quæ

ta, quæ malefactori dantur. Sed paruo hæc durant tempore: quid erunt inferni tormenta, quæ in æternũ durabunt? Si tormenta illa sustinere non vales, remitte iniuriam. *Sic enim Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis* Ingens est peccatum odij fraterni, quod Deus tam seuerè punit. Sicut te habueris cum proximo, ita se tecum habebit Deus. Remittis 100. denarios, remittit ille 1000. talenta. Quis vestrûm est, qui non peccauit? Indulge ergò, vt indulgentiam percipias. Si dicis, Durum hoc est: sit ita. Non vis ignoscere, non remittetur tibi. Vnus est misericordiæ pons, per quem in cælum transire potes: illum destruis! non pertransibis, nec diuinam assequeris misericordiam.

IN EADEM DOMINICA

THEMA: *Simile est regnum cælorum homini Regi. &c.* Matth. 18.

DIXERAT Christus superius hoc cap. *Si peccauerit in te frater tuus*, si tibi malum intulerit, caue ne tu malus efficiâre, imò curandum tibi est, vt adeò bonus sis, vt lucreris fratrem tuum, & dimittas ei non *vsque septies, sed septuagesies septies*: & quia hoc durum videri posset, audi similitudinem, qua videas id durum non esse. *Remittere fratri durum non est.*

Simile est regnum cælorum. &c. Ecclesia regnum cælorum nuncupatur, quia filij eius, licet in terra versentur, in ea peregrini sunt, eorum verò patria & ciuitas habitationis cælum est, Estis igitur ô fratres ciues sanctorum & domestici Dei? ideò cogitationes & mores cælestes habere debetis, nec vnquam degenerare à Dei filijs. Et quando vtile aliquid tibi dæmon obtulerit, dic: Non decent hæc filium Dei, ciuem cælestem; imò imitari Deum debemus: sic monet Paul. *Estote ergò imitatores Dei, sicut filij charißimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Hæc nobis Dei dilectio & misericordia proponitur in exemplar dilectionis nostræ, & misericordiæ in inimicos. *Ecclesiæ filij peregrini.* *2. Cor. 5.* *Ephes. 2.* *N.B.* *Ephes. 5.*

Tria autem in hoc Euangelio nobis proponuntur. 1. diuina misericordia in nos, qua facilè ingentia debita remittit. 2. miseria nostra cùm parua debita ob leues iniurias remittere nesciamus. 3. diuina vltio, dictis & factis ostensa in eos, qui immisericordes sunt. Diuisio.

1. *Posuit Rex rationem cum seruis suis, & oblatus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta.* Immensum profectò debitum & insolubile. Sed quis tantum debitum debet? Audi Dauidem, *Multiplicatæ sunt iniquitates super capillos capitis mei.* Dauid duo admiserat peccata, & tamen tot esse confitetur: quia peccatum est insolubile debitum, quod in inferno nunquam soluetur. Si ergò rectè te noueris, si opera tua inspexeris, dices, Debeo decem millia talenta.

Debiti immensitas.

Psalm. 35.

Peccata minora credimus, quia bonitatem Dei non perpendimus.

Minora verò & pauciora nobis nostra apparent peccata, nec tanto debito nos oneratos credimus, quia Dei bonitatem non nouimus, quia in eius conspectu non sumus. Debebat seruus hic 10000. talenta, sed donec *oblatus Regi est*, donec coram illius facie positus, id non agnouit, & ideo remedium non curauerat: coram Rege constitutus nouit debitum suum, & procidens orat. Vis agnoscere debita tua? coram Deo sta, & eius bonitatem contemplare, eum perfectè agnosce, & tunc, quid sit peccatum, videbis. Qui coram Dei facie non est, non nouit, quid sit peccatum: qui Deum non nouit, peccatum leue putat. Iob cũ Deum audierat, non plenè agnouerat; sed cùm videt, tunc pœnitentiam agit. Dei enim conspectus operatur, vt anima diuino illustretur lumine, vt diuinam Maiestatem agnoscat & bonitatem, quam peccans nõ nouit, & contempsit. Qui Deum non nouit, nec peccati grauitatem nouit: qui verò hæc nouit, *dolet quasi parturiens*; plus dolet, quàm si substantiam & vitam amisisset. Timet, tremitque dicens cum Psal. *A verbis tuis formidauit cor meum.* & cum Isaia. *A facie tua Domine concepimus.* Hinc & Psal. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum.* Id est, oraui, vt ostenderes mihi faciem tuam; sic enim *cogitaui vias meas* prauas, & eas dereliqui, & in vias tuas veni.

N. B.

Iob 42.

Pœnitentiã ago in fauillo & cinere.

Isaiæ 26.

Psal. 118.

Isaiæ 26.

Psal. 118.

Peccatore coram Deo constituto debitum agnoscitur.

Deinde coram rege debitum huius hominis manifestum est. quia debitum ostendit ipse Rex rationes exigens. Hinc de Sodomitis dicitur: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino.* id est, in oculis Dei. Dũ enim ille rationes exigit coram se proposito peccatore, apparet illius immẽsum debitum. Hinc intelligitur illud Psal. *Tibi soli peccaui*, id est, in conspectu tui solius: quia ego abscondité feci, ne homines scirent, sed non potui abscondere ab oculis tuis; *et malum coram te feci*, te adulterij & homici-

Genes. 13.

Psalm. 50.

2. Reg. 12.

micidij spectatorem habui; & hoc satis mihi esse debuit, vt non facerem, licet homines lateret. Coram Deo ergò Sodomitæ mali erant; & coram Deo & Rege hic homo debitor apparuit. quia *non iustificabitur in conspectu tuo om-* *Psal. 142.*
nis viuens: imò *stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, & in* *Iob 25.*
Angelis suis reperit prauitatem; quanto magis in his, qui habitant *Iob 4.*
domos luteas?

Iußit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios. Hoc maximum Dei supplicium in hac vita est, quod in peccatores exercet, peccatorem venundare, id est, eum relinquere, à se alienare, & eum tradere passionibus & desiderijs suis. Ita loquitur Paulus de carnali, quod *venundatus sit sub peccato.* Et in historia Machab. de quibusdam dicitur, *Venundati sunt, vt facerent malum.* Et Moyses ait, *Deus suus vendidit eos.* Et Isa. *Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis.* Sed cuinam venditur homo iste? Certè dæmoni, & sibijpsi, & varijs desiderijs suis. Hinc Paul. *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum.* Verè inordinata desideria principantur peccatori, & eum miserè discruciant vt seruum. An non miserè tractat ambitio hominem? an non miseriùs auaritia? Quis tyrannorũ efficeret, vt Iudas Christum venderet, nisi auaritia fecisset?

Peccatorem venundare quid sit. *Rom. 7.* *1 Mach. 1.* *3 Reg. 21.* *Deut. 32.* *Isaiæ 50.* *Dæmoni venditur peccator.* *Rom. 1.* *N. B.*

Sed quid est, quòd *vxorem & filios eius venundari* præcipit? Quia etiam illi in culpa fuerunt socij, & occasionem dederunt debitis. An non sæpè mulier, vt pretiosis induatur vestibus, causa est debitorum & peccatorum viri? an non & filij? si ergò criminis rei fuerunt, simul etiam vendantur. Si Adam venundandus foret, an non meritò cum eo venundanda Eua fuit, quæ pomum porrexit, in quo innumera mala erant? Si Israelitæ venundandi essent ob cõflatum aureum vitulum, an non simul eorum vxores, criminis participes, venundari mererentur, quæ audientes, aurum & argentum multum necesse est, vt opus conficiatur, statim aiunt, *En armillas, catenulas, annulosque nostros.* Mulieres mutauerunt sensum Salomonis, an non meritò vendendæ? quid de Dalila dicam, quæ virum tradidit Philistæis? Quid merebatur Herodias, quæ caput Ioannis amputari fecit? Quid Iezabel, quæ curat Naboth interfici, & vineam surripi? Sic & filij traduntur in seruos propter patris debita. Qui ergò causa criminis sunt, simul etiam venundentur.

Vxor & liberi vendũtur, quia viro causa sunt peccati. Exemplũ. Exempla. *Exodi 32.* *Cypr ser. 1 de eleemos.* *3. Reg. 11.* *Iud 16.* *Matth 14.* *Marc. 6.* *3 Reg 21.* *4. Reg. 4.*

Dein-

Peccatum hominem omnibus destituit.
N. B.

Deinde in hac venditione peccatoris, & vxoris, & filiorum, ostenditur vastitas omnimoda, quæ per peccatum homini contingit. Hoc enim peccatum meretur, vt omnimodo homo desoletur, & à te auferatur vxor, liberi, substantia, vita. Vel hinc, ô peccator, disce peccati malitiam; quis interitum tibi machinatur, licet amicum se simulet. Cùm te sollicitat praua cogitatio, aut delectatio, amicus pulsare videtur; sed ne aperias; ibi enim peccatum est, inimicus tuus, vt te perdat, & vastet. Cùm ergò te videris omninò perdi, ac tua desolari, vide, an peccaueris, & agnosce *stipendium peccati* hæc esse.

Rom. 6.
Humiliatio peccatori necessaria.
Luc. 15.

Territus seruus ille est his auditis, & procedit dicens: Patientiam habe in me. Cùm impossibile sit debitum tantùm solui, nihil restat peccatori, nisi humiliatio, qua se Deo subijcit: hac verò Deus contentus est, vt in parabola Prodigi manifestauit: & hîc, *Omne debitum dimisit ei.*

Egredi quid sit.
Gen. 4.
N. B.
Ezech. 8.
Psal. 9.
Ambulandum cum Deo.
Genes. 5.
Gen. 17.
Gen. 6.
Gen. 24.
Psal. 15.

Egressus autem seruus ille, à conspectu scilicet Domini, & oblitus est misericordiæ susceptæ: alioquin crimen nō admitteret, quod commisit. Egressus à Deo, qui charitas est, contra charitatem facit. Sic & *Cain egressus est à facie Domini*. Sed quid est egredi à facie Domini? Obliuisci Dei, & ab mente recedere, & ideò singularem Dei beneuolētiam non experiri. Qui ergò gloriatur *Patrem se habere Deum*, cū in misericordia imitetur: qui non imitatur, egreditur à Deo, & ei terga vertit. Quam abominationem, vt maximā ostendit Deus Ezechieli. Hinc Psal de hoc seruo nequam ait; *Non est Deus in conspectu eius; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*. Sed contrà de Enoch dicitur, *Ambulauit cum Deo*: & ad Abraham Deus ait, *Ambula coram me, & esto perfectus*: & de Noë dicitur, *Ambulauitq; cum Deo*. Qui coram Deo ambulat, rectè ambulat. Qui sic operatur, ac si Deum præsentem videret, hic à facie eius non egreditur; hic ait, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.*

Egreßio duplex.
2. Reg. 11. & 12.
Luc. 22.
2. Par. 15.

Sed notandum est, aliquos egredi à facie Domini, quos Dominus dereliquit: alios vero sic egredi, vt tamen non derelinquantur; sed post illos egreditur Deus, vt eos quærat. Dereliquit Dauid Deū, sed Deus eum non deseruit, imò ad eum Prophetam misit, qui eum de peccato admoneret suo. Sic etiam in negantem Petrum oculos coniecit suos. Alios verò sic derelinquit Deus, sicut ipsi Deum derelinquunt. Hinc Scriptura ait: *Si quæsieritis eum, inuenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Nec conqueri pos-

ſunt ſe à Deo derelictos, quoniam à Deo moniti ſunt, & ipſi prius Deum dereliquerunt Non mirum ergò, quod derelinquantur à Deo, qui Deum dereliquerunt. Qui vitam dereliquit, non mirum ſi morti obnoxius ſit: qui panem dereliquit, non miretur, ſi fame pereat. *Deus neminem derelinquit, niſi prius derelictus.*

Sed quid egreſſus à facie Domini faciat, videamus. *Inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui ei debebat centum denarios, & tenens ſuffocabat eum.* En crudelitatem in conſeruum, cui reſpondere ſolet conueniens ſupplicium Dei in crudeles, vt ipſi etiam ſuffocentur, nec loqui valeant in confeſſione & ianuam miſericordiæ clauſam inueniant, vt fatuæ Virgines, quia oleo miſericordiæ caruerunt. Ad hos Chriſtus ait: *Quæretis me, & non inuenietis, & in peccato veſtro moriemini.* Dignum ſupplicium duri cordis & immiſericordis eſt, vt miſericordiam non inueniat, vt pœnitentiam verã non agat. Vnde putas fieri, vt in multis à Deo non audiaris? quia tu in multis Deum non audis. Quia proximo tuo durus es, durus tibi redditur Deus. Petis à Deo, & non obtines; quia petit à te pauper, & non exaudis. Vis tu, durus cùm ſis, Deum tibi miſericordem eſſe? *Crudelitas in conſeruũ miſericordiæ ianuam claudit.* *Matth. 25.* *Ioan. 7.* *Duri cordis ſupplicium.* *N B.*

Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi. &c. Grauiſſimum hoc coram Deo crimen eſſe oſtendunt verba duriſſima & vltio ſæuiſſima, quæ de eo ſumit, qui ignoſcere non nouit. Veſte nuptiali non veſtito, & Iudæ proditori dicit, *Amice*: at, immiſericordem alloquens ait: *Serue nequam*. Caue ne audias verbum iſtud; tinnient enim ambę aures tuę. Maximè Dei ira nobis timenda eſt, & dicendum cum Pſal. *Domine, ne in furore tuo arguas me*, &c. O verbum aſperum, *Serue nequam*. Si obmutuit, qui audiuit, *Amice quomodo huc intraſti*, an non obmuteſcet, qui audit, *Serue nequam*? Summè profectò odit, & auerſatur Deus immiſericordes, cùm verba huiuſmodi in eos dicat. Et *qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, nũc huic immiſericordi beneficia collata improperat dicens, *omne debitum dimiſi tibi* &c. q. d. Si plura dimiſi tibi, cur propter me pauca non condonâſti? An non iuſtius erat, vt mihi ſimilis eſſes in miſericordia potiùs, quàm dæmoni in duritia? Quid reſpondebis, ô homo, qui ignoſcere paruam iniuriam non vis, Chriſto Domino, hæc tibi dicenti? nihil ſanè: certè obſtructum eſt os loquentium iniqua. *Matth. 22. & 26.* *Ira Dei maximè timenda.* *Iac. 1.* *N. B.*

Tunc Dominus ait. &c. Sicut ſe habuit cũ conſeruo, ſic me- *Deus ſe geꝛ*

rit nobiscum vt nos ergà conseruos. cum illo geram. Misit conseruum in carcerem; *mittite eum in carcerem*: debitum ei non demisit, debitum ei non dimittatur. Durus fuisti? durus tibi Deus erit. Voluisti vindictã sumere? Deus de te illam sumet. Et cùm solui peccatum læthale à solo homine non possit, in æternum cruciabitur.

Debitum an & quomodo possit exigi. Sed dubium hîc restat, quodnam hic peccatũ commisit, qui solùm voluit pecuniam sibi debitam solui! & hac de causa debitorem in carcerem misit; quod licitum esse videtur, & quotidiè vsu venire solet. Hinc apparet multa esse, quæ hominibus licita apparent, Deo tamen nõ sunt, qui cor intuetur. *Matth 22.* Ego condẽnare nõ possum eum, qui sibi debita recuperare volens debitorem trudit in carcerem: *Lucæ 14.* sed sæpè hoc ita fit, vt Deus dicat tyrannidem & peccatũ. *A simili.* Licitum est diuitias possidere, & bonæ sunt diuitiæ; vbi *Eccl. 13.* non est peccatũ in conscientia: sed quia *difficile est diuitem* *Matth. 19. & 5* *intrare in regnum cælorum*, ideò *beati pauperes*. Licitum est tibi illatam iniuriam vindicare potestate publica, sed *N. B.* rarò id fit zelo iustitiæ, & absque odio. Et ideò Christus eum damnat, qui hoc fecit, non quòd fieri benè nequeat, sed quià rarò & difficilè benè fiat. Caue igitur à periculo tanto, & recede non à malo solo, sed *ab omni specie mali*. *1. Thess. 5.* In tuto salutem tuam ponere cura. Tanta enim res est æterna salus, vt illam in tutissimo loco ponere debeamus, & *per multa bona opera certam nostram vocationem & electionem facere*: *2. Petr. 1.* & *bonum facientes non deficiamus omni tempore.* *Galat. 6.* &c.

DOMINICA XXII. POST TRINITATEM.

THEMA: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. &c.* Matth. 22.

Propositio. PERCVRRENDA breuiter Euangelij litera est, vt de Dei imagine, quæ in homine est fusius tractemus, occasione sumpta ab imagine numismatis, quã Christus Cæsari reddendam pronuntiauit.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum increpatione in sermone. Increpatione duarum parabolarum vineæ & nuptia.

nuptiarum taxati Pharisæi in deterius proficiunt, quod est signum reproborum, & consiliũ ineuntes contra Christum peccata noua cumulant: & quales consiliarij tale & consilium ad hos Isa. *Inite consilium, & dißipabitur; loquimini verbum, & non fiet.* Frustra enim consiliantur aduersus eum, de quo Iob: *qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dißipat.*

In deterius proficere signum est reproborum. *Isaiæ 8.* *Iob 5.*

Sed quo tendit horum consilium? *Vt eum caperent in sermone.* Verbum in verbo capere voluerunt, cùm in opere non possent: sed errare quoque Verbum in verbo non potest; quamuis facillimè homo in verbis delinquat. Nam *linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Nobis ergò maximè cauendum, ne in sermone capiamur: Nam *qui non offendit verbo, hic perfectus est vir.*

Verbum errare non potest. *Iac. 3.* *Nos facilè verbo labimur*

Mittunt discipulos cum Herodianis. id est, cum Herodis militibus: eò verò hi tendebant, vt traderent eum principatui & potestati Præsidis, si contra tributa aliquid diceret. Mittunt verò discipulos ætate iuniores, sed malitia pares: sicut pulli serpentũ natura breuiores sunt, sed virus æquale habent. Catuli luporum etsi adhuc prædam capere non possunt, tamẽ sanguine gaudent, & morsibus ludunt. Hos ergò discipulos mittunt, ne si ipsi accederent, cognita eorum malitia, ab eis caueret.

Lucæ 20. *Simile.* *Chrys. hom. 42. oper. imp. in Matth. 22.*

Aiunt ergò: *Magister, scimus, quia verax es.* & cæt. De his Psal. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Et, *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Christum magistrum volunt, quem audiant; sed non Dominum, cui obediant. Non solùm audiendus est Christus, sed & obediendum est ei. Hi verò nescientes quid dicant, diuinos Christo dant honores: aiunt enim, *Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Est enim *Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et, *Non est Deus vt homo, vt mentiatur.* Philosophi viam docuerunt sed multis admixtis erroribus. Mahumetes & alij heretici viam diaboli. Moyses viã Dei docuit, sed in figura. Christus solus *viam Dei docuit in veritate.* Qui autem *viam Dei in veritate docet*, Deus est. *Et non est tibi cura de aliquo, nec respicis personam hominum.* Dei proprium hoc est. *Non est personarum acceptor Deus.*

Psalm 61. & 54. *Christus audiendus & ei est obtemperandum.* *Rom. 3.* *Num. 23.* *In veritate Christus viã Dei solus docet.* *1. Cor. 10.* *Ioan. 1. & 3.* *Sapien. 6.* *Actor. 10.* *Rom. 2.* *Deut. 10.*

Dic ergò nobis, licet dare censum Cæsari, an non? Eo tempore, quo

Luc.2. re, quo Cæsar Augustus describi iussit vniuersum orbem,
Ioseph. l.18. ant.cap.1.2. præcepit, vt denarium quisque persolueret. Quod tributum Iudas Galilæus non esse soluendum dicebat, & *auertit populum post se, & perijt ipse, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.*
Actor. 5.
Iudæorum error in tributo. Populus Iudæorum ægrè ferebat hoc tributum, & libertatem optabat, indecens quoque esse putans populum Dei peculiarem infideli Principi subesse, & ei tributa persoluere. Nunc ergò ad Iesum discipulos mittunt; vt si dicat, non reddendum censum, eum accusarent eius criminis, quod falsò ei imposuerunt: si verò dandum diceret, gratiam apud plebem amitteret, nec Messias crederetur, qui eos non eripiebat à potestate infidelium.

Quibus Christus respondet: *Ostendite mihi numisma census &c. Cuius est hæc imago & superscriptio? Dicunt ei; Cæsaris. Ait eis: Reddite ergò, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* q. d. Conficere nummos, eosque signare, proprium
Tributum etiam infideli dari non est à Deo prohibitum. est Principis. Vos confitemini Cæsarem Principem vestrum in hoc, quod pecuniam habetis eius insignitam nomine; reddendum ergò ei est tributum. Tributum enim infideli dari Deus non prohibuit. Si verò Cæsar aliquid peteret, quod esset contra Deum, id non Cæsaris, sed dæmonis tributum esset: & tunc ei omninò parendum non esset.

Quantum Cæsari dãdum. In his Christi verbis aliqua annotanda sunt. Primùm, aliqui censent vniuersa Cæsari danda, qui scil. credunt o-
1. mnia mundo corporique deberi, & vniuersa in eius obse-
Exempla. quio insumenda esse, Deo verò & animæ suæ seruant ni-
1.*Reg.*25. hil, similes Nabal Carmelo, qui Dauidi nihil dare voluit:
*Luc.*12.*et* 16. & persimiles diuiti illi, qui dixit, *Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare*, qui nec
2. micas mensæ Lazaro pauperi concedere volunt. Alij di-
*Orig.tract.*21 *in Matth.*22. cunt, omnia Deo danda, & nihil mundo & corpori: cùm
Tertul lib.de idol. 5 *cap.*1. *&* 19 tamen ei necessaria tribuenda sunt. Non enim Deus ita vniuersa petit, quin relinquat plurima, quæ alijs tribuas: Hinc Paul. *Reddite omnibus debita; cui honorem, honorem; cui*
*Libr. de cor. mil.c.*12. *tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Quidam verò media via procedunt, & Deo, quæ Dei sunt, tribuenda cen-
*Rom.*13. sent: corpori verò & mundo, quæ illius necessaria sunt.
3. 2. In his verbis attendendum est: licet vniuersa, quæ

in mundo sunt, Dei sint, tamen aliqua singulari ratione eius propria dicuntur, quæ ideò ei seruanda sunt præcipuè. Sicut vniuersa Domus regia regis est; sed cubicula illa, in quibus ille habitat, præcipua ratione eius esse dicuntur: ita licet omnis creatura Dei sit; quia omnes ipse fecit, & in omnibus habitat, tamen cor hominis, & animam illius singularius Deus possidet, cùm ait: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et Sap. *Anima iusti sedes est sapientiæ.* Ideò anima Dei cubiculum, Dei templum, Dei sedes est. Singulari etiam ratione anima Dei est: quia ab eo immediatè creata, & ad sui imaginem efformata est. Non enim hominis animam de potentia materiæ educit, vt cetera animalia, sed ipse solus eam creat, & sui imaginem effecit. Licet enim omnis creatura Deo assimiletur, tamen ad rationem imaginis non satis est quælibet similitudo, sed similitudo secundùm vltimum rei & proprijssimum. Sicut igitur in corporalibus imago rei dicitur non quælibet similitudo manus & pedis, sed similitudo vultus & faciei: ita illa creatura Dei imago dicitur, quę est similitudo vultus Dei; qui metaphoricè accipiendus est, cùm in Deo non sint humana membra. Sicut ergò in facie hominis sensus & animæ virtus magis elucet; ita in diuino intellectu & voluntate maximè cognoscitur diuina virtus; dum intellectu Verbum generat, voluntate & amore Spiritum s. producit. Ideo homo, qui intellectu & voluntate illud refert, imago Dei dicitur: quia illud præsentat, quod est in Deo veluti facies. Hinc Psal. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, id est, imago, qua vultus & facies tua repræsentatur.

Deo singulariter propria
Simile.
De imagine Dei.
Ioan. 14.
Sapien 7.
Simile.
D. Thom. 1. p. q 93 a. 1.
Simile
Aug. lib 83. q. 4. 51 73.
Simile.
Psalm 4.
Ambr ep. 11.

Est ergò hæc differentia inter hominem & alias inferiores creaturas, quòd in homine repræsentatur similitudo diuinæ naturæ, quantum ad hoc, quod in eo repræsentatur similitudo Trinitatis increatæ; quia intelligit, & amat, & producit verbum & amorem: alia verò animalia non intelligunt, nec amant, si earum dispositio considere tur. Meritò ergò homo secundùm mentem Dei imago dicitur, quia intelligit & amat.

Differentia inter homine & creaturas.
D. Thom. vbi sup art 6.
Aug. libr. 12. de Gē. ad lit. c. 7 24.
Libr 11. de Trin c. 2. & lib. 9 c. 6.

Et præterea imago Dei dicitur, quia liber est arbitrio, & dominus sui, & suorum actuum; quod est proprium rationalis creaturæ. Qua in re plus homini con-

Homo in libero arbitrio à Deo crea-

tus, ipsi est similimus. concessum est à Deo, quàm cùm mundum vniuersum dedit, eique subiecit. Et in hac re Dei imago est, Deoque similis, qui omnium Dominus est. Et hoc ostendit Dominus in eius creatione, cùm dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit volatilibus cæli, & piscibus maris*, &c id est, faciamus hominem veluti alterum in mundo Deum, vt sit Dominus omnium. Hinc sequitur, singulariter hominem deuinctum esse, vt se Deo tradat; quoniam Dei est singulari ratione, & eius imago. Sicut Deus exigit impressionem suæ imaginis, sic & Deus animam lumine vultus sui insignitam. Sicut enim denarius imagine Regis, sic signatur homo ad imaginem & similitudinem Dei; ratione pollens, qua Deum agnoscit, qua beneficia illius expendere potest; voluntatem habens, quæ in solo Deo quiescit

Simile.

Aug. in Psal. 4.
Bed. in Matt. 22 et in Luc. 20. serm 7.
Aug. ser. 9. de ver. Dom.

Et cùm naturam suæ similem homini concesserit, eum deuinxit, vt similes operationes diuinis exhibeat. Et hinc hominis perfectio colligenda est, si Deo assimiletur in operibus suis. Reliquæ omnes creaturæ, quia ab eo conditæ, nunquam ab eo discessionem fecerunt. *Ordinatione tua perseuerant dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Et, *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. &c. Præceptum posuit, & non præteribit.* Si ergò tu Dei factura es, hac sola ratione in officio continendus esses, ne vnquam præceptum Dei violares. Et quamuis reliquæ creaturæ Deo obediunt semper (arbitrio enim liberæ non sunt) tu verò liber es, & peccare potes: si tamen recta ratione vtereris, potestas ista & arbitrium liberum tibi concessum, magis te deuinctum tenere deberet, ne Deo rebellis esses. Sicut si Rex duos egenos infimos de plebe excitet, & eorum alteri minorem potestatem & minores redditus concedat, alteri verò integrum regnum pro sua liberalitate; hic in Regē insurgere non debet, quia maius beneficium accepit, vt nec ille, qui minus: imò quo maiora sibi commissa sunt, tantò minus rebellare decet. Sic si arbitrio liber es, cùm reliquæ creaturæ non sint, expende, quòd â Deo munus hoc maximum accepisti. Insurgere in Deum potes tu: sed potestas ista donum Dei est. Dei donis in ipsum dimicabis? potestate ab eo tradita sic abuteris? Teneris ergò Deo obsequi, quia Dei es tum creatione, tum quia ipsius imago, intellectu & voluntate pollens & libero arbitrio.

Psal 118. & 148. & 32.
N. B.
Libero arbitrio non esse abutendum.

Simile.

N. B.
1. Cor. 4. Quid habes, quod non accepisti?

Sed

Sed nummus Dei es, eius imagine insignitus? Trade te Deo, vt te perficiat, & adumbratam imaginem absoluat. Es enim Dei imago, sed imperfecta. Vis te imperfectam imaginem videre? Audi Paul. dicentem: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et, *Licet is, qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* Hinc monet: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem* &c. Et iterum: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius, qui creauit illum.* Adumbrata verò Dei imago in hominis natura est, gratia verò perficitur, & abundantiori gratia & virtute magis magisque proficit *à claritate in claritatem.* Imago autem Dei est in homine, secundum quod Deum imitatur: hæc verò imitatio triplex est. 1. quod possit cognoscere & amare Deum, & hæc imago naturalis est, quæ inest omni homini. 2. quòd Deum cognoscat & amet, & hoc imperfectè per fidem & charitatem: & hæc imago iustorum est in hac vita. 3. quod Deum videat clarè, & diligat semper: & hæc imago in patria est.

[*Dei imago imperfecta quomodo perficiatur.* — Galat. 4. — 2. Cor. 4. — Ephes. 4. — Col. 3 — 2. Cor. 3. — *Glossa ordinaria ex Cassiod.* — *D. Thom.* 1. p. q. 93 a. 4. & 9. — *Imitatio Dei triplex.*]

Et cùm triplex sit imago, creationis, recreationis seu iustificatiõis & similitudinis de imagine recreationis seu iustificationis, in qua versamur, pauca dicamus. Hæc in nobis est per cognitionem & amorem, de qua Paul. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui.* Posuerat Deus initiò imaginem sui in homine, sed hanc peccato deturbauit homo: venit Christus in mundum, vt hanc instauraret. Est enim homo perfectus Dei imago expressa. Cognitione verò & amore Christo assimilamur, & perfectior erit in anima nostra eius imago, cùm maximè accesserit ad repræsentandum diuinas personas. Diuinæ autem personæ distinguuntur secundùm processionem verbi à dicente & amoris connectentis vtrumque. Verbum autem sine actuali cognitione in anima nostra esse non potest. Ideò principaliter est imago Trinitatis in anima nostra secundum actus, cùm scilicet intelligendo verbum producimus, & inde in amorem inflammamur. Insuper non in quacunque cogitatione & amore est in homine Trinitatis imago, sed in Dei consideratione & amore. Vnde diuus Augustinus ait: Non propterea est Dei imago in mente, quia sui meminit, & diligit ac in-

[*D. Thom.* vt sup. art. 7. — *Aug.* libr. 9. de Trin. c. 6. — Rom. 8. — *Imago recreationis quomodo in nobis.* — *Aug.* lib. 14. de Trin. c. 7. — *Aug.* vt supr. c. 4. 6 [?] 7. 11. — lib. 10 [?] c. 3. — lib. 12 c. 4.]

ac intelligit se; sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare Deum, à quo facta est. Perfecta ergò Dei imago in homine erit secundùm verbum conceptum de Dei notitia, & secundùm amorem eiusdem. Et hoc est quod D. Paul. ait: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*. Hinc sequitur necessitas orationis & considerationis diuinorum, vt in nobis Dei imago perficiatur. Est enim homo persimilis speculo, quod eius figuram in se exprimit, quod illi obijcitur. Si è regione ei ponas terram, terræ effigiem videbis: si cælum, cæli effigiem refert: Ita anima nostra cognitione & amore assimilatur rebus.

Orationis & meditationis necessitas. *D Thom. 1. p. q. 93. art. 8.* Simile. *Greg. libr. 33. Mor. c. 26. in Iob 41.*

Perspiciendum ergò homini est, cuius imaginem gerat. Aliquando enim homo interrogandus est: *Cuius est hæc imago, & superscriptio?* & illi concedendus homo est, cuius imaginem gesserit. Superbe, cuius hæc imago est? Dæmonis. Inhonestè, cuius hæc imago est? Bruti. Auare, cuius hæc imago est? Terræ. His omnibus dicitur: *Si quis adorauerit bestiam aut imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei*. Omnis peccator diaboli characterem habet & imaginem. Hinc Sap. *Imitantur diabolum, qui sunt ex parte illius*. Diabolo ergò tradendus est, qui imaginem diaboli habuerit. *Ideò nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.*

Orig. hom. 6. in Exod. *N. B.* *Cypr. tract. 2. de habitu.* *Virg.* *Apoc. 14.* *Sapien 1.* *Rom. 12.*

Est tandem alia imago Christi in omni baptizato, cuius ratione Dei est, character Christi in baptismo impressus indelebiliter: quo in baptismo signamur à Christo, vt eius nos esse & ad eum pertinere cõstet. Hinc Paul. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, & signauit nos & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Et, *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto*. Et idem. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*. Cùm enim omnis fidelis per baptismum deputetur in cælestem militiam, & ibi promittat fortiter se cum hostibus pugnaturum, oportuit aliquo spirituali charactere insigniri; sicut oues à pastore ferro domini, & panni sigillari & vasa stemmatibus dominorum, & milites ad militiam destinati cingulo militari insigniri solent.

Imago Christi in baptizato. *2 Cor. 1.* *Ephes. 1.* *Ephes. 4.* *D. Thom. 3. p. q. 63. art. 1.* Similia. 1. 2. 3.

lent. Hoc igitur charactere accepto teneris militare, vt *bonus miles IESV CHRISTI*, teneris ad eum confugere, eius denique esset. Est verò character iste participatio Sacerdotij Christi, vt noueris te ad eum pertinere, & vsque ad sanguinem tibi resistendum pro Christi gloria tuenda: sicut miles accepto cingulo pro salute imperatoris sui. An fortè minus hærent Sacramenta Christiana, quã hæc corporalis nota? *Labora ergò, ô homo sicut bonus miles Christi*, quando eius insignia suscepisti. &c.

N. B.
Aug. libr. 2. cont epist. Parm. c. 13.
2. Tim. 2.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATEM.

THEMA: *Filia mea modò defuncta est, &c.* Matth. 9.

Opera Christi mira.

IN Christi operibus perspicere licet, quod in ipsomet. Si enim exteriùs Christum consideres, videbis mirabilem pulcherrimumque hominem; sed si interiora aduertas, apparet in eo diuinitas immensa. Sic si hodiè enumerata in Euangelio miracula inspiciamus, apparet mira potentia, sapientia, ac bonitas Christi: sed si interiùs hoc miraculum consideretur, aliud latet multò diuiniùs, quomodo scilicet anima mortua vitæ reuocetur. Idem in alio miraculo sanatæ à fluxu sanguinis videre licet. Videamus igitur primò duo insignia miracula, & deinde statim mysterium in his significatum.

Orig lib. 1. περὶ ἀρχῶν c. 2.
Exterius opus.
1.
2.
Interius opus Christi.
Diuisio.

Primum continet miraculum suscitatæ puellæ, quam Luc. & Marc. dicunt in extremis fuisse, at Matthæus defunctam dicit quod pater ipsius Iaïrus vel disiunctiuè dixit, scilicet, *Filia mea est in extremis*, & iam credo mortua, ex quo ego ab ea recessi: vel per exaggerationem; defuncta est, quia propè mortem iam erat. Augustin. ait Matth. non referre quod primis verbis Iaïrus dixit, sed quod postea petijt filiam mortuam sciens.

1. Miraculũ.
Luce 8.
Marc 5.
Chrys. ho 32. in Matth 9.
Aug. lib. 2. de cons. Euang. c. 28.
Theoph. in Matth. 9.

Accessit ergò ad Iesum hic Archisynagogus & Princeps Iaïrus, tribulatione motus filiæ, quæ morti erat proxima, cùm iam nubilis esset, & in ætatis flore: quod dolorem augere solet. Diuina hæc adinuentio est, nos in

Tribulationum finis & effectus.

in necessitate & tribulatione constituere, vt ad Deum accedamus. Sic Iaïrus accedit, sic etiam quæ sanguinis fluxum patitur. In prosperitate nanque & abundantia Dei obliuiscimur. Cõtra verò afflictio & tribulatio ad Deum nos ducunt & trahunt. Hinc Psalt. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et, *In die tribulationis clamaui ad te, quia exaudisti me.* Et, *Clamauerunt ad Dominum, cùm tribularentur.* Quàm vtilis Principi huic fuit infirmitas, morsque filiæ? quia compulsus ad Christum venit, & non solum filiæ, sed etiam animæ propriæ obtinuit vitam. Felix prorsus malum, ex quo tantùm bonum redundauit. Expertus Dauid hoc tantùm tribulationis lucrum loquitur: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.*

Psalm. 82. 85. 106.

Psalm. 89.

Christus hominum commodis seruit. Ibat ergò Iesus in domum Iaïri, vt filiam eius suscitaret. Et in via miraculum aliud operatus est, de quo postea. Adeò enim hominum commodis inseruit, vt neque in itinere otiosus esse voluerit. Oportunò verò tempore hoc edidit, vt fides Principis roboraretur, quæ periclitabatur delato ad eum nuntio de morte filiæ: quem Christus confirmat verbo & facto; verbo quidem dicens: *Tantùm crede.* facto verò sanans mulierem Hæmorrhoissam.

Iustorũ sors in hac vita. Iustis enim aliquando res sic eueniunt, vt Iob & Thobiæ, vt iam desperandum esse videatur. Sicut enim omnis virtus, vt probetur, à Deo tentatur, ita & fides. Vt verò hæc non deficiat, aliquid grande ostendit Deus, quo eius fides non modò non corruat, verùm magis augeatur. quod huic Principi præstitit, sanans mulierem. Perueniens verò in domum Principis filiam illius suscitat. Ecce miraculum exterius. Sed iam ad interiora nobis transeundum est.

Mysticus sensus.

Filia mea modò defuncta est. Defuncta hæc animam lethali peccato mortuam significat. *Homo enim per malitiam occidit animam suam.* Sed quomodo mortua est anima, quæ viua, & vitam corpori præstans apparet? In iusto duo sunt homines, alter exterior peccator, alter verò interior spiritualis. Hi duplici vita viuunt vera & re ipsa consistente; altera animalis est, altera spiritualis; altera humana, altera diuina; altera naturalis, altera supernaturalis. Quæ est hæc supernaturalis vita? Inspice hanc naturalem; illa enim figura est vitæ supernaturalis.

Sapien. 16.

Anima quomodo mortua.

Vita supernaturalis quæ.

Sicut enim anima nostra toto diffusa corpore, ei tribuit esse & viuere: eodem modo diuina gratia in animam effunditur, eique tribuit supernaturalem vitam, eam faciens naturæ diuinæ consortem. Et sicut in exteriori homine sunt quinque sensus; ita & in interiori homine sunt sensus interiores. Est gustus, quo diuina gustat; eique dulcia sunt, quæ Dei sunt, dicitque: *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Et, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua?* Est visus & auditus diuinus, quibus videt & audit, quæ Dei sunt: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Est olfactus, quo Christi vnguenta odorantes *currimus in odorem vnguentorum suorum.* Est etiam tactus, quod Deum apprehendit, vt dicat: *Tenui eum, nec dimittam.* Sunt vires ad perpetuam luctam, virtus nempe, quæ vis quædam est animæ. Et sicut homo exterior, licet animam habeat, sensus & vires, nihil tamen potest operari sine Deo adiutore: eodem modo homo interior iuuatur à Deo omni opere & motu, vt credat, diligat, speret. Cùm ergò anima hac vita viuit gratiæ, est Dei filia ex Deo nata.

Comparatio hominis exterioris & interioris.
Gustus.
Cant. 2.
Psalm. 118.
Visus.
Auditus.
Psal. 44.
Cant. 1.
Olfactus.
Cant. 3.
Tactus.
Vires.
Ioan. 15.
Ioan. 1.

Quando moritur hæc Dei filia? Cùm peccatum vt venenum, biberit. *Peccatum enim cùm consummatum fuerit generat mortem*: & anima tua mortua erit sine spirituali & diuina vita. Summa profectò peccati malitia & vis, simillimaque veneno, quod inficit & interimit hominem, ita peccatum interimit animam, & penitus destruit, omnes vires, omnia opera mortificat, & omnem substantiam perdit; sicut de prodigo scriptum est. Est ergò peccatum mors animæ, sicut eius vita Deus est. Sicut anima discedente à corpore manet illud deforme & fœdum: ita persimilis illi relinquitur anima, à qua Deus separatur. Si ergò peccato homo moritur, quomodo hunc mortuum non horremus? non fugimus? Si vides corpus mortuum surgere, ambulare, loqui; horres intelligens à dæmone moueri; quomodo non fugis peccatorem, qui viuens mortuus est, & à dæmone mouetur ad opera sua?

Iac. 1.
Peccatum venenum est mortiferum.
Simile.
Comparatio.
N. B.

Sed considera patris maximam tristitiam: *quia vnica filia erat ei, & mortua est*: quo doceris maximè dolendum tibi, cùm vnica anima tua mortua sit. Si duas haberes, vnam perdere posses: sed cùm vnicam habeas, hac amissa quanam viues? Ideò orat Psal. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Hinc Christus: *Quid*

Anima vnica.
Luc. 8.
N. B.
Psa. 21. et 34.

Matth. 16. *prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Deinde attendenda patris cura, solicitè Christum interpellantis inspecto puellæ periculo. *Incipiebat enim mori* dicũt alij Euang. Et accedẽs pater ait: *Modò defuncta est: sed veni.* &c. nihil differre vult, sed mortuę cõtinuò remediũ adhibere curat. Si iã proximus morti spirituali es, quomodo nõ accedis ad Christum, & oras, ne moriaris? Si vides, quia defunctus es, quomodo nõ rogas: *Veni impone manum tuã?* Quidã enim in spiritualibus infirmitatibus admodum negligentes sunt, vt *insanabilis sit fractura, & plaga pessima.* Benè ergò pater puellæ ait, *Modò defuncta est: sed veni:* innumera enim mala, ex dilatione conuersionis proueniunt in animam.

Anima mortua quid agendum.

Isa. 1. *Ier. 30.* *Eccl. 10.* *4. Reg. 5.*

Impone manum tuam super eam. Imperfecta laïci fides erat, similis fidei Naâman, qui ait: *Putabam ego, quòd imponeret manum suam super me.* Christus verò maxima sua misericordia dissimulans, eum sequitur. Vult etiam humanitatem suam honorare, ostendens per eam, vt instrumentum, fieri mirabilia. Sed etiam hoc tactu diuinæ manus significatur modus, quo Deus multos suscitat peccatores, diuina eis imposita manu. Scripturæ phrasi manus imponere est castigare. Sic Isa. *Vindicabor de inimicis meis, & conuertam manum meam ad te.* Tribulatione igitur immissa ostendit tibi Dominus, quia *malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Sicut figulus cùm frangitur vas, illud iterum manu accipit, & omninò destruit, & lutum aliter efformat: sic Deus, qui plastes & figulus dicitur conterit te, frangitq; tribulatione, vt iterum reformet. *Sicut enim vas in manu figuli, ita & vos in manu mea.* Cùm ergò te ille videt confractum, imponit tibi manum suam, & te destruit, vt perficiat. Sic fecit cum Dauid, statim enim post peccatum vltionem adhibuit. Sic cum filijs eius se facturum promisit: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam &c. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Et hæc maxima Dei in eos est dignatio, non indignatio: nam hæc correptio non est ad interitum, sed ad salutem. Si ergò videris te peccantem continuò à Deo corripi, optimum tibi sit signum. *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate*

1. 2. *vt manum imponat.*

3. *Manum imponere quid.*

Isa. 1. *Ierem. 2.* Simile.

Ier. 18.

Exemplũ. *2. Reg. 11. 12.* *Psalm. 88.*

Statim à Deo corripi in peccato optimum est signum.

2. Mach. 6. *Psalm. 29.*

luntate eius. In manu quidem flagellum est & ira, at in voluntate misericordia & vita. Indisciplinatus filius non vellet à patre curari, sed relinqui arbitrio suo: sed non sic agit pater, quia filius eius est; & *quis filius, quem non statim corripit pater* Sic pater ille cælestis nobiscum se gerit & multo tempore non sincerè peccatori ex sententia agere, sed statim castigare, magni beneficij indicium est. Simile. *Heb.12.*

Et surgens sequutus est eum Quàm citò, vt nobis succurrat, Christus surgit? Posset laïrus dicere, *In auditu auris obediuit mihi*. Ecce obedientem Deum voci hominis. *Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* *Christi prōpta voluntas ergā nos.* *Psalm.17.* *Ios. 10.* *Heb. 4.*

Curata deinde muliere, puellam suscitaturus venit, & ait: *Non est mortua puella, sed dormit* Mors somnus dicitur, etiam ab Ethnicis. Sed maximè Christus, tanquā Rex in regno suo, vt nouus Adam, vera nomina rebus indidit. Sic dicit prædicationem suam Euangelium; peccatorem dicit mortuum, defunctum dicit dormientem, mortem somnum appellat. Si nosset iustus, quo migrat, cùm hinc exit, omninò gauderet. Somnus ergò mors iusti est: quia sicut somnus datur à natura, vt animal quiescat, & resumptis viribus surgat: sic mors iusti tendit in resurrectionem vitæ cum virtute, incorruptione, & gloria. Et licèt videas corpus corrumpi, ne timeas, non enim perditur. Hinc Ioan *Beati mortui, qui in domino moriuntur, amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur eos.* Ferox Leo mors apparet: sed timendus iam nō est. *Mel enim in ore eius* est Iam enim post Christum quid morte dulciùs, qua ducimur in vitā? Ante Christum mors erat mors; iā verò MORS TRANSITVS est ad vitam. *Mors vt somnus.* *Somnus est mors iusti.* Simile. *Apoc.14.* *Mors vt Leo* Typus. *Iud 14.* *Ioan.11 et 13.* *Lucæ 16.*

Tenens manum eius ait. Thalitha cumi Est vita in Christi manibus; ideo manu tangens vitam donat: adeo magnum est brachium omnipotentiæ eius; vt licèt in profundo sis, ad te perueniat. Si ergò te videris peccato mortuum, Deum ora cum Psal. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.* *Vita in manibus Christi.* *Marc.5.* *Chrys. hom. 32 in Matth. 9.* *Psal. 138.* *Psalm.143.*

Psal. 117. *Surrexit puella*, dicereque poteſt illud *Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me: non mariar, ſed viuam, & narrabo opera domini.*

Occultus peccator per puellam ſignificatur. Sed quid eſt, quod prius ſanatur, quę laborat fluxu ſanguinis, quàm ſuſcitetur puella domi manens? Hæc ſignificat occultum peccatorem, illa verò manifeſtum. Prius ergò publicus peccator ſanari debet, quàm ille, qui celat peccatum ſuum: licèt grauius peccet publicus, quàm occultus peccator. Occultus enim peccator, videns peccatũ ſuum in tenebris eſſe, nec videri ab alijs, magis in eo permanet, & vulnus ſuum non aperit. *Manifeſtus peccator.* Publicus verò peccator confundi ſolet, & ideò a peccato facilius recedere. *Pſalm. 93.* Sed tu occulte peccator conſidera, quia te Deus videt; nec dicas: *Non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Nam, *qui plantauit aurem non audiet? & qui finxit oculum non conſiderat?* Vtriuſque verò peccatoris vnica medicina Chriſtus eſt, quã hodiè aperit Hæmorroiſſa & Principis puella. Vtræque ad Chriſtum accedit. Vidimus de puella, videamus nunc de hæmorroiſſa

---

SECVNDA PARS CONCIONIS

THEMA: *Confide, fides tua te ſaluam fecit.*

Hæmorrhoiſſa Eccleſia magiſtra. MVLIER hæc Eccleſiæ magiſtra eſt, oſtendens quãta ſit in Chriſto virtus & diuinitas. Quę enim in extrema veſtis parte tantam vim ineſſe credidit, quid obſecrò non oſtendit nobis ineſſe virtutis ac diuinitatis in toto corpore Chriſti? Meritò verò Hęmorroiſſę huius mulieris fides prędicatur, qua nõ ſolùm a Chriſto, ſed eius veſte, & ab infima veſtis parte ſibi credidit ſanitatem prouenturam.

Homo in finem ſupernaturalem à Deo conditus. Cum Deus reliqua condens, intra limites naturæ ea reliquiſſet, hominem tamen in finem ſupernaturalem ordinauit, vt Deus eſſet, frueretur; per gratiã ea beatitudine, qua Deus fruitur natura. Vt autem homo ad tantam gloriam, quæ ab eo longè erat, perueniret, moueri debuit. Vt moueretur, tanquam homo, eam agnoſcere oportuit. Hæc cognitio clara eſſe non potuit: ſi enim clara eſſet, per illam non moueretur, ſed in termino iam eſſet (beatitudo enim eſt manifeſta ac ſpecialis Dei viſio)

obſcura

obscura ergò cognitione mouendus erat. Hæc verò obscura cognitio fides est, quæ homini conceditur, vt in Deum moueatur. Hinc Paul. *Per fidem ambulamus, & nō per speciem*, id est, non clara, sed obscura cognitio est, quę nos mouet in Deum. Fides igitur est ignotæ rei miranda certitudo: & vt Paul. ait: *Fides est sperandarum rerum substantia argumentum non apparentium*. Fide enim Deum, vt in imagine contemplamur.

1. Cor. 5. *Secundus Philosophus Antonin. 1. part. hist.* *Heb. 11.*

Huius fidei fundamentum est veritas diuina, quæ nec falli, nec fallere potest. Ecclesia verò solùm proponit ea, quæ Deus reuelauit. Estque veluti fidelis nuncius epistolam deferens: tu tamen credis ea, quæ in epistola continentur, propter authoritatem eius, qui epistolam scripsit. Tantis vero encomijs hæc fides celebratur in diuina Scriptura, vt hæretici putauerint eam solam sufficere ad salutem. Christus hic dicit: *Fides tua te saluam fecit*. Idem dicitur Magdalenæ Paulus ait: *Arbitramur hominem iustificari per fidem*. Verbum itaq; Dei est: FIDES IVSTIFICAT; sed SOLAM eam IVSTIFICARE, adinuentio humana est, fidei rectæ repugnans. Fides ergò iustificat, sed non sola: sicut homo generat hominem, sed non solus. Et præterea, cū de fide absolutè loquitur scriptura, intelligitur de fide viua charitate informata: sicut cùm absolute dicitur homo, intelligitur viuus, non metuus, aut pictus. de qua Paul. *Fides quæ per charitatem operatur*. Eo autem per fidem iustificari dicimur, quia fides est primum fundamentum, causa, principium & radix nostræ iustificationis; cum non obijcitur impedimentum. Si eam impedias, non iustificaberis; hoc verò efficit peccator, qui *veritatem Dei in iniustitia detinet*, super quem *reuelatur ira Dei*. Si verò eius ductum sequaris, illa te ducet in iustitiā. Illa enim cor vrget, vt in opera exeat.

Ose. 2. despōsabo te mihi in fide et iustitia. *Fundamentum fidei prima veritas.* *Marc. 5.* *Matth 9.* *Lucæ 8.* *Lucæ 7.* *Rom. 3.* *Fides iustificat sed non sola.* *Simile.* *Simile.* *Gal. 5.* *Conc. Trid.* *Rom. 1.*

Videamus nunc mulierem, quæ fide salua facta est; eius fidē intueamur, & quomodo fidei ductū sit sequuta *Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum*, &c. Ecce, particula est, ostendens aliquid consideratione dignum. Sunt verò multa, quæ in hac muliere attendere possumus. 1. cùm tantus ad Israëlem descendisset de cælo medicus, non accesserat ad eum hucusq;, sed in alios medicos vniuersam effuderat substantiam. Hinc innumera mala nostra absque remedio sunt: non enim ad Deum primò accedimus, sed

Mulier quid nos doceat. *1. Deus primò quærendus.*

sed ad alia. Primò ergò in omni necessitate Deum audi, o-
2. ra eum, placa eum. Secundò diuina iudicia considera,
Mala sunt commoda. multa enim nobis incommoda succedunt, quæ nos in-
fausta iudicamus; sunt verò nostræ salutis æternæ causa:
Prou. 3. ideò *ne deficias cùm à Deo corriperis, diligenti enim Deum, om-*
Heb. 12. *nia cooperantur in bonum*: & quæ putas mala esse bona sunt.
Rom. 8. Tertiò cùm insanabilis videatur hæc infirmitas, quàm
3. nulla medicinæ ars sanauerat, quomodo saluti sit restitu-
Medici curantis præstantia. ta annotandum, vt inde intelligamus, qua arte meden-
dum sit maximis peccatoribus. Quid enim hæc mulier
significat, nisi animam, ex qua innumera fluunt peccata.
Fluxus sanguinis quid mysticè. Fluxus enim sanguinis peccata significat. Et ideò Psalm.
orat. *Libera me de sanguinibus*, id est; à peccatis & eorũ radi-
ce. Et in scriptura nomine sanguinis carnis appetitus de-
Chrysost. signatur. Ideò tanta seueritate, in lege prohibitus est esus
Leuit. 18. sanguinis propter typũ carnalis appetitus. Vnde Leu. *Si*
quis sanguinem comederit, obfirmabo faciem meam contra animã
Sanguis peccatũ signat. *illius, & disperdam eam de populo suo.* Tã grauis commina-
tio manifestè ostendit, aliquod maximum malum late-
re sub sanguine, peccatũ scilicet, quod à carnali appetitu
procedit. Ideò & Paul. *Caro & sanguis regnum Dei non possi-*
1. Cor. 15. *debunt.* Fluxum ergò sanguinis patitur, qui carnali appe-
Medicina vbi quærenda. titu laxato ad omnia vitia prolabitur. Quid ergò faciet,
qui se in tanto malo videt? Accedat ad Christum cùm
hac muliere. Sic Paulus stimulum carnis sentiens ait: *Ter*
Simile. *Dominum rogaui, vt auferretur à me.* Sed ei dicitur: *Sufficit ti-*
bi gratia mea. Quia sicut in bellorum discrimine fortes fi-
unt homines: sic tentationes exercendæ virtutis materia
nobis sunt. & nos robustiores reddunt. Appetitum om-
Spiritualis sanguinis fluxus quando sistatur. ninò quiescere non est huius vitæ, in qua nobis iugiter
perpetuoque pugnandum est. Fluxus verò sanguinis co-
hibetur, dum peccata à concupiscentia nata resecantur,
ligaturque Dei gratia appetitus, ne per illicita defluat. Et
Leuit. 18. sic *sanguis pro animæ piaculo erit*, si tolerantes carnis bellum
ei fortiter resistimus, & afflictum corpus Deo offerimus,
Sanguis quãdo hostia. ac mortificatum; tunc sanguis est hostia Deo accepta:
Quod per Christum factum Paulus ostendit dicens. *Ve-*
tus homo noster simul crucifixus est cum eo. Cohibe ergo in te
peccandi voluntatem & appetitum, *& sanguinis fluxus ste-*
Luc. 8. *tit.* Qui vero aliqua peccata cohibet timore, vel alijs de

causis

causis, sed voluntatem & appetitum peccandi non fræ- *Peccatum*
nauit, radicem omnis mali habet, & omne peccatum ite- *vnde repul-*
rum pullulabit. *lulet.*

Sed quomodo sit sanata hæc mulier audiamus. 1. *acce-* *Sanitatis*
dit retrò, Benè *retrò*: quia *non iustificabitur in conspectu eius* *modus.*
omnis viuens. Qui ergò iustificandus est retro accedat, ve- 1.
recundè & humiliter. Sic etiam Magdalena retro acce *Luc. 7.*
dit. Sic prodigus venit dicens: *Pater peccaui in cælum & co-* *Luc. 18.*
ram te. &c. 2. ait intra se. *Si tetigero fimbriam* &c. Totus 2.
Christus Saluator, salutare & salus nostra est. Vnde om- *Fimbriæ*
nia, quæ in eo sunt, salutem conferunt; saliua, oculi, vesti *tactus.*
mentum, & vox eius salutem conferunt Tangere autem
voluit vel quod humillimum vestis erat, vel quod san- *Num. 15.*
ctius. Iudæi enim in 4. angulis vestis fimbrias hyacinthi- *Deut. 12.*
nas præcipiuntur habere: vt sicut carne erant distincti
à gentibus, sic & exteriore veste; qua monerentur seruare
Dei mandata, & sanctiores essent. Ideò quasi insigne san *Matth. 23.*
ctitatis Iudæorum voluit mulier hanc fimbriam tange-
re. De hoc fimbriæ tactu, tempore Messiæ faciendo lo *Zach. 8.*
quitur Zach. *In diebus illis apprehendent decem homines ex om* *Hieron. in*
nibus linguis gentium fimbriam viri Iudæi, dicentes; Ibimus *zach. 8. Fr.*
vobiscum. Audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est. *Ribera in*
Hieron. per virum Iudæum Christum intelligit, cuius *zach. 8.*
fimbriam hæc mulier tetigit, & multi infirmi rogarunt *Matth. 14.*
vt tangerent. Per decem enim multi accipiuntur phrasi *Cyrillus.*
Scripturæ. Sic & hodiè decem. i. multi sequuntur virum *Rom. 2.*
Iudæum, *non qui in manifesto Iudæus sit, sed qui in abscon-* *Phil. 3.*
dito. qui verè Deum confitetur: *Nos enim sumus cir-*
cuncisio, qui spiritu Deo seruimus. Cyrillus ait; Apprehende-
re fimbriam, extremam vestis partem, puerorum esse, qui
patres suos sequuntur, ne cadant: ita Gentes adhærebunt
Apostolis & Euangelij prædicatoribus, eosque sequen-
tur, ne labantur. *Fimbria*

Sed ais: Quomodo ego fimbriam Christi tangam? 1. si *Christi quo-*
exempla eius sequutus fueris. *Christus enim passus est pro no-* *modo à no-*
bis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. si *bis tangēda.*
fueris veluti filius paruulus patris vestigia secutus, eius te *1. Pet. 2.*
nēs fimbriam. 2. vestis Christi humanitas est, *habitu enim* 1.
inuentus est, vt homo. Fimbria huius vestis. i. humanitatis *Phil. 2.*
passio Christi est, in qua, vt in summi Sacerdotis fim- 2.
bria, inuenies malo grauata operum maximæ chari *Exod. 28.*

tatis, Typus.

tatis, & campanulas miri soni, exempla scil preclara omnium virtutum, quæ imiteris.

Doctrina ex fimbria. Quid colligemus nobis ex hac fimbria Christi? Id quod Psal. dicit: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.* *Psal. 44. 3.* Myrrha amara, præseruans à corruptione, significat pœnitentiam & mortificationem. Qui igitur sanguinis fluxum patiuntur, nihil peragent boni, nisi carnem macerent, vnde omne malum ortum est. Sic Sancti myrrha.i. afflictione carnem vngebant, vt à corruptione seruarentur. *Rom 8.* Hinc Paul. *Ergò fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* *Mortificatio carnis vita peccatoris. 4.* In carnis ergò mortificatione consistit vita eius. Non solum autem à Christi veste mirrha, sed & gutta, & casia colligi poterunt; quia omnis virtus & eius exemplar, ibi videre licet. Tangitur etiam Christi fimbria, eiusque passio Sacramentis susceptis, in quibus virtus passionis Christi est. *N.B.* Ideò accedendum ad ea, vt fructum passionis suscipiamus. Miseros nos, qui videmus mulierem ex filo tenui Christi vestis medicamentum efficacissimum conficere: nos verò ex corpore Christi integro nobis medicinam parare nescimus. *Ioan 20.* In vulneribus Christi medicamentum inuenit Thomas, quo curarentur; nos econtra venenum, vt in peccato persistentes magis vulneremur.

Sed quid ait Christus: *Quis me tetigit?* Vide differentiam inter has duas mulieres; quarum altera hodiè sanatur, altera suscitatur illa domum egressa est, irrumpit per mediam turbam, tangit fimbriam, & ex eo fonte sibi salutem hausit, & Christus, quasi nihil egerit, dicit, *Quis me tetigit?* *Oppositio mulieris & puellæ. 1. Typus.* Alteram verò suscitat Christus; in qua re hæc nihil operatur, sed Christus domum eius accedit, manu eam tenet, & dicit, *Surge.* *Aug. lib. de grat. & lib. arb. Bern. tract. eod. Ansel. de cō cord. præs. et præd. et grat Dei cum lib. arbit.* In conuersione peccatoris Dei opus, & peccatoris opus necessarium est; sed multò plus Dei opus. Vt muri cadant Hierichuntini, præcipit *Deus* septies circundare ciuitatem, & tubis resonare? sed tandem Deus est, qui muros euertit. Milites Gedeonis elegit Deus: arma præbet, quibus vincant: sed tandem *Dei* est victoria; ille inimicos fugat, antequam manus conferāt. Tu ergò esto negotiator *pretiosæ margaritæ*, cum timore & tremore salutem tuam operare; sed tandem *Deus* est,

qui

Qui præcipuè *operatur & velle & perficere*. 2. In hac mulierum diuersitate alia etiam electorum diuersitas apparet. Quibusdam enim apparet vltro, quibus dicitur: *Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his, qui non interrogabant*. Hi similes sunt puellæ suscitatæ, ad quam venit Christus. Quàm facilè paradisum inuenit latro, & gratiam Saulus persecutor? Contra verò quanto labore quærit hæmorrhoissa sanitatem, Magdalena remissionem? Ecce impletas duas illas parabolas. 1. *simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, qui* inuentus est à non quærente illum. 2. *Simile est regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas*: hic enim quærit ac laborat. In omni ergò hominis conuersione gratia Dei est potissimum operans, licèt tu multum operari videaris. Opera tua exigitur, licèt gratia Dei totum operetur: sed aliquando gratia magis elucet, aliquando opus nostrum; vtrumque tamen semper adesse debet. Huic etiam mulieri fides fuit mensura salutis & misericordiæ receptæ: vt cogitauit ac sperauit, sic recepit. Dixit, *Si tetigero*, salua ero; tetigit, & salua facta est. Et licèt Christus sanet, dicit tamen, *Fides tua te saluum fecit*, quia quod tu credis, & speras, hoc recipis: *secundum fidem tuam fiat tibi*. quod olim dictum est & cæcis.

Ios. 6. *Iud. 7.* *2.* *Rom. 10.* *Prou. 6.* *Luc. 23.* *Actor. 9.* *Luc. 7. 8.* *Matth. 13.* *N. B.* *Fides mulieris mensura salutis.* *Matth. 9.*

Porro quia ait; *Quis me tetigit?* noluit hoc latere miraculum, tum vt Archisynagogus roboraretur in fide, tum vt mulieris huius fides perficeretur, quæ putauit, posse Christum latere. Vnde Luc. ait: *Videns quia non posset latere*: vt ergò credat Christum verum Deum, quem nihil latet, miraculum manifestat. Comprimebatur Christus à multis, sed ab hac sola tangebatur. Aliud est enim accedere ad Christi Sacramenta fide, deuotione, & reuerentia: & hic tangit: aliud verò est sine deuotione accedere, & hoc est premere Christum. Nam sicut multi Christum premunt, & virtus de Deo ad illos non exit, sed solùm ad istam, quæ tangit deuotè & reuerenter accedens: ita & in Sacramentis & oratione nobiscum fit. Vna precatio viua, vnum suspirium ex corde, vna lachryma ex visceribus, tangens Christum, plus sentitur ab eo ac æstimatur, quàm mille mortuæ. Hanc autem vitam, viuacemque virtutem ponit in nobis

Miraculum cur latere noluerit. *Tangere & premere Christũ quid differant.* *Vnum opus viuum præstat mille mortuis.* *Rom. 8.*

1. Cor 11. Hebr. 10. Chrys. hom. 51. in Matth. 14.

Spiritus S. qui facit nos clamare, *Abba pater*. Sed si solus fimbriæ contactus adeò vtilis est huic mulieri, dic obsecrò, si debitè accederes ad Eucharistiam, quæ in te bona operaretur? Qui indignè accedit, comprimit Christum, *iudicium sibi manducat & bibit*, imò conculcat Christum. Aliquando ergò malè susceptus, interimit suscipientem; aliquando irreuerenter & non debitè, quamuis dignè susceptus, minima collata gratia recedit: sed si optimè liberalissimeque susciperetur, sine dubio ditaret suscipientem maximis diuitijs. Hoc in Zachæo videre licet de quo dicit: Hodie salus huic domui facta est. Gratia enim, quæ datur in Sacramentis ex opere operato, est maior vel minor secundum dispositionem maiorem vel minorem ex Dei auxilio procedentem, &c.

Christus suscipientes se ditat. *Chrys. hom. 83. & 84. in Matth. 26.*

Tradunt Eusebius & Nicephorus, Mulierem hanc sanguinis fluxu laborantem, à Saluatore curatam, ciuem fuisse vrbis Cæsareæ Philippi, domumque eius in ea tunc adhuc ostensam. Pro foribus verò domus ipsius basin in loco editiori collocatam fuisse asserunt, in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ, palmasque suppliciter tendentis imago ære videtur expressa. Astare verò aliam ære fusam statuam habitu viri IESVM referentis, stola compta circundati, & dexteram mulieri porrigentis Ad huius pedem statuæ è basi herba enascitur noua specie, quæ cum fimbriam æreæ statuæ contigerit, omnes morbos depellendi vires habet: Hanc statuam Iulianus Apostata deiecisse scribitur, suique imaginem ibi posuisse; sed fulmen è cælo venisse, quod eius collum caputque abstulit.

De statua à hemorrhoissa erecta. *Euseb. lib. 7. histo. Eccl. cap. 14.* *Niceph. li. 6. cap. 15.* *Zozom. li. 5. hist. Eccl. ca. 20. li. 6. hist. Trip. ca. 41.* *Niceph. lib. 10. cap. 30.*

Theophyl. in Matth. 9. Damascen. lib. 4. Orthod. fid. ca 12. & 16. Hier. contra Vigil.

DOMI-

DOMINICA XXIV. POST TRINITATEM.

THEMA: *Cum videritis abominationem desolationis*, &c. Matth. 24.

QVOD maximè frænat hominem, ac detinet, ne in vitiorũ præcipitium ruat, est iudicij memoria. Hæc Dauidem terrebat, cum diceret: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me caput tuum.* Hanc Iob verebatur dicens, *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti.* Hæc Hieremiam exterruit, cum ait: *Sedebam solus, quia comminatione replesti me.* Hoc Hieronymum in officio continebat, cui tuba iudicij semper in auribus resonare videbatur. Sola rei huius memoria satis est, vt hominẽ sanctificet. Nulla alia ratione opus esse credit Psalm. vt iniqui iniqua non agant, nisi *quia Deus iudex est.* Vt hæc tam potens veritas hoc possit in cordibus nostris, oremus nobis gratiam per Mariæ intercessionem dari. &c.

Iudicium frænat homines. *Psal. 37.* *Iob. 9.* *Ierem. 15.* *Hieronym.* *Psal. 74.*

Quod in maximam admirationem adduxit non solùm impios & insensatos, sed & sapientissimos & sanctissimos viros, fuit videre deordinationem mundi huius, cùm Deum habeat iudicem. Etsi hęc deordinatio solùm esset in rebus inferioribus & minoris momenti, non tantam ingeneraret difficultatem: sed cùm omnia inferiora vices suas seruauerint, nec Dei præceptum vnquam violauerint; in homine, qui est omnium finis, & mundi huius caput, videmus summam deordinationem, quæ multò peior est, quàm si omnia alia deordinata essent. Et licet creaturæ ordinem suũ seruent, & sic Deum glorificent, tamen instrumentum sunt hominis in peccatum. Vnde hominis deordinatio à Deo suo, est vniuersalis totius mundi deordinatio, & destructio, & quasi separatio à Deo. Qua ergò ratione Deus iustus iudex ista videns dissimulat, tacet, negligit, nec in ordinem redigit? Hæc ratio multos adduxit, vt diuinam negarent prouidentiã circa humana, & dicerent illud: *Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.*

De deordinatione mũdi & eius origine.

Deus cur deordinationẽ mundi vidẽs patiatur. *Iob. 22.*

Hoc verò tantam admirationem ſanctos adduxit, vt cum Deo videantur querelis contendere. Hinc Pſalm. *Vſquequo peccatores, domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur iniuſtitiam?* Et Ierem. cum Abac. *Iuſtus quidem es, Domine, ſi diſputem tecum, veruntamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt? Quare reſpicis contemptores, & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe?* Euidens hoc argumentum eſt, aliquando Deum hæc ordinaturum, facturumque, vt omnis homo & omnis creatura ſeruiat, vel inuita, diuinæ gloriæ, & vt ex omni deordinatione peccati diuina gloria magis eluceſcat. Nec enim aliter mala permitteret, niſi vt ſe optimum Deus oſtendat, & ex malis bona maxima educere poſſe ſignificet.

Pſal. 93.
Ierem. 12.
Abac. 1.
Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 17. 18. 22.

Bonum quomodo ex peccato.

Sed quomodo ex peccatis maximum eſt eliciendum bonum? Hoc fiet cum maximo peccatoris damno, qui diuinæ gloriæ inſeruiet, dum immenſa pæna punietur, in qua oſtendatur diuina iuſtitia infinita; & diuina bonitas, ſic peccatum odiens; & diuina Maieſtas, cùm ſic punitur eius offenſor. Infelix & miſerandus homo, cuius damno atque tormentis hæc oſtendenda ſunt. Felix homo, in quem effundens bonitatis & gloriæ theſauros, oſtendet ſe infinitum in miſericordia. Sed qualia erunt mala atque tormenta inuenienda contra infinitæ Maieſtatis offenſorem, vt in his tormentis appareat infinita maieſtas læſa? Hoc explicari ab homine non poteſt. Hinc ſumma ira in iudicium Chriſtus veniet: tunc enim in ordinem redigenda eſt omnis deordinatio peccati, tanta vltione de peccatore ſumpta, vt explicet diuinam infinitamque bonitatem, quam peccator contempſit. Deinde deordinauerat mundus vniuerſa, veniet Chriſtus, vt ea in ordinem redigat. Exaltat mundus diuitem, deſpicit pauperem: Præponuntur multa virtuti, quæ bonorum nomine ſunt indigna. Omnis hæc deordinatio tollenda eſt. O diues ſuperbe, vbi nunc ſedes? veniet Chriſtus, & *oculos ſuperborũ humiliabit, & exaltabuntur cornua iuſti.* Tunc mutabuntur brachia Iacob.

Hinc Dauid. Exiſtimabã vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me. donec intrem in ſanctuariũ Dei, & intelligã in nouiſsimis eorum.
Pſalm. 72.
Pſal. 17. & 74.
Gene. 48.

Signa iudicij.

Sed tantorum malorum initia præcedent horribilia ſigna: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant

leant sine fine nunciare: vt sic tremens mundus veniat supplex ad iudicis tribunal. Hinc Psal. *Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à signis tuis.* Attende venientis terrorem. *Descendisti, & à facie tua montes fluxerunt.* Et quia aliqua signa præcedent aliquo tempore iudicium: alia signa, vt obscuritas solis, & lunæ sanguineus color, &c. tam propinqua erunt iudicio, vt manifestum sit iudicium iam adesse, de his in Euangelio agitur. Quod licèt aliqui intelligant de Hierosolymitano excidio, tamen certum est etiam loqui de fine mundi. Nam cùm solutionem templi Christus dixisset, interrogant discipuli; *Quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui?* vtrumque commiscent: quia euersio Hierosolymitana, quæ fuit in abolitione legis & sacrificiorum veterum, mysterium & prognosticum est consummationis seculi, quæ deficiente fide & cultu Euangelij expectatur. Vnde de vtroque simul loquitur Christus.

Greg. hom. 35. in Euang.
Luc. 21.
Psal. 64.
Isaiæ 64.
Augu. epist. 78. 79. ad Hesych. & lib. 20. de ciuit. Dei c. 5.

Cum videritis abominationem desolationis. De excidio Hierusalem hoc intelligens Caietan. dicit esse exercitum Romanorum idola colentium, quod Luc. dicit: *Cum videritis circundari Hierusalem.* Sed ad finem mundi referentes dicimus Abominationem hanc esse Antichristum; quæ abominatio omniũ præcipua est. de qua Paul. *Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquã sit Deus.* quibus verbis manifestè ostenditur ante mundi finem futurum hunc hominem, per quem discessio facienda est à Romano imperio, non à temporali, à quo iam omnes discessere, sed à spirituali Papæ potestate. Addit Paul. *Et quid nunc detineat scitis, vt reueletur in tempore suo: nam iam mysterium operatur iniquitatis; tantùm vt qui nunc tenet, teneat; donec de medio fiet.* id est. Vt qui nunc tenet Romanum Imperium, teneat, donec omnes à Papæ obedientia discedant: tunc enim veniet Antichristus.

De abominatione desolationis.
Caietanus.
Ianse. c. 122. conc.
Luc. 21.
Hier. in Matth. 24.
2. Thess. 2.
De Antichristo, eius nomine natiuitate, regimine & fine.
D. Thom. in hunc loc.

Dicitur verò Antichristus, id est, Christo contrarius. Et per Antonomasiam: quia Christi hostis acerrimus, & omnium iniquorum caput. Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis, ita in Antichristo omnis plenitudo

Aug. tract. 3. in epist. 10.
Greg. lib. 15. Mor. c. 36. in

Iob.21. li.31. iniquitatis: adeò vt sit futurus diabolus in humana effi-
ca.10 in Iob. gie secundùm Hippolyt. Sed certum est eum futurum
39.lib.4.cap. verum hominem. Sic enim eum vocat Paul. & Hier. in
12.13.14. lib. Dan. 11. Nascetur in Babylone ex gente Iudaica; vt sicut
31.32.33.34. Nemrod ędificans Babylonicam turrim, bellum indixit
in Iob 39. Deo: sic ab eadem Babylone sit supremus Christi ho-
40.41. Gloss- stis. Erit verò instructus omni arte fallendi, potētia, mu-
sa. neribus, delitijs, terroribus, signis, & portentis, *ita vt in*
Hippol. de *errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Vnde Paul. *Cu-*
consi. in Hie *ius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni vir-*
ron. *tute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione*
Matth. 24. *iniquitatis.* Eius persecutio durabit tres annos cum dimi-
1 Thess. 2. dio. Eum verò interficiet Michael. Faciet, *ne quis possit*
Aug lib. 20. *emere, aut vendere, nisi quis habeat characterem, aut nomen be-*
de ciuit. c. 8. *stiæ, aut numerum nominis eius. Hic est sapientia: qui habet in-*
Dan. 12. *tellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis*
Apoc. 13. *est; & numerus eius 666.* Sancti dicunt tria esse nomina
Rup. lib. 8. in Græca, quæ hunc numerum complent. Quia literæ
Apoc. cap. 13. Græcæ simul sunt notæ numerorū. Nomina hæc sunt:
Sixtus Se- *Antemos.* i. honori contrarius: secundùm *Arpnoime.* i. ne-
nens. lib 2. go: tertium *Teitan.* i. sol. Vno horum dicitur nominan-
& 3. bibl. dus. Alia verò nomina sunt, quæ eundem numerum
sanc. 5. nomē faciunt, de quib. vide Riberam in Apoc. 13.
& numer. *nomen best. & Antich. Iren. lib. 5. cap. 30. Primasius. Hippol. de*
Antichrist. *Ansbertus.*

Sed quomodo, mundo senescente, & quando abun-
Cur maximā dabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, Deus
tribulationē maximam mundo tentationem & tribulationem per-
in fine mūdi mittit? 1. quia dæmon soluendus est, & vltimas suas ex-
permittet. eret vires in vltimum certamen cum Christo; in quo
1. superandus omninò est, & mundus Christo subijcien-
Apoc. 20. dus. Curabit dæmon omne virus euomere; Christus
Aug. lib. 20 verò suos armabit milites, vt suos illustrius tam in ani-
de ciuit. c. 11. ma quàm corpore coronet. Vnde futuri tunc sunt San-
12.13.29 30. cti & Martyres illustrissimi. Et venient *Enoch & Helias* ad
Augu. tract. hoc opus, *antequam veniat dies Domini magnus & horribi-*
122. in Io- *lis.* 2. erit tunc maxima persecutio piorum, vt sic Deus
an. 21. prouocetur, vt in iudicium procedat, & *malos malè per-*
Malach. 4. *dat.* Tanta enim Dei est mansuetudo, vt nisi ingenti ini-
Hieron ibid. quitatum clamore vindictam non exerceat. *Sic clamor*
2. *Sodomorum & Gomorrhæorum venit ad eum.* Vt misericor-

diam

diam prꝧstet, clamore non eget, *sed erit antequam clament, exaudiam eos*: sed ad vindictam clamorem exspectat. Non enim priuat Deus hæreditate nisi propter completam iniquitatem. Cùm ergò à mundi hæreditate sint tunc iniqui penitus priuandi, complenda est iniquitas & malitia. 3. cum iustis necessaria sit purgatio ante ascensum in cælum; post diem verò iudicij nullus purgabitur, purgantur ante illam magnis tribulationibus. *Erit ergò tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, nec fiet. Et, nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur. Quia non patietur tentari supra id quod potestis.* Vnde orantibus iustis cessabit illa procella.

Gen. 4. Gen. 18. Isa. 65. 3. Matt. 24. Marc. 13. Luc 21. 1. Cor. 10. Psal 120. Ephes 6.

Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes. id est, ad pænitentiam & orationem. Hinc Paul. *Accipite armaturam Dei, vt poßitis stare in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Sic Iudith ait: *Scitote, quoniã exaudiet Deus orationes vestras, si manentes perseuerauerits in ieiunijs & orationib. in conspectu Domini.* In timore enim magno & tribulatione maxima positis iustos Deus exaudiet.

Quomodo fugiendum ad montes. Iudith. 4.

Et tunc parebit signum filij hominis in cælo. En clauem Dauid. Cùm enim omnes iusti intraturi sint in cælum, aperitur claue sua. Et sicut capta ciuitate victoris vexillum in arce ponitur, ita mundo per Christum deuicto, hoc signum CRVCIS in arce cæli ponitur, *cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Et tunc summa luce apparebit, & seruabitur in cælo eadẽ crux, ministerio angelorũ congregata, in qua Christus pependit, in triumphi signũ æternũ. Sed ô Crux, vbi est Christus crucifixus in te? Vbi brachia illa extenta ad recipiẽdos peccatores? Vbi caput in illa inclinatum summo amore? O salutifera arbor, vbi est misericordia illa pretiosissima, quam distillabas? O lignum dulce, quod quasi nauis ducebas homines in portum salutis, vbi est salus, quam præstabas? O infelices peccatores impœnitentes tribus terrę, quæ plangetis tunc? Quam triste vobis hoc spectaculum erit? Dicetis enim *montibus, Cadite super nos, & collibus, operite nos.* Omnia vobis sunt contraria hodie, & ipsa Crux, diuinæ misericordiæ pignus. Si crux vos terret, quis consolabitur vos? Infelices inimici Crucis Christi dicetis: En sanguis

Signum filij hominis. Apoc. 3. Simile. *Ecclesia & omnes Sancti Dd. Paul. epi. 11. ad Seuer. Apostrophe Crucis. Apostrophe ad peccatores. Crux peccatoribus contraria.*

eius exquiritur. Et qui ad pedes eius deplorare peccata noluistis, tunc sine fructu ea visa plangetis. Illa arguet ingratos homines, qui Christo crucifixo grati esse noluerunt. Felices verò amici Crucis, *qui carnem suam cruci-*
Gal. 5. *fixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, ijs non erit crux horribilis, sicut nec Iudex, sed maximè delectabuntur Cruce visa. Illis igitur, qui hic Christum timuerunt, & consideratione huius diei pauidi fuêre, erit dulcis: ijs verò, qui eum non timuerunt, erit horribilis.

Magnitudo diei iudicij *Mittet Angelos suos, & congregabunt electos eius. Verè magna est dies illa, & non est similis eius*, non quantitate, sed
Ier 30. virtute. Sed quæ faciunt eam magnam? 1. tanta homi-
1. num & Angelorum congregatio, 2. facta manifestatio
2. eorum omnium, quæ à mundi initio acta sunt, cogitatione, verbo, & opere, quorum numerus est innumerabilis. Nam si vnius hominis acta sunt sine numero; quæ erunt, & quanta, omnium hominum? Ex quibus omnibus Deo gloria resultabit: de bonis, quia eorum Deus fuit author, de malis, quòd ea permiserit. Licèt enim in
Gen. 50. contrarium peccatum intendat, *Deus tamen vertit illud*
Vniuersalis manifestationis effectus. *in bonum*. Sanctis etiam erit in gloriam videre historiam & processum illum mirabilem. Hæc autem vniuersalis omnium rerum collectio & manifestatio, diuersa pro
1. diuersitate intuentium efficient. Boni videntes vniuersa hominum peccata, mirabuntur maximè diuinam bo-
Isa. 66. nitatem, quæ *sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in in-*
Psal. 48. *teritum*. Eritque Sanctis gloria singularis diuinam intue-
Psal. 57. ri patientiam, & bona, quæ ex malis colligit Deus, flagella & pœnam cuique peccato conuenientissimam tribuens; vt honori Dei per omnia satisfiat: & satiabuntur iusti impiorum pœnis: & videbunt mirabiles piorum successus, viasque plenas miraculis. Ex quibus Deo
Lætabitur iustus cum viderit vindictam. &c.
2. resultat summa gloria, iustus summa lætitia. Contrà in malis erit summa confusio, cum se viderint miserrimos, & suam vniuersam miseriam, peccata, & tormenta omnibus patere: nihil enim ibi abscondere poterunt. Cum etiam mali bonorum felicitatem intuentur, miserè torquebuntur inuidia & odio Hinc Psal. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desi-
3. derium peccatorum peribit. 3. In Deo verò quid conspe-

ctus vniuersorum peccatorum efficere poterit, nisi summam indignationem? En ergò, quæ ex tanta congregatione facta prouentura sunt.

Omnibus ergò hominibus in vnum congregatis, *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna.* Agnus vertendus est in Leonem; pater in inimicum; sponsus in vltorem? Imò: quia omnis misericordia antiqua in peccatores versa est in iram: & quo maior illa fuit, tanto maiori exardescet ira. Solet enim amor læsus vehementer irasci. Ne putes, ô peccator, quia statim peccatis tuis vltionem non adhibet, obliuisci Deum peccata tua: detinet modo iram, & *thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Augebit verò hanc iram obstinatio, quæ tunc erit in peccatoribus, qui non confitebuntur culpam suam, sed eam negabunt: dicetque Deus, *Maculata es in iniquitate tua*: dicent illi, *Non sum polluta.* Hac verò obstinatione & negatione Deus & Sancti maximè indignabuntur. Approbabunt tunc peccata sua. & voluntate repetent ea, & maiora fecisse desiderabunt. Modò ergo cùm iram tenet, & misericordiam effundit, monemur, *vt misericordiam quæramus tempore opportuno.*

Ira venientis iudicis. *Hieron. comparatio.* *Rom. 2.* *Obstinatio peccatorum.* *Ierem. 2.*

Assimilatur autem iudicium diluuio: nam sicut tunc aquarum multitudine obrutus est mundus; sic nunc tribulationum multitudine, quæ numerari nequeunt, obruetur. 1. Signorum terribilium multitudine præcedente: 2. subita in iudicium vocatione, non datis inducijs. 3. comparendi necessitate. 4. ira iudicis, quæ maxima erit: 5. omnium delictorum manifestatone; nam illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 6. testium, qui omni exceptione maiores erunt multitudine: nam *aduocauit cælum desursum, & terram discernere populum suum.* Per cælum Angeli, per terram ipsi peccatores & iusti intelliguntur. Sed testis irrefragabilis est ipsa conscientia, quæ oculatus est testis. Hinc Paul. *Testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum.* &c. Sed super omnia prima veritas Deus testimonium dabit: nam ait; *Ego sum Iudex & testis.* An non meritò diluuium tribulationum iudicium dicitur? Tunc *præ angustia spiritus gementes erunt* iniusti, *& pœnitentiam agentes,*

Iudiciū diluuio simile. Simile. 1. 2. 3. 4. *2. Cor. 5.* *Psal. 79.* *Iob. 14.* 5. *1. Cor. 4.* 6. *Psal. 49.* *Conscientia oculatus testis.* *Rom. 2.* *Sapien. 5.* 7.

Sap.5. Ioan.9. Greg.lib 31. Mor.c.17.in Iob.39. Gal 6. Eccl.9.

tes,sed seram. nam *venit nox,quando nemo potest operari. Orate ergo ne fuga vestra sit in Sabbatho;* quo non licet ambulare secundum legem: quia post mortem est inutilis pœnitentia,nec ea effugies iram Dei. *Ergo dum tempus habemus,operemur bonum.* Et, *quodcunque potest manus tua instanter operare: quia nec opus,nec ratio,nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos,quo tu properas.*

Incertitudo diei,& quare. Luc.12. Matt.24.25. Marc.13. Iudicij dies prope est ex signis.

Plura vidimus diei huius signa,nihilominus tamen incerta dies est, quam nulli hominum manifestare voluit: & hac ratione eã dicebat se ignorare, non quia ipse nesciret sibi,sed quia alijs nesciebat,quibus nullo modo reuelanda erat. Sicut ergo diuino beneplacito mundus initium sumpsit,ita eodem finem accipiet: quæ verò à Dei voluntate pendent,nullus scire potest nisi ipse reuelet. Voluit verò iudicij & mortis diem ignotam esse, vt homines semper vigilarent: quia *veniet tanquam fur in nocte.* Licet verò incerta dies illa sit, iure tamen creditur esse vicina: & si attentè consideres ea,quæ nunc sunt,nõ longè iudicij dies est: I propter multitudinem peccatorũ mundi. Causa finis mundi,& mortis hominis,& iudicij extremi,peccatum est. Tolle peccatum, & non erit iudicium. *Iudicium* verò *Domino cum habitatoribus terræ: Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium,& homicidiũ, & furtum,& adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra,& infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* An non miseram nostram ætatem his verbis descriptam audis? Cùm ergo videamus plurimam iniquitatem mundi, citò illius venturum finem exspectemus. II. cum simul videamus sanctissimos ac perfectissimos viros non esse,qui sua bonitate peccatorum malitiam superent, finem mundi approximare certum est. Olim licet plura fuerint peccata, erant tamen maximi sancti,*quibus dignus non erat mundus:* propter quorum merita & orationes illum Deus seruabat. At verò *iam defecit sanctus,* fides dispacta est,charitas tepet,& abundauit iniquitas. Iam igitur quisque tabulam arripiat secundam, vt salutem quærat. iam *ignis succensus est in furore eius,* & *securis ad radicem arboris posita est.* III. Vniuersus mundi ordo propter hominem constitutus est, homines verò pro-

I. Ose.4. Isa.24. Grauabit terram iniquitas eius.

II. Heb.11. Psal.11. Matt.24. Deut.32. Matt.3.

III.

propter electos, propter quos omnia. Tam diu ergo mũdus durabit, quamdiu boni ac sancti in mundo fuerint. Cùm verò numerus prædestinorũ impletus fuerit, tunc iudicium erit, & mundus peribit: quia nullus iam iustus desiderabitur ex eo colligendus. Vnde cùm sancti ad Deum clamant, *Vsquequo Domine sanctus & verax non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* dictum est illis, *vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur cõserui eorum, & fratres eorum.* Et quia *soli Deo cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus*, ideo nescitur, quando iudicium sit futurum. Signum verò est, iamiam proximum esse mundi finem, quia vix iustum reperies ac sanctum. Vnde orat Psal. *Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* Sic etiam Mich. *Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. &c. qui optimus in eis est, quasi paliurus* (genus est spinæ) *& qui rectus, quasi spina de sepe.* IV. ostendit præterea mundi finem adesse, quod nostra tempestate vidimus mundum alterum ab Hispanis inuentũ esse, & in eo Christi Euangelium prædicatũ. quod Christus dixerat: *Prædicabitur Euangelium hoc in vniuerso mundo, & tunc veniet consummatio.* Vidimus nunc Euangelij prædicationem ad vltimos terræ fines peruenisse, & vniuersum mundũ penetrâsse; non ergo longe iudicij dies est.

Mundus quã diu sit duraturus.

Apoc. 6.

Ecclesia.

Signum indubitatum iudicij extremi.

Psal. 11.

Mich. 7.

Rom. 3.

IIII.

Matt. 24.

Isa. 24.

Ioan. Fred. Lumnius de extr. Dei iud. & Indor. voc.

Sed quod certius est, illud est, quod interitus tuus prope est? & ideo vigilare te oportet. An non maxima hæc hominis miseria est, quòd cum tres sint temporis quasi partes, præteritum, præsens, & futurum; quod præterijt iam non est; quod præsens est, non tempus sed instans est; quod futurum est, incertum est; & cum incertum sit, certum nobis est minimum quid esse: *Vapor est ad modicũ parens, & deinceps exterminabitur*: ideò iudica teipsum, ne iudiceris districtius. Meritò nos Sap. monet. *Quodcunq; potest manus tua instanter operare.* &c.

Interitus noster prope est ergo vigilãdum est nobis.

N.B.

Finis Partis AEstiualis de Tempore, à Dominica I. Paschatis vsq; ad Aduentum Domini.

Laus Deo Virginique Mariæ.

Sermo

Ego sum vitis vera et pater meus agricola est. i. vinitor. Exordium sume alibi.

In hoc Evangelio utitur dns triplici similitudine scilicet vitis, vinitoris et palmitum. Seipsum dr vitem, ibi Ego sum vitis vera, Patrem vero vinitorem ibi, Pr meus agricola est. Discipulos suos seu etiam populum christianum dr palmites ibi, omnem palmitem etc. Circa primum notandum q christus comparatur vitti propter multa, q in vite inveniuntur, q etiam in christo inveniuntur. Primo vitis solet plantari in terra. Sic vitis ista i. christus e plantata in terra quando de sinu patris descendit in terram et humanam naturam de casto virginis utero sibi assumpsit. Sed sicut vitis plantata e tota vitis solet emittere palmites. sic vitis ista i. christus palmites emisit i. discipulos suos de diversis locis vocavit. petrum et Andream de mari, matheum de theloneo etc.

Deinde vitis solet purgari et circumcidi. Vitis ista i. christus e purgata, qz non e inventa macula ... in ore eius, et per ... ipse peccatum ... in ... ipso. Circumcisa ... passionis ... Solum ... dimiserunt ... discipuli eius relicto ... fugerunt

Joan. 14 ... quasi alium acceperunt a me Item 6° circumspecti ... non erat consiliator, quasi non erat qui adiuvaret. Quamvis autem aliqui ... in multo tamen amplius provenerunt. Solet etiam vitis placillari i. ad lignum ligari. Sic vitis ista fuit flacillata quia ad columnam fuit ligatus et flagellis et virgis in tantum caesus quod a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in eo sanitas: sic dicit Chri... Bern. O amantissime juvenis quid est quod talia patieris, quod fecisti tantum ... culpa tua, quae causa tuae mortis ... concupiscentia me traxit ad arbore... perfecta charitatis traxit ad mortem. Solet etiam vitis circumfodi, sic ... ista s. Christus circumfossus fuit quia manus eius et pedes clavis ferreis perfossi sunt. Latus lancea caput spinis coronatum. Ps. foderunt manus meas et pedes ... militum lancea latus eius aperuit. Ultimum solet vitis in torcular ... torqueri et exprimi vinum, sic Christus in torculari crucis passus fuit ... vini sanguinis sui ex omnibus membris eius effluxit sic ... torcular calcavi solus Ps. ... Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio. Bern. ... copiosa quia non una gutta sanguinis ... sanguitur sed per quinque partes corporis emanavit. Et sic patet quomodo Christus comparatur ...

... vinitor est pr coelestis. Quid autem palmites sunt in vite, q[ui] non faciunt fructum sicut mali Christiani
qui non proficiunt in bonis operibus,
qui tamen habent nomen Christiani et non esse.
Istos solet vinitor tollere et in ignem
mittere aeternum. Qui vero alii palmi-
tes faciunt fructum, scilicet fideles
proficientes in bonis operibus, istos
purgat pr coelestis, agricola per
tribulationes, castigationes, ut
fructum plus afferant. Greg.
Mala quae nos hic premunt ad Deum
nos ad Deum ire compellunt. Aug.
Ideo premuntur iusti, ut resilia-
nt ad Deum et clamantes exau-
diantur, et exemplo bonificent.
Vera huiusmodi tribulatio solet
mittitur a Deo in signum charitatis.
Hebr. 12 Quem diligit Deus castigat.
Greg. Ideo hic bonis quibusdam premit
ut in aeternum feriat. Ideo malis hic
favet ut in aeternum noceat, ista sen-
tiebat bene Aug. Tria verba singularis
per secula ut in aeterna pateat.
Act. 14 per multas tribulationes
oportet nos intrare in regnum coeli.
Luc. 24 Oportebat Christum pati et
[illegible] Quis sit coronatus sine tribu-
lationibus? Coronatus est. 9.
[illegible] [illegible] Hieronymus de
Sanctis.

Sacru Grad. Praesbiteratus accep.
Warsaw. in festo S. Joannis Baptistae
Allegata Sabbatho ante festum SS Trinit.
ex manibus Illmi D. D. Lucae Koscielecky
a Koscielec Epi Posnaniensis 1593
Celebravi est SS Misser domi[…] ejusdem
Anni ~~[…]~~ post festum SS
Trinitatis quae erat Dominica […]
[…] appinguant ad festum publicum
Luter natal eclu Par. …
1517
Fr Michael Augusti[…]

Oficio